hist.

Hist 6899

Hist. 6899

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000038744

Digitized by Google

C. Hirtow
6899

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



ANNALES
CLIVIÆ-IULIÆ-MONTIÆ MARCHIÆ, RAVENSBVRGIÆ
Antiquæ et Modernæ.

Accessit ob vicinitatem, diversorumque Conjugiorum et successionis hæreditariæ quondam unionem,

GELDRIÆ et ZVTPHANIÆ etc.

Auctore et Collectore

M. Wernhero Teschenmacher ab Elverfeldt Montano.

ARNHEMII.
Ex officina Iacobi Biesy
Illustr. Ordinum Geldriæ
Typographi.
CIↃIↃXXXVIII.



Digitized by Google

CLIVIA, IVLIA, MONTIA, MARCHIA, RAVENSBVRGIA,

ANTIQVÆ & MODERNÆ

Duplici hac facie ceu Annalium partibus duabus repræsentatæ,

IN QUARUM

Prima, de gentium harum origine, propagatione, nomenclaturâ, & topographiâ veteri, moribus, linguâ, ejusque charactere, antiquorum Germanorum, Impp. Romanorum, & Francorum Regum temporibus, Tribus Libris:

In secunda, de earundem subsequentium Cæsarum Germanicorum imperio, Dynastis, Comitibus, Marchionibus, Ducibus singulis speciatim QUINQVE MEMBRIS disseritur,

Accessit ob vicinitatem, diversorumque conjugiorum & successionis hæreditariæ quondam unionem, GELDRIA, ZUTPHANIAE à multis retrò sæculis juncta, cujus octo Dynastæ, Tutores, seu Advocati, totidemque Comites & Duces quasi in Tabula exhibentur.

Auctore & Collectore

M. VVERNHERO TESCHENMACHER ab Erverfeldt Montano.

ARNHEMIÆ

Typis JACOBI BIESII, Curiæ Geldriæ Typographi Ordinarii. ANNO M. DC. XXXVIII.

Digitized by Google

CLIVIA, IVLIA,
MONTIA, MARCHIA,
RAVENSBVRGIA,

ANTIQVÆ & MODERNÆ

Duplici hac facie cum Annalium partibus duabus

repræsentatæ,

IN QUARUM

Prima, de gentium harum origine, propagatione, nomenclatura, & topographia veteri, moribus, lingua, cultuque claræ, antiquorum Germanorum, imp. Romanorum, & Francorum Regum temporibus, Tribus Libris:

In secunda, de earundem sub quorundam Germanicorum imperio, Dynastis, Comitibus, Marchionibus, Ducibus singulis, speciatim Quinque Marchis diligenter,

Accessit ob vicinitatem, diversorumque conjugiorum & successionis hæreditariæ quondam unionem, GELDRIA, ZUTPHANIAE simulatis recto lineæ nuncupatæ, cujus ordo Dynastæ, Tutores, seu Advocati, totidemque Comites & Duces quasi in Tabula exhibentur.

Auctore & Collectore

M. VVERNHERO TESCHENMACHERO ab Eyrenfeldt Montano.

ARNHEMIÆ,

Typis JACOBI BRESII, Curiæ Geldriæ Typographi

Ordinarii. Anno M. DC. XXXVIII.

Digitized by Google

Decem Sereniſſimorum ac Potentiſſimorum
S. Romani Imperii Archicamerariorum &
Principum Electorum Hæredi,

FRIDERICI I. ex Burggraviis Noricis, Septemviratus Electoralis Brandenburgici FUNDATORIS, ejuſq; ex filio FRIDERICO II. dicto ferrato Nepotis ALBERTI ACHILLIS GERMANICI proſapiæ Illuſtriſſimæ DEFENSORIS

Abnepoti Maximo

Hujus vero ex filio *Joanne Cicerone Germanico*, & binis *Ioachimis* Nepotis JOANNIS GEORGII glorioſiſſimæ Marchiacæ familiæ PROPAGATORIS, Ejuſq; ex filio primogenito IOACHIMO-FRIDERICO

Pronepoti magno

JOANNIS SIGISMVNDI

Nepoti proximo

GEORGII WILHELMI

filio primogenito & ſucceſſori unico

FRIDERICO GVLIELMO

Marchioni Brandenburgio, Boruſſiæ, Cliviæ, Juliæ, Montium, Stetini, Pomeranorum, Caſſubiorum, Vandalorum, Carnoviæ & Croſnæ, in Sileſiâ, Duci, Burggravio Norico, Principi Rugiæ, Comiti Marcæ & Ravensburgio, Dynaſtæ Ravenſteinio, &c. Domino ſuo Clementiſſimo, Vita & Incolumitas.

Sereniſſime Princeps, Domine Clementiſſime,

S. T. C. de Cliviâ, Juliâ, Montiâ, &c. provinciis ampliſſimis, quæ ob AVIAM Illuſtriſſimam ANNAM PRUTENICAM ex Matre MARIA ELEONORA, GULIELMI ABAVI, Potentiſſimi Cliviæ, Juliæ, Montium &c. Ducis, primogenitâ, ipſam quoque primogenitam ad C. T. domum Electoralem pervenerunt, & cogitare & loqui

sæpius, communis Nobis fama ex Marchia tua Electorali attulit, quam nuper adeo fœlix C. T. in Academiam Batavorum ingressus, unde à subditis cum desiderio exspectatis, abundè confirmavit. Eã ob causam quia sacros olim Reges & Principes sine munere obsequii, ac Reverẽtiæ symbolo salutare, sine majestatis non licuit crimine, nec hodie quoq; subditis, imprimis non adscriptitiis, sed indigenis, licet: adfero C. T. Cliviam, Juliam, Montiam, antiquam & modernam; non tantum ut inde perspiciat C. T. qui majores in his provinciis præfuerint, quid ve præclari toga vel sago gesserint, sed etiam quia salus Reipublicæ suprema lex, & illa in salute principis, hæc in pietate, doctrina, & virtute ejus cõsistit, ut Trigæ hujus beatæ, non in Electorali tantum domo, sed etiam in Clivia, Julia, & Montibus, exemplar pervideas. Ex his proinde ego non assurgere gratulando non debui, quod subditus, quod Civis, quod Dei Minister, ut Nobilissimus Aulæ C. T. Magister, Patrisque Serenissimi ex multorum annorum fidelitate Consiliarius augustus, Johan-Fridericus à Kalckum dictus Leuchtmar, castri Leuchtenbergici in patria, Ducatu Montano, hæreditarius, Patronus meus, & Ephorus, vir præstantissimus Jacobus Mueller Castrensis Iulius, amicissimus popularis, docere possunt.

1 Sam. 10 vers. 27
2 Chron. 7 vers. 3.
Matth. 2. vers. 18.

Votum addo pro C. T. quale vovebat Persa, regi suo volam undâ plenam exhibens; Regnes in æternum: Dii te servent, acclamatum Probo. Idem vicies Tacito Imp. Dii te nobis præstent, Claudio sexagies, fœlicitèr Galbæ; Dii illum Deæque omnes terris diu commodent; iterum Claudio à Senecâ: Nepotibus illum ac pronepotibus Iupiter servet, Trajano à Plinio, & aliis alii alitèr

concepta

concepta enunciarunt.

Et quia hęc omnia ethnica, ſancta ac Chriſtiana adiicio, quale illud Firmiani lib. 1. de falſa relig. adverſ. gentiles: Det tibi Deus fœlicitatem, virtutem, diuturnitatem, ut quibus ſuccreſcis annis, & gratiis apud ipſum & ſubditos tuos quaq; diffuſos, ſic gubernaculum Reipubl. à patre potentiſſimo tandem acceptum ſenex teneas, liberis & ſeris nepotibus iterum tradas. Cum Tertulliano quoque in apologia pro Chriſtianis. c. 30. Vitam precor C. T. prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & principis vota ſunt alia; neque id vicies, ſexagies, octuagies: ſed quoties noſtræ occurrit tua gratia menti ſine numero.

Accipe igitur Princeps Illuſtriſſime cum votis hanc tuam Cliviam-Julio-Montiam antiquam & modernam clementi & mente & manu, miniſterio Euangelico, literis & literatis in ditionibus his fave; ac pro utriſque tantiſper apud Patrem Sereniſſimum filius unicus, & ex aſſe hęres, propitius intercede, dum ipſus (quod omnium Iuliorum, Clivorum, Montanorum, Marcanorum, Ravensburgiorum, &c. votum eſt unicum) eos coram perluſtrare, & accipere, Illis T. C. excipere ovantibus, detur. Tu Deus repræſenta votum tujus cœlum & terra eſt!

C. Hujus propter Te
ſubjectiſſimo

M. VVernhero Teſchenmacher
ab Erverfelt Montano.

Lectoribus Cupidis, Candidis, benevolis.

TAndem obsequor desiderio vestro Polyhistores, & qui estis Philopatrides, & conatus meos de Clivia, Julia, Montibus, Geldria, Marca, Ravensburgia antiquis & modernis vobis sero. In his de provinciarum harum ortu, progressu, & auctu, rebus etiam, inter & apud gentes illas à Dynastis, Comitibus, Ducibus earundem gestis, diligenter investigo: idque non ex fabulis & lacunis mythologicis, sed veris classicisque auctoribus & manuscriptis authenticis; operâ Hermanni Ewichii Clivo-Wesalii, in veteri Clivia Iulio-Montia concinnandâ adiutus. Annales autem voco, tum quia ad res patriæ scriptorum penuriâ pene obliteratas, hæc appellatio ob collationem historiarum exterarum aptissima est, & dum ejusdem ætatis acta conjungit, aberrave lectorem cognoscendi avidum non patitur; tum quia exempla virtutum & vitiorum consimilia suppeditando ad prudentiam civilem confert plurimum. Quid assecutus sim, vos Lectores Cupidi, candidi, benevoli judicate & studio meo, atque in patriam communem affectui, utinam effectui dato, adspirate.

M. Wernherus Teschenmacher
ab Erverfelt Montanus.

Histo-

Historiam appositè orator, Testem temporis, Nunciam vetustatis, lucem veritatis, vitam memoriæ, & Magistram vitæ dixit. Porro ingrati incolæ indicium est, res foris gestas perlustrasse, & in domesticis hospitem atque peregrinum existere. Quæres me permovit, ut Clivensium, Iuliacensium, Bergensium, Geldriensium, Marckensium, Ravensburgicorum, &c. historiam contexerem. Res ardua & viribus meis impar: quicquid tamen ex fide dignis & authenticis auctoribus, vel manuscriptis variis, quorum multa ex ipso quoque Archivo Principum desumpta mihi videre & evolvere datum, observare licuit, hic ordine, additâ temporis, quæ anima historiæ est, perfecta supputatione, & quidem quantum fieri potest brevi orationis filo, consignabo. Vt autem certa constet hujus historiæ methodus, ad quam tum scriptor collimavi, tum studiosus lector ceu Cynosuram perpetuam respiciat, primo omnium de Gentium & populorum in conjunctis hisce partibus origine, eorundemque propagatione, donec ipsis Dynastæ, Comites, Marchiones, Duces præessent, dicam. Deinde cum paulatim in Dynastias, Comitatus, Marchionatus, Ducatus erigerentur, qui & quot illis ex ordine præfuerint, & quicquid præclari, toga vel sago gesserint, adijciam.

M·CAELIO·T·F·LEM·BONO
LEG·XIIX·ANN·LIII·
CIDIT·BELLO·VARIANO·OSSA
NFERRELICEBIT·P·CAELIVS·T·F·
LEM·FRATER·FECIT·

Celsissimo & Illustrissimo Principi,

Dn. Dn.

FREDERICO GVILIELMO,

Marchioni Brandeburgico, Electoratus Imperialis, &c. Ducatus Prussiæ, Juliacensis, Clivensis, Montium, &c. Hæredi.

Super Historia Clivensi,

Ipsius Celsitudini nuncupata.

MAgne juventutis Princeps, cui destinat uni
Post Patrem fasces Clivia læta suos.
Illa armis opibusque potens, atque ubere gleba
Dives, & omnigeno flore superba virûm.
Unam quam Rhenus pleno Pater irrigat alveô,
Non alibi placidus non tumidusvè magis.
Hoc tantum infelix Regio, primordia gentis,
Historiæ ignoret quod rudis ipsa, suæ.
Quodq; diu trepidet turbantibus undiq; bellis,
Dum Mars vicino fervidus orbe furit.
Te Duce nunc alius rerum promittitur ordo,
Et novus Historiæ te Duce surgit honos.
Quæ prælustre tuum jam præfert pagina nomen,
Non dubias infert in loca cœca faces,
Non vetus hic canitur vulgati fabula cygni,
Quam nimium simplex plebs celebravit avem.

Altius & prima currunt ab origine fasti,
Et discit cunas patria terra suas.
Hic Celtam, Cimbrumque vides celebremque Sicambrum,
Gugernumque senem, qui tua rura colit.
Quáque arat hîc aut bella movet Germana juventus,
Romulidumve manus, utraque ripa tua est.
Quæque olim hostili certabant utraque ferro,
Nunc socias tendunt ad tua jussa manus.
Nil interruptâ serie, longo ordine, rerum
In proavis dominos, hîc, Frederice, legis.
Quæque illi præclara togâ, præclara sagoque,
Seu gessere domi, sive decora foris.
Et quæ multa prius tenebris damnata jacebant,
Nunc priscum repetunt hîc renovata decus.
Mox optata diu Patriæ Pax optima rerum,
Te Duce quando redit, bis Fredericus eris.

J. Smith Pastor Ecclesiæ Neomagensis.

In ima-

In imaginem

Illustrissimi Principis

FRIDERICI GVLIELMI

Marchionis Brandeburgij, Borussiæ, Cliviæ, Juliæ, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, Carnoviæ & Crosnæ in Silesia Ducis.

QVEM fas Imperij, justi quem sanguinis ordo
Flagitat ad celsi munia clara Patris,
Talis pacatas tendit Fridericus in oras,
Sive salutatis omnibus ante Deum,
Sive Deũ supplex primâ quoq; voce salutat,
Effigie talem se Fridericus habet,
Sive videt dextrum versus, versusque sinistrum,
Candida Pax divum lambit utrinque caput,
Clivia si quæras Dominum, si Julia quæras,
Hic Patre defuncto Dux Fridericus erit.
Montia dêinde tuum talem venerare futurum,
Et defensorem Magne Borusse tuum:
Suspice post reliquas etiam Pomerania gentes,
Qui stat divino protinus ore Ducem,
Nuper in occulto solus sedisse sacello
Tendens ad Dominum fertur utramq; manũ,
Quem pius ac insons, solito quem more precatur,
Ne de proposito tramite forsan eat:
FAC ME SCIRE VIAM dicit, PER QUAM AMBULEM JESU,
Qui quò me vertam nescius usque fui.
Antè fatigatum divexavere Parentem,
Qamvis te fulcro sustinuisse queat,
Dira cruentati cis circum fulmina Martis,
Victorisque fuit rustica præda domus;
Nec finem spectare licet, propellitur Vxor,
Inque sinu patrios Vir tulit inde Deos.
Et jam tot nostram decorant insignia stirpem,
(Sic licet auspicijs indigitasse tuis)

Quot noctem atque diem partes seu vespere currat,
Seu matutinis horula temporibus:
Tandem quæque sibi me totum mancipat, illis
Si Dux, si Dominus pervigil esse velim.
Et quod cuncta tegat tua non capienda voluntas
Qui scis, da justâ quælibet arte regam.
His dictis Cœlum reseratâ nube patebat,
Verbaque cœlesti Dux capit illa sono:
Imprimis reverere Deum, tibi militat Æther,
Et tibi perpetuo Sidera cuncta favent.
Sis justus, nigræ poterit nil machina famæ,
Providus, in votum proxima quæq; cadent,
Clemens, agnoscent proprium te Nubila Gnatum,
Et divina tibi gratia mitis erit.
Flosculus â primis & pubescentibus annis
Crescebas placido Sole juvante loco,
Hactenus immensis nec Sol te viribus auctum
Deserit, & quorsum ducit abire lubet.
Ergo age, & optata prætexta ponè rejecta,
Undique jam cives ritè tuere tuos,
Et defende Lares, quam tunc aut pessimus odit
Te populus, citius populus igne viret.
Restat Amor, Dominam jam Cœlũ novit, ut Hæres
Id quoq; quod dictum est post tua fata queat.
Aëriæ tacuere domus, suscepit habenas,
Sed nondum scimus, num Fridericus amet.

JOANNES van DANS,
J.V.D. Gelrus.

Sylla-

Syllabus Auctorum, qui Annalibus his operam suam commodârunt.

Manu-scripta.

MAnu-scripta, quibus in his Annalibus usus sum, sunt hæc sequentia:

Chronicon Levoldi à Northoff, nobilis Markani, Canonici Leodiensis & Abbatis sæcularis Visetensis, qui sub Eberhardo Comite Marckano vixit, & cum filio ejusdem Engelberto Romam, anno 1326. profectus est. Hoc Chronicon ex Latino barbaro in Westphalicum idioma convertit Ulricus Verne sacellanus Hammonensis: ex Westphalico in Germanicum purius Joannes Kurtz / rationum Cameræ Clivensis Magister: Latinitate verò tersiori donavit, notisque suis eruditis illustravit M. Henricus Meibomius Lemgoviensis, poëtices & historiarum Professor in Academia Julia.

Chronicon Gerhardi Schurenij, sive ab Horreo dicti, Sanctensis, Ducum Cliviæ Adolphi Victorioſi & Joannis bellicosi secretarius, in quo Principum Clivensium & Marckensium originem atque progressum usque ad annum 1552. deduxit, licet anno 1489. adhuc superstes fuerit. Ab anno verò isto 1452. usque ad annũ 1590. Johannes Lowerman Emmericensis, Jurisconsultus & Wilhelmi Cliviæ, Iuliæ, Montium Ducis Consiliarius, inde Ioannes Turcus Gochensis Secretarius & Registrator Clivensis in præsens tempus deduxerunt.

Chronicon aliud, in quo omnium Romanorum Impp. Colon. Ultraject. Monast. Osnaburg. & Paderborn. Episcoporum, omnium item Brabant. Holland. Flandr. Gelr. Cliv. Iul. Mont. Marck. Ducum & Comitum res gestæ parallelis descriptæ sunt, quod mihi ex Averdorpensi cœnobio Vesaliensi communicavit ejus quondam quæstor, vir multæ lectionis & antiquitatis in primis patriæ studiosus Theodoricus ab Uppich ὁ μαχαρίτης.

Arnholdus Heimricius Clivensis, Decanus Sanctensis in mss. varijs, duobus tomis in Bibliotheca ejusdem Ecclesiæ extantibus.

Auctores autem, quitypis prodierunt tum veteres tum recentiores juxta sequentem ordinem Alphabeticum exhibemus.

A.

Abbas Urspergensis.
Adelarius Erichius.
Ado Viennensis.
Paulus Æmilius.
Henricus Cornelius Agrippa.
Aimoinus.
Joh. Henricus Altstedius.
Althamerus.
Annius Viterbiensis.
Antonini Itinerarium.
Ammianus Marcellinus.
Appianus.
Ioh. Aventinus.
Ausonius.

B.

Beatus Rhenanus.
Hadrianus Barlandus.
Cæsar Baronius.
Ioan Corop. Becanus.
Christianus Becanus.
Petrus à Beeck Canonicus Aquisgr.
Ioan. à Beka.
Berossus.
Petrus Bertius.
Bilibaldus Birckhaimerus.
Bonfinius.
Ernestus Brothusius.
Gaspar Bruschius.
Georgius Buchananus.
Ioannes Buxtorfius.

C.

Iul. Cæsar.
Joan. Cæsarius.
Iul. Capitolinus.
Ioan. Carion.
M. Aurel. Cassiodorus.
Ioan. Cernitius.
David Chytræus.
Nathan Chytræus.
M. Tull. Cicero.
Claudianus.
Philip. Cluverius.
Colonienſe Chronicon.
Philip. Cominæus.
Albertus Crantzius.
Ioan. Cuspinianus.

D.

Paul Diaconus.
Wilhelm Dillichius.
Dionis historiarum libri.
Petr. Divæus.
Ianus Dousa.

E.

Usebius.
Eutropius.
Balthasar Exnerus.

F.

Florus.
Marquardus Freherus.
Bernhardus Furmerius.

G.

Alexand. Gaguinus.
Robertus Ganguinus.
Gerhardus Geldenhaurius.
Ægid. Gelenius.
Sigebertus Gemblacensis.
Henricus Glareanus.
Godefridus Monachus.

H.

Herman. Hamelmannus.
Wilhelm. Heda Alphensis.
Arnholdus Heimericius.
Pontus Heuterus.
Conradus Heresbachius.
Divus Hieronymus.
Aulus Hircius.

I.

Inscriptiones Romanæ.
Franciscus Irenicus.
Iarnandes.
Iustinus.

L.

Lactantius.
Ioan Lampadius.
Æl. Lampadius.
Wolffgangus Lazius.
Ioan. à Leidis Chronicon Belg.
Iustus Lipsius.
Livius.
Lucanus.
Luitprandus Ticinensis.

M.

Raymundus Marlianus.
Virgilius Maro.
Henricus Meibomius.
Iacobus Mejerus Balliolanus.
Pomponius Mela.
Philippus Melanchton.
Gerard. Mercator.
Aubertus Miræus.
Ioannes Molanus.
Bernh. Mollerus.
Sebastian. Munsterus.

N.

Ioan. Nauclerus.
Hermannus Novenarius Comes.
Numismata Romana.

O.

Orationes panegyricæ.
Orosius.
Abrahamus Ortelius.

P.

Vellejus Paterculus.
Pausanias.
Caspar Peucerus.
Peutingeri tabula itineraria.
Pighij Hercules prodicius.
Joan. Placentinus.
Plinius uterque.
Plutarchus.
Trebell. Pollio.
Procopius.
Propertius.
Ptolomæus.

Reine-

R.

Reinerus Reineccius.

S.

Gregorius Sabinus.
Ioan. Sciphower.
Petr. Scriverius.
Servius Grammaticus.
Apollinaris Sidonius.
Iosias Simlerus.
Iodoc. Sincerus.
Cyriacus Spangenberg.
Æl. Spartianus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Sulpitius Alexander.

T.

Cornelius Tacitus.
Ioan. Textor Heigeranus.
Ioan. Tibius.
Joan. Trithemius.
Greg. Turonensis.

V.

Ioachimus Vadianus.
Sex. Aurel. Victor.
Iacobus de Vitriaco.
Ioannes Vivianus.
Fl. Vopiscus.

W.

Vitus Winshemius.
Richardus de Wissenberg.
Witekindus.

Z.

Zosimus.

ANNA-

ANNALIVM PARS PRIMA.

De Juliorum, Clivorum, Geldrorum, Montensium, Marckensium, Ravenspergensium, &c.

Origine & propagatione, topographia, & nomenclatura veteri Antiquorum Germanorum, Imperatorum Romanorum & Francorum Regum temporibus, eorumque apud populos hos rebus gestis

LIBER I.

De origine & propagatione populorum istorum.

GENTIUM earum, quæ hodiè Provincias has incolunt, originem repetiturus, & qui illis imperarunt, seriem ac res gestas descripturus, Lectorem monendum in limine duxi, priscorum Rom. Impp. temporibus, comprobantibus id affatim C. Iulij Cæs. & Conrelii Taciti, aliorumque illustribus scriptis, populos hos ad utramque Rheni ripam, unam scilicet Germanicam, alteram Gallicam, sedes suas habuisse: Sicambros, putà, cum Tencteris & Usipiis; Bructerorum, Ubiorum, Eburonumque cum Sunicorum particulâ non exiguam manum; Menapios item cum Gugernis; Batavorum denique Caninefatiumque non contemnendam portionem. Quorum omnium & viciniorum simul populorum nomina in unum illud Francorum famosum nomen coaluerunt postea, ex quo nimirum hi Romanorum in illos potestatem profligassent, sedibus hîc & in vicinià sibi firmatis, relictâ tamen partibus Westphalicis Saxonum, qui illâ quoque tempestate eas unà cum aliis Cis-Albianis regionibus sui juris fecerunt, appellatione. Verùm de utrisque postea. Germanicæ autem originis omnes illos populos, etiam qui cis Rhenum habitarunt, fuisse, cùm ex aliis, Origo populorum.

tum ex ipso Cæsare constat; Is enim belli Gallici lib. 2. plerosquè Belgas à Germanis ortos esse testatur, Rhenumque antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolebant, expulisse. Horum igitur origo ad Tuiscones sive Teutones referenda venit, quorum primos auctores Berosus & Tacitus Tuisconem & Mannum ponunt *a*. Tuiscon *b* Cæsari κατ' ἀποκοπὴν magis abbreviato nomine Dis pater est, quando Gallos, quod ab hoc omnes prognati essent, Druidibus id prodentibus, gloriatos fuisse ait. Vocabulum Dis pro *Duits* corruptè enunciavit, & latinæ declinationi aptavit, vt cætera. Quid enim Galli de poëtico illo apud Romanos tantùm sic nuncupato inferorum Deo? Tacitus *c* Tuistonem vocat, ubi Germanos inquit celebrare carminibus antiquis Tuistonem Deum terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis suæ conditoresque. Deum haud immeritò dixisse videtur, quoniam gentes pleræque, quæ quidem veræ religionis fuerunt expertes, conditores suos in Deos transformarunt, divinosque eis honores decreverunt. De Tuiscone autem hoc certum intelligi Ascenum, filium Gomeri, nepotem Iapheti, pronepotem Noachi, asserentibus id cum Reineccio Hebræorum Rabbinis, quibus certè Ascenaz Germanorum parens est, sicut Ascenazi Germanus. Eusebius item in Chronicis, & Hieronymus in quæstionibus Hebr. in ea est sententia, Ascenem peperisse vocem Tuiscones postea Teutonis der Teutschen *d*. *Quod ut planum sit* ex præcipuorum historicorum unanimi consensu observatum est, Iaphetum filium Noha natu maximum post universale illud terrarum orbis diluvium, occidentem versùs concessisse, ibique Asiam minorem, præsertim qua Europam spectat, ac paludi Mæotidi vicina est, cum filiis habitasse: Horum posteri à Gomero Ascenæ parente Cimmerii sive Cimbri literarum quadam mutatione, teste Eusebio *e* dicti, Bosphoro Cimmerio juxta quem habitarunt primum nomen dedere: ac postea successu temporis quod haud difficile illis fuit, per regiones propinquas, Russiam, Lituaniam, Livoniam, Borussiam, Sueciam, & Cimbriam Chersonesum identidem ab iis nuncupatam, quæ hodie est Daniei regni pars, Holsatiamque & Jutlandiam complectitur, progressi, toto eo maris Balthici littore se passim diffundentes, latè dominati sunt *f*. Isti cum augeri quotidie se, ideoque superiori aliqua potestate, quâ tanta multitudo regeretur, opus cernerent, Tuiscone sive Ascenæ imperium detulerunt, qui auctore Beroso latissimè à Tanaë ad Rhenum usque Germaniæ fluvium imperavit *g*. Atque hinc Tuisconum sive Teutonum appellatio profluxit, quæ tam diu mansit donec Romani eâ abolita, Germanorum nomen celebrarunt *h*. Obiter quoque hinc perspicere licet, Cimbros & Teutones affines fuisse populos, & Germanicæ nationis quasi cognatas species, ideoque etiam simul armis adversus Romanos olim contendisse. *Caterùm Tuisco* ille, de quo hactenus regnasse dicitur

a Vide Reinerum Reineccium in hist. Iulia de regno Teutonum.

b Cæsar lib. 6. belli Gallici.

c lib. 6. de sit. & morib. Germanorum.

d Christian. Kuchmannus de orig. linguæ Latinæ.

e Carion Chron. l. 1. ab Adam ad Abraham, cap. de turri Babylon.

f Alex. Guagninus in descript. Polonia, c. deductio & origo Lituanorum.

g Idem eodem lib. c. deductio & origo gentis Sauromaticæ.

h In mellificio histor. Lampadii part. 3. ad Sleidani l. 3. c. 1. de Celtis Germ.

dicitur anno mundi conditi 1788. temporibus Nini & Semiramidis, fuitque Teutates ille, de quo Lucanus lib. 1.

Et quibus (inquit) *immitis placatur sanguine diro*
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus.

Quodipsum Lactantius exponens lib. 1. cap. 21. ait: Galli Esum atque Teutatem humano cruore placabant. Neque hîc assentimur Berosiani istius suppositi scripti auctori, qui Taciti vestigia secutus inter Vandalum & Herculem Teutanem (Teutatem dicere voluit) posuit, plures dubio procul Germanorum reges enumeraturus, si plurium nationum vocabula apud Tacitum inveniisset.

Mannum quod attinet Tuisconis filium, Tacito *a* similiter celebratum, Berosus *b* secundo inter reges Teutonum, loco ponit, eumque anno sexto Semiramidis ad Rhenum regnare cæpisse scribit. Alii tempore Belochi Prisci & Abrahæ anno mundi 1963. regnum tenuisse volunt. Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, cæteri Istævones vocentur; verba sunt Taciti *c*: ex quibus liquet, veteres Germaniæ populos appellationes suas à tribus illis Manni filiis, principibus suis, sortitos ac mutuatos esse, nominaque illorum præter propter hæc fuisse à Beroso aliisque memoriæ proditum est, Ingævon puta, Hermion, & Istævon. Et quanquam nonnulli *d* hac in parte Tacito se astringi non patiuntur, fidem tamen laudatus nunquam satis scriptor iste meretur, quod visa à se ac audita tractet. Sin minus; Priscis certè Germanis in iis præsertim quæ carminibus celebrarunt antiquis, tanquam annalibus, fides deroganda, & eorum subsequentibus quidem temporibus deploranda oscitantia est, qua effectum, ut hæc non tam ab ipsis, quàm eorum hostibus Romanis, qui fortè malè ea intellexerunt, petere necesse habeamus, siquidem præter hos certior nullus, quem sequamur, historicus ad manus est. Ingævonibus igitur, & Hermionibus, quorum illi Oceano Germanico proximi, hi Mediterranea Germaniæ loca incolebant, unà cum suis seu regibus seu principibus præteritis, Istævones cum principe suo Istævone hic in censum veniunt. Ii fuerunt populi ad Rhenum remoti, puta Celtæ, Helvetii, Treveri, Vangiones, Treboci, Nemetes, Ubii, & nostri Sicambri, Menapii, Usipetes, Tencteri, Bructeri, & cæteri *e*. De hisce Istævonibus Plinius *f* etiam scribit, eosque Rheno proximos fuisse, quos Istævon gubernasse fertur, anno mundi 2030. Sunt qui hunc non fratrem sed filium Ingævonis faciunt, inque annum mundi 2075. referunt *g*. Ad Tacitum revertamur: Quidam, ait, licentia vetustatis, plures Deo (Tuiscone scilicet) ortos, pluresque gentis appellationes Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant, eaque vera & antiqua nomina *h*. Germaniæ quidem illæ nationis distinctæ aliquot genera notat, sed quæ veram ac vetustam denominationem suam ab auctoribus suis desumpserunt,

a *lib. de sit. & mor. Germanor.*
b *lib. 5.*
c *Tac. d. l. vide & Plin. l. 4. cap. 14.*
d *Vid Lampadii mellif. histor. d. loc.*
e *Alsted. d. loc. & Althamerus in Taciti l. de sit. & mor. Germ.*
f *lib. 4. c. 14.*
g *Alst. d. loc.*
h *Tac. de sit. & mor. Germ.*

Sed Hercules hic prætereundus non est, ultimus apud Berosum Germanorum Rex, quem adeo confictum Reineccius existimat, quia Alemannus dicitur, cum tamen, ut ipse dicit, Alemannica ista gens multis post sæculis, hoc est tempore labentis Imperii Romani, inclaruerit: & ex Aventino constet, quam constanter patria nomina à majoribus nostris sint observata. Quanquam vero diffitendum non est nomen hoc Alemanni spurium esse ac fictum, adeo ut exinde conjecturam capere haud sit difficile, quando Berosianum istud scriptum in lucem prodierit: [a] regem tamen quendam qui majoribus nostris imperarit sub nomine Herculis ob insignem rerum gestarum gloriam à scriptoribus probatis celebrari, & qui vulgo differentiæ ergò Alemannus dicatur, negandum omnino non videtur. Quicquid enim ubique magnificum est, in claritatem Herculis referre consensimus. Ideoque fabulosum existimandum non est, quando Tacitus apud Germanos & Herculem primum omnium virorum fuisse, memoriæ proditum esse scribit[b]: Hic anno mundi circiter 2394 regnasse fertur.

a *Annius Viterbiensis, istius scripti auctor.*

b *lib. 6. de sit. & mor. Germ.*

Notatu præterea dignum est quod Diodorus Siculus lib. 6. de hoc & filio ejus habet; verba ejus sunt: Galates filius Herculis in virum evadens, cum paternum suscepisset regnum, plures oras sibi subdidit propinquas, & subductas omnes suo nomine Galatas dixit, à quo omnis ea regio Galatia dicta est. Hæc à pluribus nationibus incolitur, quæ invicem gentium numero differunt. Nam quæ major habetur inter eas ducenta virorum millia efficit, quæ minor, quinquaginta. Harum gens una erga Romanos usque ad hanc ætatem, affinitatem amicitiamque servat, &c. Idem etiam inter Galatiæ flumina Rhenum ponit, & paulo post addit: Rhenum diebus nostris C. Cæsar pontibus miro modo struxit, pedestribus copiis traductis, Galatas ultra Rhenum habitantes in potestatem redegit. Hæc ille. Unde majores nostros, sive qui in Clivensi, Juliacensi, Geldriensi & reliquis provinciis vixerunt, populos, huic ipsorum Regi subditos & ab ipso Galatas antiquitus nominatos fuisse patet. Similia de Hercule & Galatis habet Ammianus Marcellinus lib. historiarum 15.

Verum enimvero multa sunt hic, quæ nescimus, ea quoque quæ scire nos putamus, dubia sunt juxta & incerta, & si vera, quod in tanta antiquitatis nullo scriptorum lumine illustratæ caligine fieri oportet, falsis sæpè immixta.

Sed Hunibaldum aliquis objiciat, & ex eo certam ac continuam principum & regum, qui hisce provinciis præfuerint, unde etiam Sicambri & postea Franci originem traxerint, seriem exactè usque ad nostra tempora deduci jubeat, responsi loco is ferat, Hunibaldum & similis farinæ scriptores, quæ producunt regum ac locorum nomina commentos esse, sicut id jam pridem in antiquitatibus versatissimi quique animadvertêre.

[a] Etenim

[a] Etenim quis est, qui mecum non existimarit, ab uno ad minimum è Romanis scriptoribus, si non omnes, aliquos saltem istorum Antenorum, Priamorum & cæterorum Trojanæ originis principum, siquidem ii extitissent, fuisse celebratos, præsertim cum subinde apud illos in rerum Germanicarum â se editis monumentis exterorum quoque regum ac ducum, quantumvis parca, nonnunquam etiam invita incidat mentio? Et sanè quis sanæ mentis negabit, Romanos, postquam provincias hasce suo imperio adjecissent, barbarorum principum dominio abolito, solos hic rerum potitos fuisse? Non dicam jam, quam ridicula scriptoribus videatur, nec immeritò quidem, Trojana hæc per adulationem certè, non veritatem, Sicambris pariter hisque postea succedentibus Francis attributa origo, quasi nulla gens, ut Crantzii utar verbis, [b] clara nisi illa stirpe extiterit? Cui præterea vel mediocriter antiquitatis perito in proclivi non fuerit, de eo pronunciare, quod Viti Winsemii in Thucydidem prologus habet de Marcomiro novi admodùm nominis rege; quod is anno ab Urbe condita CCCXVII ad ostia Danubii à Scythis bello victus, & amisso in pugna patre pulsus, cum hominum quingentis fere millibus præter servitia in Germaniam transiverit, & novum apud Rheni ostia regnum inchoarit, gentique suæ cum vicinis Saxonibus fœdere ac connubiis junctæ Neomagorum, hoc est, novorum cognatorum nomen, quod postea Antenor hujus filius, ducta Cambra Bellini regis Britanniæ filia, in Sicambrorum nomenclaturam mutasset, acquisierit?

[a] *Henric. Cornel. Agrippa de vanit. scientiar. c. 5. Reineс. de regno Teutonico.*

[b] *Crantz. Vandaliæ lib. 1. c. 3.*

Turbidas igitur putidasque has Hunibaldi aliorumque lacunas linquentes, limpidos potiùs illos fontes, quos optimi quique Romanæ historiæ scriptores nobis aperiunt adibimus, ex iisque quæ ad propositi nostri scopum pertinent porrò hauriemus. Vbi tamen neminem movere debet, quod aliquando non continua hic sit annorum personarumque juxta ac rerum series, ubi nihil ex certis, quales à Romanis habemus, historiis, occurrit. Silentio enim præterire quæ nescimus necessitatis est non vitii. Ergò dum naufragii velut alicujus disjectæ hinc inde tabulæ; nobis colligendæ coacervandæq; sint, Ambigatus primùm, mox Brennus, cæterique ante Iulii Imperatoris tempora auctoribus celebrati reges ac duces, qui quidem hisce in locis rerum antiquitùs potiebantur, narrationi nostræ sunt inferendi.

Memorabiles sunt illæ de quibus Florus contractiùs, at distinctiùs & fusiùs Livius, Celtarum sive Gallorum in Italiam irruptiones, quibus rapidissimus procurrentis Imperii Rom. cursus non leviter suppressus fuit. [c] Istarum, siquid in iis fortissimè gestum fuit, gloriam etiam ad nationes hasce redundare, nullum omnino est dubium. Quis enim Ambigatus ille apud Bituriges à Liguri ad Rhenum usque, Tarquinio Prisco Romæ regnante imperans? certè cujus imperium omnino nostri majores agnovere. Hic virtute ait, Livius, [d] fortunaque cum suâ tum

[c] *Flori phrasis lib. 1. c. 13. An. Mundi 334. Vrb. Cond. 143.*

[d] *Dead. 1. lib. 5.*

publicâ præpollens, quod in imperio ejus Gallia adeò frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno conatu ipse jam exonerare prægravante turbâ regnum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum sororis filios, impigros juvenes, missurum se in quas Dii dedissent auguriis sedes ostendit, quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, nequa gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercynei saltus; Belloveso haud paulò lætiorem in Italiam viam dabant &c. Novas quæsitum terras emisso Sigoveso quoniam Hercynia Sylva sedes obtigit, nota procul dubio & vetus ipsi, fratrique, ac avunculo Ambigato patria fuit, non tam interior Gallia, quam ea quæ maximè in Belgicâ cis & trans Rhenum sita fuit regio. Bellovesus verò superatis Alpibus, quæ Juliæ dicuntur, inde ad usque Ticinum agros, ante à Tuscis cultos, occupavit, suisque Celtis possidendos tradidit Non exigua inde huic genti gloria, quòd prima post Herculem cui ea res virtutis admirationem, & immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta juga & frigore intractabilia loca transcendere sit ausa *a*

a *Iustin. lib. 24.*

Quid hic non memorem Gallos, Senonas, Celtarum nomine apud Livium *b* insignes, quos nescio utrum invidiosus an glorioſus descripserit Florus *c*? Gens inquit natura ferox, moribus incondita; adhoc ipsa corporum mole perinde ac armis ingentibus, adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbium stragem videretur. De patria eorum hæc addit: Hi quondam ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia Oceano, ingenti agmine profecti, quum jam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti per Italiam vagabantur: hæc ille. Multarum ab illis urbium, scil. Mediolani, Comi, Brixiæ, Verontæ, Bergomi, Tridenti, Vincentiæ non obscura exordia *d*: Clusium postea, denique Romam duce Brenno, auxilio Celtarum, qui ante ipsos in Italiam profecti erant, oppugnarunt, cæperuntque. Verùs autem & luculentiùs de hisce Plinius junior *e*: Cùm Galli Senones, inquit relictis ob sterilitatem agris suis Clusium Hetruriæ obsiderent, missi sunt tres legati, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione desisterent; ex iis unus contra jus gentium in aciem processit, & Ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli petitis in deditionem legatis nec impetratis, Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Alliam Fluvium occiderunt, die XVI. Kal. Augusti, qui dies inter nefastos relatus Alliensis dictus. Victores Galli urbem intraverunt, ubi nobilissimos Senum in curulibus aliisque honorum insignibus primò ut Deos venerati, deinde ut homines despicati, interfecêre. Hactenus ille. Neque defendi quicquam (verba sunt Eutropii *f*) nisi Capitolium potuit, quod cum diu obsedissent, & jam Romani fame laborarent, à Camillo, qui in vicina civitate exulabat, Gallis

b *lib. 5.*

c *Hist. Rom l. 1. cap. 13.*

d *Iustin. lib. 20.*

e *Plin. de variis illustr. cap. de Furio Camillo.*

An V. C. 364.

f *lib. 1.*

super-

superventum est, gravissimèque victi sunt. Postea tamen, accepto etiam auro ne Capitolium obsiderent, recesserunt: sed secutus eos Camillus, ita cecidit, ut & aurum quod his datum fuerat, & omnia quæ ceperant militaria signa revocaret. Virg. Æneid. lib. 8. hos Senonas in scuto Ænææ cælatos egregiè ob oculos posuit;

Aurea cæsaries (inquit) ollis, atque aurea vestis
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur, duo quisque alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpore longis.

Pro veste barbam, pro Gæsis Gallica tela Servius intellexit. Videntur autem hi Sicambris admodum fuisse similes apud Claudianum descriptis [a]

Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri

Oceanus iste, unde Florus hos venisse dicit Cimbrius fuit, non tantùm Balticus, sed & Germanicus, imo Belgicus, qui etiam, in quem nimirum Rhenus sese exonerat, apud eundem Claudianum Cimbricus dicitur, ubi de Alarici victoria sic ait

—— Te Cimbrica Tethys
Divisum bifido consumit, Rhene, meatu.

Aventinus lib. Annal. Boior. 1. & Philippus in Chronicis lib. 2. & alibi Belgas præsertim & Rheni accolas fuisse affirmant. Favere huic sententiæ videtur id quod habet Suidas: οἱ Γερμανοὶ πολλοὶ λέγονται ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμὸν εἶναι: Item quod Dion [b] habet in descriptione Rheni; Rhenus ex Alpibus, ait, Germaniæ paulò supra Rhætos oritur, inde versus occidentem profluens, ad sinistram Gallicam ejusque incolas, ad dexteram, Germanos dividit, tandemque in Oceanum exit; hic enim limes in hunc usque diem earum regionum habetur, ab eo tempore quo diversa nomina adeptæ sunt, siquidem antiquitus populi qui ex utraque parte Rheni habitant, Celtæ uno nomine appellati sunt.

[a] *Servius in hunc loc. Virgilii.*

[b] *lib. 39. hist. Rom.*

Non ego hîc aliarum Germaniæ Galliæque nationum gloriæ quicquam detrahere videri volo, sed & nostros majores gentibus illis in Italiam profectis annumerandos esse, solùm demonstrare, operæ pretium duxi. Multarum enim simul Germaniæ & Galliæ, præsertim Celticæ & Belgicæ ad Rhenum, & ad Oceanum sitarum gentium insignes hæ fuerunt migrationes.

Obiter quoque hîc memorabilem illam expeditionem Celtarum in Asiam videamus, quæ sub alio quodam duce Brenno facta est, plures enim Brenni referuntur ab auctoribus, alter Senonum, alter Galatarum dux. Hic Belgio ac cæteris ducibus universam Asiam cædibus egit ac rapinis. Justinus hujus meminit lib. 24. tantus, inquit ille, terror Celtici hominis erat, ut etiam reges

non

non lacessiti ultro pacem ingenti pecuniâ mercarentur. Ptolomæus Ceraunus his cum paucis & incompositis, quasi bella non difficilius quam scelera patrarentur, parricidiorum furiis agitatus occurrit; sed illi non multa scelera fuerunt, quippe Diis immortalibus tot perjuria & tam cruenta parricidia vindicantibus, brevi post à Celtis spoliatus regno, captusque, vitam ferro, ut meruerat amisit; tandem Delphis victi deletique sunt Celtæ, duxque Brennus, cum dolorem vulnerum ferre non posset pugione ibi vitam finiit. Pausanias de hoc in Phocycis: ἦν δὲ ὁ Βρέννος οὐκ πάντα ἄπειρος, οὐκ ἄπειρον ἔχων, ὡς ἂν τις βάρβαρος, σοφισματῶν ἐς πολεμίους. Erat autem Brennus non omnino inexpertus, stultus, ac insipiens ductor, velut alii barbarorum, verum dolos non ignaviter in hostes excogitabat.

Claudianus horum Celtarum patriam attingit.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Pro Rheno poturus Halym.

Quinam autem illi qui ab Oceano simul & à Rheno venisse memorantur? nostri certè majores.

An. V. C. 531. a Avent. Annal. Boic. l. 1.

De Viridomaro Gallorum Rege à M. Claud. Marcello cæso, quanquam idem sentit Aventinus,[a] adducens ex Propertio[b] illud:

b Propert. lib. 4. Eleg. 11.

Claudius à Rheno trajectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti parma relata ducis
Virdomari, genus hic Rheno jactabat ab ipso
Nobilis.

c c. 6. antiq. Germ. lib. 1.

Cluverius[c] tamen id non vult, locumque Propertii corrigit, & pro Rheno utrobique Rhodano, pro Belgica, Gallica substituit, Livii[d] narrationem attendens. Sed si tertiam quoque hanc lectionem magisque distinctam ex doctorum virorum castigatione retinere quis maluerit:

d Liv. lib. 20. ut extat in epitome Flori. Vide eundem Florum hist. Rom. li. 2. cap. 4.

Claudius à Rheno trajectos arcuit hostes
Belligerans, vasti parma relata ducis
Virdomari, genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere gesa rotis.

Is Cluverio hac ratione satisfecerit, si ipsum quidem Viridomarum tunc à Rhodano, nihilominus tamen aut ipsum olim aut majores ejus à Rheno in Galliam ad Rhodanum profectos fuisse dixerit. Verum hanc litem alii dirimant, de Cimbris jam & Teutonibus, eorumque regibus.

In istorum autem manu nostros etiam majores, Geltriæ nimirum præsertim inferioris, Cliviæque cis- & trans-Rhenanæ incolas, iisque vicinos Batavos, Selandos, Frisiosque una cum aliis extimæ Galliæ, Germaniæque qua Albim Cimbricamque Chersonesum attingit, populis, fuisse Florus innuit, cum eos ab extremis Galliæ profugisse, quum terras eorum inundasset Oceanus, novasque sedes toto orbe quæsivisse, scripto prodiderit.

e Flor. l. 3. cap. 8.

f Strab. Geogr. l. 7.

[e] Neque hoc peregrinum videbitur, quando Strabo[f] Cimbros inter

inter eas nationes quæ ab exitu Rheni usque ad Albini initium capiunt, cum Sugambris celeberrimos fuisse dicat; Oceanus insuper non tam illas quæ Daniæ regno continentur, quàm Belgicas nobis vicinas provincias, Hollandiam puta, Zelandiam, & Frisiam maximè inundari, maximasque terræ portiones ex iis absorpserit olim, sicut insulæ Hollandiæ, itemque illæ, quæ pari fere intervallo ab Hollandiâ Frisiâque, in mari projectæ & littori olim avulsæ sunt, testantur. Imo & hoc ipsum in mari Meridionali, vulgo **die Zuyderſee**, ex innumeris ejus vadis, quæ continenti annexa alveum ostiumque Flevo tertio, tunc Rheni brachio concedebant, apparet. Inter hos autem populos celebres maximè fuerunt Beleus Cimbrorum, & Teutobochus Teutonum Reges, quorum arma audita primum sunt, cum supra sexcentesimum quadragesimum annum Romana agebat Respublica, Cæcilio Metello, & Papirio Carbone Coss. [a] Rhenum illi transgressi, primum Belgas cis-Rhenanos, qui postea contra Cæsarem conspirarunt, videntur infectasse, verum ab his intra eorum fines ingredi prohibiti sunt, [b] quamvis [c] Strabo asserat, Belgas solos adversus Cimbrorum & Teutonum impetum subsistere non potuisse. Sed id forte verum fuerit de Belgis istis apud quos Cimbri & Teutones, cum iter in provinciam Galliæ & Italiam facerent, impedimenta quæ secum agere ac portare non poterant, deposuerunt, & custodiæ præsidioque sex hominum millia ex suis ibi reliquerunt, quorum etiam posteri qui Adriatici dicti sunt, post majorum suorum obitum multis annis à finitimis exagitati, cum aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent, consensu eorum omnium pace factâ illum sibi domicilio locum delegerunt; [d] Advatici autem ii fuerunt, qui hodie Gallicam Brabantiam ubi oppidum Nucella est, partemque Hannoniæ circa Cannetum montem & Bintium oppida Cameracensis diœcesis finitimaq; his loca extra Francorum regnum inhabitant; ubi locus quidam in vici formam redactus est ferè desertus, cujus nomen Gallicâ linguâ, vereri satis alludit, & monumenta adhuc quædam præclara vetustatis visuntur. [e] Cæterum omni Galliâ depopulatâ, [f] in Provinciam exiverunt, ut inde in Italiam contenderent, [g] quam cum invadere jam aggrederentur, legatos miserunt in castra Silani, inde ad Senatum, petentes vt Martius populus aliquid sibi terræ daret quasi stipendium, Cæterum ut vellet manibus atque armis suis uteretur. Sed repulsi quod nequiverant precibus, armis petere constituunt; Sed nec primum quidem impetum eorum Silvanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt, omnes fugati, exuti castris. [h] Timor tunc Romæ grandis fuit, quantus vix Annibalis tempore, Punicis bellis, ne iterum Romam Galli venirent. [i] Et actum erat, nisi Marius illi sæculo contigisset. Is cum partito agmine per alpes, id est, claustra Italiæ, ferebatur, iis ad Rhodanum juxta aquas Sextias occurrit, prioresque Teu-

[a] *Tacit. de sit. & mor. Germ. anno ante Natal. Chr. circiter* 110.
[b] *Cæs. l. 2. bell. Gall.*
[c] *Strabo Geograph. lib. 4.*
[d] *Cæs. l. 2.*
[e] *Raimund. Martian. in Indice antiq. populor. & locor. quorum mentio fit apud Cæs. & Tacit.*
[f] *Cæsar. de bell. Gall. lib. 7. & 8.*
[g] *Idem l. 8.*
[h] *Flor. l. 3. cap. 3.*
[i] *Eutrop. lib. 5. c. 1.*

tones

tones ibi prælio oppressit, C C millibus hostium cæsis, & xxx millibus captis *a*. Rex quoque Teutobochus, cum fugeret, comprehensus, proceritatis eximiæ insigne postea spectaculum triumphi fuit *b*. Monstratur hodieque in pago *Pourrieres* prælii tam cruenti locus, & ab omnibus ibi adhuc proverbii vice jactatur, *le triomphe des Pourrieres* i. e. triumphus *de Pourrieres*. Extat etiam hodieq; in triumphi hujus memoriam apud Arausionem, *Orange*, erectus arcus stupidi operis in quo C. Marii & Q. Catuli nomina perspicuè leguntur, & inter reliqua lapidi incisa trophæa, visitur crassa & procera cujusdam præ cæteris effigies, umbilico tenus, quem Taurobachi nomine ex characteribus olim in arcu illo conspicuis, jam verò tempestate exesis, majores suos appellasse, vulgi inibi celebris & constans assertio *c*. Interea Cimbri & Teutoni quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam transierant atque ibi in unum conglobati, Q. Catuli Proconsulis exercitum in fugam verterunt, & ad fluvium Atesin castra metati sunt. Quò Marius summa celeritate advolans, suis cum exercitu Catuli junctis, initoque iterum prælio, centum & quadraginta millia Cimbrorum occidit *d*. Nec minor cum uxoribus eorum pugna quàm cum ipsis fuit: quum objectis undique plaustris atque carpentis altæ desuper quasi è turribus lanceis confisque pugnarent, donec elisis passim infantibus suis aut mutuis conciderunt vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto, ab arboribus jugisque plaustrorum pependerunt. Beleus Rex in acie dimicans impigrè, nec insultus occubuit *e*, adeoque in hoc prælio non impunè contra hos populos dimicatum à Romanis est. Verùm clade hac ad extrema redacti Cimbri Teutonique, patrias oras repetierunt, indeque Sicambrorum nomen hisce in partibus remansisse probabile videtur *f*. Porrò ab hoc tempore diversa nomina Germaniæ Galliæque nationibus, quæ ex utráque parte Rheni habitabant, indita sunt, cum antea communiori nomine Celtæ appellarentur *g*.

a *Eutrop. ibid.*

b *Florus d. loc.*

c *Syncerus in itiner. Gallia.*

d *Eutrop.*

e *Florus.*

f *Sicambri nomen habens à Cimbris, ut plerique contendunt.*

g *Dion. lib. 39.*

Ex iis primi Sicambri, quorum nomen præ cæteris celebre, & ad tempus labentis imperii usque nomen eorum Tenecteris, qui in illorum remansere sedibus, tributum, olim ex toto transRhenani proximi Ubiis *h* trans Rhenum etiam tunc sitis, sylvas & solitudines habebant, ac hodie est inter ejus fluminis ulteriores ripas & Lupiam *i*, Cliviæ Ducatus, & pars terræ Montensis ac Marchiæ Comitatus *k*. Sed Suetonio & Floro testantibus eis Rhenum etiam Sicambri habitavere, postquam Augustus in Gallia eos per Tiberium in deditionem acceptos, traduxit, atque in proximis Rheno agris & castellis, ubi Gugernorum nomen postea accepisse videntur, collocavit.

Vid. Cluu. Nomenclatura & Topographia populorum.

h *Dion. lib. 39.*

i *Id l. 54. vid. & Strab. l. 4.*

k *Vid. apud Ptolem. Europæ tab. 4.*

Sicambrorum q. d. humillima camporum inhabitantium appellatio reliqua adhuc est apud **Siegburg** ad Ruram in vicinia Caroli Magni celebratum Comitatus Marchiæ oppidum. In horum regione nunc est Divitense illud munimentum ex adverso Agrippinensis

pinensis Coloniæ, hodie vicus Abbatiâ celebris, **Duits.** In eo quondam tabula lapidea reperta est, quæ teste Ruperto hujus loci quondam Abbate narrabat, Divitense munimentum in terra Francorum ab Imp. Cæs. M. Fl. Valer. Constantino pro militibus in tutelam Galliarum collocandis, esse erectum. Atque ab hoc loco milites nominantur in libro Notitiæ Imperii & apud Marcellinum lib. 26. & 27. Divitenses, conjuncti ubique Tungris vocabulum huic munimento haud dubiè è situ loci quæsitum. Etiam Dispergum castellum, Duisburgum Cliviæ hodie oppidum hic situm est. Utrum à Romanis ad firmandum Asciburgii præsidium, & impediendam Germanorum in Galliam irruptionem constructum, éque situ loci nuncupatum; an verò à Germanis ad cohibendos Romanos excitatum, aut Romanis ademptum, alterutráque de causa sic vocatum olim fuerit, ignoratur: Interim tamen certum est Teutoburgum non esse de quo Tacitus *b*. Quin etiam apud Sicambros Velledam virginem, de qua paulo post, habitasse, nonnulli suspicantur. Videatur Bernard. Moller. libro sexto descriptionis Rheni, ubi sic de Lupiâ, Rhenum influente, ait:

a *Beat. Rhenan. rerum Germ. l. 3.*

b *Annal. lib. 1.*

Rheno proximior Velledæ præterit aulam,
Nomine jam dubio virginis aula latet.
Limite Spelledam sustentant jugera lævo,
Mansio Velledæ, suspicor, illa fuit.
Velleda Spelleda quadrat, mutato priora,
Arguit hoc ratio nominis atque loci.
Deferar ulterius, Vesalia fluctibus instat
Lippiacis: Rheno Lippia perdit aquas.

Spellen pagus est, non procul à Vesalia, ultra Lupiam

Et certè non usque adeò à vero alienum hoc esse facile quis animadvertet, qui accuratiùs id quod Tacitus hist. lib. 5. habet, consideraverit, Germanos nimirum prætoriam triremem Romanis in Rheno abreptam flumine Luppia donum Velledæ traxisse, sive transmisisse. Cæterùm Sicambri & postea Tencteri *c*, de quibus mox, qua ortum respiciebant Cheruscis contermini fuere. Dion enim lib. 54. de Druso ait, ipsum post Usipetas subjugatos, Lupiaque transmissa per Sicambros in Cheruscorum regionem usque ad Visurgim processisse, in quibus castrum Eresburgum tempore Caroli Magni celebre, hodiéque **Hertzberg**: in confinio Hassiæ situm, etiamnum antiquum gentis nomen retinet.

c *Tacit. de sit. & mor. Germ.*

Tencteros adhæc & Usipetes sive Usipios quod attinet, trans Rhenum etiam fortè in locis Westphaliæ remotioribus habitasse primùm, sed postquam à Suevis (meliùs leg. Cattis) diu agitati, & triennio hinc inde vagati essent, Rhenum fluvium non longè à mari quo influit *d*, scilicet ad insulæ Batavorum caput, necesse haberent & Rhenum & Vahalem, adeoque insulam Batavorum superare, transiisse, & Mempiorum cis Rhenum agros occupasse ex Cæsaris lib. 4. Belli Gallici constat. Quam ob causam

Tencteri & Usipetes.

d *Sic Cæs. loquitur lib. 4.*

ex

ex iis quadringenta millia ad Mosæ & Rheni confluentem cæsa à Cæsare sunt, ut Plutarchus in Cæs. & Appianus in Celtica prodidere. Reliquiæ verò horum qui prælio non interfuerant, Sicambrorum nationi ultra Rhenum sese conjunxerunt *a*, quibus in Gallicam oram traductis, Tencteri quidem illorum agros soli tenuerunt, & initio imperii Vespasiani Ubios vicinos ad defectionem á Romanis sollicitarunt *b*. At Usipios exiguum illud agrorum, quod Menapii trans Rhenum etiam habebant invasisse, atque ita loca illa, ubi hodie Comitatus Zutphaniæ est, incoluisse, haud paucis placet, Dionem nimirum attendentibus, ubi ille libro paulò superiùs allegato, de Druso hisce verbis: Atque ipse deinde, ait, in Vsipetarum regionem, secundùm insulam Batavorum, atque in Sicambrorum terram transgressus, &c.

a Cæs. d. l.

b Tac. hist. lib. 4.

Notandum autem Cattos illos, de quibus jam dixi, perperam à Cæsare Suevos appellari, quod videre licet ex ejus lib. 4. belli Gallici, ubi Suevos Ubiis, & lib. 6. ubi eosdem Cheruscis ad Sylvam Bacenis, hodie **dit Hartz**, viciniſſimos fuisse tradit, cum ista omnia Cattis conveniant potiùs quam Suevis, quippe qui jam antea audita Arioviſti clade ripas Rheni, hoc est, peregrinum abs se invasum regionis tractum reliquisse domumque se contulisse ab eodem Cæs. lib. 1. memorantur. Nisi quis generaliter Suevorum nomine maximam trans-Rhenanæ Germaniæ partem comprehendere, eosque cum Ptolomæo triplices statuere malit, primos scilicet Sicambris ad Rhenum Australiores, (quo in loco Oquevos in tabulâ Ptolomæi ineptè legunt) alteros Angilos, in Septentrionem ad medium Albis extentos, tertios Semnones à medio Albis ad Suevum. i. Viadrum fluv. usque. Quorum tamen nihil posteriores Suevi Rhetiæ nimirum vicini, qui & Hermunduri dicebantur, habuerunt.

Bructeri.

Sequuntur Bructeri juxta Sicambros ad dextram inter utrosque fluentis Lupiæ ripam in longum ad usque Amisiæ & Lupiæ capita in Cheruscorum confinio, ubi clades Variana contigit, protensi *c*. Nam & à Tacito *d* juxta Tencteros, qui fuere Sicambrorum successores, locantur, & à Strabone *e* ad Lupiam quoque pertinuisse asseruntur, nimirum ubi nunc sunt Monasteriensis & Osnabrugensis diœceseis Lippia item & Ravensburgum Comitatus.

c Tac. lib. an. 1. §. dictum inde &c. confer cum Dione lib. 56. & Strabone lib. 7. ubi de eadem clade.

Sylva Cæsia apud hos fuit, inter Vesaliam & Coesveldiam urbes porrecta, quæ cum limite Tiberii à Cæcinna è Veteribus in Marsos egresso, excisa, & particula fuit Hercyneæ totam ferè Germaniam obtegentis Sylvæ. Unde Claudianus:

d lib. de sit & mor. Germ.

——— *Venit accola Sylvæ*
Bructerus Hercyneæ.

e Strabo lib. 7.

Et quanquam Taciti ævo, vicinarum consensu nationum dicuntur pulsi, migrantibus in ipsorum loca Chamavis & Angrivariis, quorum illi à Chaucis, hi à Visurgi, ubi hodie **Engeren** est vicus, sed Witekindi mausolæo & Ducatus Angrivariæ titulo insignis,

Tac. lib. de morib.

progressi

progressi erant: Attamen vindicasse se mox videntur, retroactis non tantum Chamavis & Angrivariis, adeóque receptis suis agris, sed etiam vicinis sibi subactis nationibus, nominatim Tencteris, unde Bructeri hi panegyristæ Nazario, circa Constantini Magni; & Sulpitio Alexandro apud Gregorium Turonensl. lib. 2. cap. 9. circa Theodosii Impp. tempora Rheni ripæ ex adverso Agrippinensis Coloniæ proximi habentur, suumque nomen locis hisce **Quakebzuggen**, **Osenbzuggen**, **Wpdebzuggen**, & **Delbzuggen** indidêre.

a *Tac. Annal. lib. 1.*

Cæterùm Bructeros Strabo & Ptolomæus duplices produnt, Majores & Minores, illosque Frisiis & Chaucis; hos verò Lupiæ vicinos faciunt: de hisce præsertim hîc. Tubantes, ubi hodie **Twente** & **Benthem** ditiones sunt, vicinos habuerunt, similiter Vsipios. Quinetiam Cheruscos & Marsos *a*, (unde oppido **Othmarssen** adhuc nomen) attigerunt. Marsi verò hi juxta Bructeros loco cladis Varianæ non procul abfuerunt *b*: sed postea Visurgi trajecto Teutomarsorum gentem ex se propagarunt *c*.

b *Tac. An. lib. 2. ubi de Malovendo eorum duce.*

c *Ex Strab. refert Ortelius.*

Ubii autem itidem trans Rhenum olim Sicambris vicini *d*, VBII. postea verò cis illud flumen Eburonum agris proximi habitarunt. Hos esse Agrippinenses, ejuratâ patriâ, Romano nomine dictos, nunc Colonienses, plerisque placet, qui à Suevis quos Cæsar pro Cattis sumit, bello tentati ac pulsi, citra Rhenum oppidum condere cœperunt; postea cum jam longo fidei experimento meruissent Ubii, jussu Agrippinæ Germanici filiæ, quam Claudius Cæsar in conjugem assumpsit, Colonia in oppidum illud, in quo & genita erat, deducta est *e*, cui nomen ex vocabulo ipsius inditum. Zosimus lib. 1. vocat eam Ἀγριππίναν πόλιν ἐπικειμένην τῷ ῥήνῳ μεγίστῳ. Claudia etiam agnominata fuit, fide lapidis,

d *Cæs. l. 4. belli Gall.*

e *Tacit. de sit. & mor. Germ. l. 9. Ann. V. C. 802. Christi 51. Antistio & Mario Suillio Coss.*

M. MARIO. M. F.
STEL. TITIO. RVFINO
COSS.
LEG. LEG. I. MINER. P. F.
CVR. COL. CLAVD. AVG.
AGRIPPINENSIVM. &c. f.

f *Lipsi in Not. ad Tacit.*

Cæsaris igitur tempore, conjectura est, loca, ubi nunc Westphaliæ illa oppida sunt, quæ ad Colonienscm spectant diœcesin, parsque superior Ducatus Montensis, Vbios incoluisse *g*, postea verò ubi Rhenum transiissent, non tantum apud suam Vrbem sive Coloniam, Marcodurum usque, qui vicus eorum fuit *h*, sed etiam in tractatu illo, ubi Eflia nunc est, quæ quidem Vbiorum appellationi nomine suo satis alludit, & ex parte Duci Juliacensi paret, sedes suas fixisse.

g *Raymund. Martian.*

h *Tacit. lib. 4. c. 7.* **Eiffel.**

Cæterùm in Vbiis præter Coloniam Agrippinensium, alia etiam ab auctoribus ponuntur & commemorantur loca, quæ quidem quoniam in Antonini itinerario nominantur, illud idem cum alia quadam tabula perlustrandum hic est.

VBIORUM LOCA.

Iter per Vbiorum fines à Trevirorum Augustâ ad Agrippinensem Coloniam.

In Itinerario Antonini.	In Tabula.
A Treviris.	*Aug. Trevirorum.*
Beda vicus. XII.	*Beda XII.*
Ausana vicus. VIII.	*Ausana XII.*
Egorigio vicus. XII.	*Icorigium. XII.*
Marcomgo vicus. XXVIII.	*Marcomago VIII. hic adde XX.*
Belgica vicus. VIII.	. . . . X.
Tolpia vicus Supenorum. X.	*Agrippina VI.*
Agrippina Civitas. XVI.	

Milliarium numerus corruptissimus est utrobique.

Beda hodie **Bedburg**, Ausana item Icorigium vicus, **Ruit** ad Treviros pertinent, Marcomagum; ut ex milliarium numero evincitur, est Marcodurum, **Duiren**, de quo Tacitus hist. lib. 4. cap. 7. Hodie civitas est ex primariis in Ducatu Juliacensi, muris cingi cœpta Anno à Nato Christo 1124. unde versus isti in frontispicio Curiæ ibidem.

Anno milleno, centeno, bis duodeno
Durenses duros cæperunt condere muros.

Tolpia corruptum ex Tolpiaco. Tacit. hist. lib. 4. Tolbiacum **Zullich** in antiquis literis **Zulpete**. Supenorum vocem adulterinam, & pro ea Vbiorum substituendam esse existimat Cluverius in antiquâ Germaniâ. Belgica **Walckhusen** est. Non omittendi nobis hoc loco Talliates inter Vbios, & quidem ejus tractus, qui hodie Eiflia dicitur, Veteres olim incolæ, qui etiam Romanis monumentis antiquitatem suam probare possunt. Vocabuli vestigium supereſt in arce & vico **Vollendorff**, ditionis Juliacensis, ab Aara fluvio haud procul sito, propè quem in pago **Kipsdorff** repertus lapis candidus ita inscriptus:

MARTI ET GENIO
TALLIATIUM
CLAUDIUS VERINUS
AD PERPETUAM TUTELAM AEDIS
TALLIATIBUS DEDIT XCCL
QVAM AEDEM L. MARCIUS
SIMILIS DE SUO POSUIT.

Aliud etiam iter per eosdem fines à Mosellæ Confluentibus ad Agrippinam describitur in Tabulâ.

Confluentes		**Coblentz.**
Antunnaco VIIII.	*sine controversia hodie.*	**Andernach.**
Rigomagus VIIII.		**Rynmagen.**
Bonna VIII.		**Bonn.**
Agrippina XI.		**Colln.**

Bonna primâ sui originem Romanis debet. Primus autem Romanorum castra hic fixisse videtur M. Vipsianus Agrippa, cum Ubios Rhenum ponte traduceret, Anno ante Natum Christũ 35. Nec ipsum Agrippam XVIII. annis post primam expeditionem C. Sentio & Q. Lucretio Coss. hoc est, An. ante natũ Chr. 19. cum cõtra Germanos, haud dubiè Sicãbros & Cattos, oppido Bonnensi conter-

conterminos, Galliam infestantes exercitum adduceret, ut Dio lib. 54. auctor est, locum hunc castris locandis neglexisse credibile est. Drusus certè septem annis post, hyberna hic habuit, ponte Rhenum classeq; firmavit, circa annum ante natum Christum 12. Cluverius hîc aram Ubiorum locat, Tacito innixus, qui primæ legionis hyberna & apud istam aram *a* & Bonnæ *b* statuit : at Lipsius *c* dissentit, & propius Colonia Aram Ubiorum abfuisse putat, Taciti etiam verbis fortè adductus : is enim Annal. lib. 1. primam & vicesimam legiones à Cæcinna legato in civitatem Ubiorum reductas esse ; mox, apud Aram Vbiorum easdem legiones & veteranos nuper dimissos sub vexillo hyemasse scribit. Atque hæc Lipsii opinio probabilior videtur. Vna siquidem eademque legio in tam vicinis præsidiis divisa fuisse, aut stationem mutasse potuit. Præterea aut in Agrippinensium civitate aut non procul extra eam hanc Vbiorum aram fuisse ex celebritate ejus civitatis suspicari licet. Quin etiam, scilicet ab istâ arâ ad Sexagesimum lapidem. i. milliarium Vetera fuisse idem Tacitus Annal. lib. 1. disertè indicat. Jam verò sexaginta Romana milliaria & distantiam duodecim communium Germanicorum milliarium, quæ inter Agrippinensium civitatem ejusque viciniam & Vetera sunt, æqualiter finiri constabit, si V. millia passuum pro uno Germanico milliari computentur.

a *Ann. l. 1.*
b *Idem hist. lib. 4.*
c *Ipse in not. ad Tac.*

Infra Coloniam in Ubiis sequentia etiam notantur loca.

In itinerario Antonini		In Tabula
Colon. Agrippina leg...	*Colon. Agrip.*	*Agrippina*
Durnomago leg. VII. ala.	.....	.....
Burungo leg. V. ala.	.....	.....
Neveſio leg. V. ala.	*Noveſia. M. P. XVI.*	*Noveſio XVI.*
Gelduba leg. IX. ala.	.....	.....
Golone leg. IX. ala.	*Calone. XVIII.*	*Aſciburgio. XIIII*
Veteris leg. XXI.	*Veteribus XVIII.*	*Veteribus XIII.*

Durnomagum **Dorſſmagen**; Burungum **Woeringen** est.

Novesium primus auctorum memorat Tacitus hist. lib. 4. sub exitum Neronis. Marcellinus libro 18. habet Nivesium, hodie **Nuis**. Reliqua in Menapiis & Gugernis videbimus.

Succedunt Eburones Treverorum clientes *c*, inter Advaticos, qui postea Bethasii, Menapios, Vbios, Sylvam Arduennam, ad Mosam Rhenumque fluvios, & quidem cis hunc siti *d*. Hi sub duorum olim regum imperio Ambiorigis & Cativulci erant *e*, quo magis constat fines eorum quàm latissimos extitisse, iisque regiones eas, quæ ad Episcopatum Leodiensem, Ducatum Luxeburgensem, & Juliacensem, partémque Brabantiæ, territorium item Valckenburgense ac Aquisgranense hodie spectant, iis inclusas fuisse. Posterioribus temporibus Tungri dicti sunt. Loca quæ apud hos celebria fuere, in Antonini & Tabulæ itinerario sic notata legimus :

Eburones
c *Cæs. l. 4.*
d *Id. lib. 5.*
e *Id. ibid.*

Loca Eburonum

Antonini.

Bagacum.
Vodgoriacum XII.
Geminiacum X.
Perniciacum XXII.
Aduagam Tongrorum XIIII.
Coriovallum XVI.
Iuliacum XVIII.
Colonia XVIII.

Coriovallum.
Iuliacum XII.
Tiberiacum VIII.
Col. Agrippina X.

Tabulæ.

Bacaco Nerviorum,
Vogodorgiaco XII.
Geminico vico, XVI.
Pernaco XLIII.
Atuaca. XVI.
Cortovallio XVI.
Juliaco XII.
Agrippina XVIII.

Bagacum Nerviorum ſine dubio **Bauay** eſt; Vogodorgiacum Cluverius exiſtimat eſſe Gaurus apud **Binche**; oppidum Geminiacum hodie eſt *Gemblours*, *Perniacum Parvis*, priora duo Hannoniæ, poſteriora Brabantiæ ſunt oppida.

Sed Aduaga Tongrorum, ſive Atuaca, Cæſari lib. 6. Aduatuca eſt: malè in duas partes hujus loci vocabulum à multis deſcriptum fuit, quaſi præpoſitio, Ad, accuſativo præmiſſa ſit, id ex Cæſare conſtabit, qui d. lib. ter hujus loci meminit: Tum copiis inquit, in tres partes diſtributis, impedimenta omnium legionum Aduatucam contulit. Id caſtelli nomen eſt: hoc ferè in mediis Eburonum finibus, ubi Titurius & Arunculejus hyemandi cauſſa coſenderant. Item aliquot interjectis; Tribus horis Aduatucam venire poteſtis: Et mox; Ipſi Aduatucam contendunt. Tongrorũ appellatione & civitatis amplæ nomine à Marcellino celebratur lib. 15. Secunda Germania, ait, (prima ab occidentali exordiens cardine) Agrippina & Tungris munita, civitatibus amplis & copioſis. Poſterioribus ſæculis principes gentium per Galliam, & urbes, abjectis veteribus propriiſque nominibus, ipſarum gentium nomina aſſumpſerunt. Hodie **Tongeren** / Epiſcopatus Leodienſis oppidum, quam Auguſtum illud olim fuerit, rudera inibi etiamnum oſtendunt. Aduatucâ Coriovallum tendentibus Moſa Fluvius trajiciendus fuit, unde eo loco Trajectum civitas hodie eſt, **Tricht** / vel, **Maestricht**. Cluverius [a] affirmat Marcellinum ejus Trajecti mentionem feciſſe quando lib. 20. ait: Julianus in limitem

[a] *lib. 2. c. 19. antiq. Germ.*

tem Germaniæ secundæ est egressus, omnique apparatu, quem flagitabat instans negotium, communitus, Obtricensi Mosæ oppido propinquabat. Hinc idem Cluverius dicit, incolis olim hunc locum vocatum fuisse **Obtricht**, quasi **Overtricht**, ad differentiam Trajecti inferioris **Vtricht** / quasi **Vndertricht**.

Oppidum **Wyck** Trajectensi civitati ponte annexum, vicus ad Trajectum Mosæ Romanis antiquitùs haud dubiè vocabatur. Et licet locus iste Marcellini jam allegatus, aliter etiam legatur, quando nonnulla exemplaria pro Obtricensi Mosæ oppido, habent, Tasandro oppido; locum tamen illum Romanis notum fuisse, ex nomenclatura ejus certissimum est. Tasandrum autem, si lectio proba est, sive ut nonnulli habent codices, Toxandrum **Tessenderloo** diœceseos Leodiensis vicus erit, ita à Toxandris fortè dictus, qui populi in insulis Zelandicis inter Scaldis Mosæque ostia habitarunt, de quibus Plin. lib. 4. c. 17. A Scaldi, *inquit*, ad Sequanam, Belgica sc. *Gallia est*, & *postea*: à Scaldi incolunt extra Toxandri, pluribus nominibus; deinde Menapii, Morini. Scilicet extrà à Scaldi Oceanum versus Toxandros incoluisse insulas jam dictas intelligimus, illorumque regionem à Marcellino lib. 17. Taxandriam dici existimat Cluverius lib. Antiquæ Germ. 2. cap. 29.

Coriovallum multis **Valkenburg** est, quia in utroque vocabulo syllaba est ejusdem soni, aliàs nullæ ibi, quòd sciam, antiquitates sunt inventæ.

Aquisgranum nobilis illa civitas omnino hîc in transitu videnda quoque est, **Aach** hodie vel **Aken**. Quo verò nomine ante Caroli Magni Imperatoris tempora appellata sit, dubitatur. Ille ipse Imperator de ea ait; postquam in venatione aliquando longiùs nonnihil à Comitibus in densissimum lucum equo esset delatus, & Scaturiginem quandam calidorum fontium, palatiaque olim à Grano Romano principe, Neronis & Agrippæ fratre, ædificata, at jam tum dumis & vepribus obducta reperisset, eadem denuo se excitasse ac renovasse: atque inde Aquisgrani civitatis nomen & novum initium. At quàm verè Granum istum Neronis fuisse fratrem dicat, indè patet, quòd similiter Agrippam hujus fratrem affirmet, cum tamen non frater, sed proavus Neronis fuerit. Interim nihilominus locus hic, sicut tum ex ejus nomine, tum ex antiquis Romanis nummis ibi repertis, adde etiam, thermis calidis frigidisque conjicere non obscurè licet, Romanis fuit satis notus & celebris. Sunt qui Coriovallum hic statuunt. Equidem ab ea, quæ jam de loco hoc dicta sunt, eos non adeo à scopo aberrare puto. Et quid obstat, quo minùs hic aut certè in vicinissimo aliquo loco statuatur? Optandum autem esset, quo certi aliquid de hisce aliisque haberemus, ut Romanæ antiquitatis reliquiæ diligentiùs ipsis in locis aut indagatæ jam pridem essent, aut imposterum accuratiùs indagarentur.

Juliacum **Gulich**, sive à Julii Cæsaris castris aut stativis, sive à Juliâ Agrippinâ vocabulum habeat, Romanæ est originis; si egregia illa Romana monumenta, quæ cum Illustrissimus Dux Juliacensis & Clivensis Guilhelmus, laudatissimæ memoriæ princeps arcem hîc fundaret, è terrâ eruta sunt, adhuc extarent, magnam lucem antiquitatum studiosis haud dubiè afferrent.

Tiberiacum à Tiberio Imperatore nuncupatum, **Bertheim** est.

Inter Eburones recensendi etiam veniunt Sunici, quorum nomen quia à Tacito demum memoratum est, sicut & Gugernorum; videntur Suevi illi fuisse, huc nimirum sub Octavio Augusto per Tiberium traducti, & qui pro Cattis per errorem à Cæsare & Suetonio dicti sunt *a*. Si quis autem probè considerarit locum apud Tacitum histor. lib. 4. de occupatis à Cl. Civile Sunicis, reperiet appellationem esse non oppidi, vulgò **Zoens**, sed nationis, quæ quidem Mosâ non procul sedem suam habuerit.

a Sueton. in Octav. cap. 21.

De Treveris hoc loco, quoniam eorum clientes, ut dictum est, modò memorati Eburones erant olim, dispiciendum est.

Treveri quidem inter Belgas clarissimi, Ubiis *b* & Eburonibus, in quos sicut & Condrusos imperium tenebant *c*, proximi, antiquas sedes, hodie tamen quam olim contractiores, apud sui nominis civitatem adhuc obtinent. Horum inter Gallos virtutis opinio erat singularis *d*, plurimumque equitatu peditatuque valere existimabantur, & nisi exercitu coacti, imperata non faciebant *e*. Nam quia propter Germaniæ vicinitatem quotidianis exercitii bellis fuerant, cultu & feritate non multùm à Germanis differebant *f*. Apud hos insignis olim cognoscendarum causarum populi Romani fuit curia, Treverorum cognominata, cujus in Floriano meminit Vopiscus. Habuit hîc etiam populus Rom. posteriorib. temporibus præpositum thesaurorum & procuratorem monetæ. Hinc multa hîc & alibi inveniuntur numismata ab adversâ facie hisce characteribus insignita: P. TR. i. pecunia Trevorensis, vel TR. P. i. Trevorens. pecunia; item S. TR. & TR. S. i. signata Treveris, &c. Mosellæ etiamnum eorum urbs incumbit, Treveris **Trier** hodieque dicta. Cæsar. lib. 5. belli Gallici etiam alterius Treverorum urbis meminit, quæ Rhenum suo tempore tetigit, & Confluentia, **Coblentz**, est, à Rheni & Mosellæ concursu, cui adjacet, ita vocata. At illam Treverim quam Pomponius Mela *g* & Ausonius *h* Augustam nominant, antiquissimam, diuque ante Romam conditam esse, ac ante Romanorum adventum latè finitimis gentibus imperitasse extra omnem est controversiam. Cæterùm de illius conditore variant & fabulantur Chronicographi Monachales, aliis eam ab Abrahæ filiis, nonnullis à Trebeta filio Nini profugo ædificatam contendentibus; penes lectorem de hisce sit judicium, sicut & de sequenti hac inscriptione satis, ut apparet, barbarâ;

b Cæs. l. 6. belli Gall.
c Id. l. 4.
d Id. l. 2.
e Cæs. l. 5. & 8. belli Gall.
f Id. l. 8.
g lib. 3. cap. de extima Galliarum ora.
h In suâ Mosella. Edyl. 10.

Nini

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix,
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec toto fruitur orbe,
Expulit à patrio privignum Trebeta regno,
Profugus insignem nostram qui condidit urbem,
Treveris hæc nomen tenet ob factoris amorem,

Hi versus dicuntur in lapide sculpti esse, qui repertus est anno Chr. 1200.

Menapios jam lustremus: Eos Cæsar in Gallia inter Belgas locat, quando lib. 6. belli Gall. ait; Erant Menapii propinqui Eburonum finibus; perpetuis paludibus sylvisque muniti. Paludum istarum reliquiæ hodiéque sunt, die Peel, & tractus ille ad Mosam in't Veen dictus: sylvæ verò istæ Arduennæ, quæ latissimè olim extendebatur, appendices fuere. Sed & Morinis, hodie Flandris apud eundem Cæsarem *a* & Tacitum *b* sæpiùs junguntur. Confluentem etiam Mosæ Rhenique attigisse, ac trans Rhenum agros habuisse Cæsar clarè tradit *c*.

Menapii.

a lib. 3. & 4. belli Gallic.
b hist. l. 4.
c lib. 4. belli Gall.

Exiguum tamen illud agrorum quod trans Rhenum habuerunt, prorsus amiserunt irruptione Tencterorum & Usipetum. Horum quippe pars, quæ prælio non interfuerat, post cladem suorum se trans Rhenum in fines Sicambrorum recepit, seque cum iis conjunxit, perpetuóque postea eam Rheni ripam possedit *d*.

d Cæs. l. 4. bell. Gall.

Ex hisce manifestum est, quinnam regionum tractum olim Menapii incoluerint, nimirum ubi hodie Ducatus est Brabantiæ, Geldriæ, Dynastia Ravensteinii parsque Cliviæ cis-Rhenana. Verùm qua Rheno contermini erant, Sicambri in eorum agros tempore Augusti sunt translati *e*, qui nomine tum suo, tum Menapiorum ibi quidem abolito succedentibus temporibus Gugerni dicti sunt. A quibus etiam Gochiam deducit Joan. Turcus Registrator Clivensis inde oriundus.

e Sueton. in Octav. cap. 21. in Tiber. c. 9. Flor. l. 4. cap. 12.

Conjunctim ergò Gugernorum & Menapiorum loca videamus, & quidem Novesio Arenatium usque.

Loca Gugerorum & Menapiorum.

In itinerario Antonini.

Novesio L E G. V. ala.	*Novesio*
Gelduba leg. I X. ala.	*Colone XVIII.*
Golone leg. I X. ala.	*Veteribus XVIII.*
Veteris leg. X X I.	*Colonia Traiana.*
Castra Vlpia leg. X X X.	*Burginatio V.*
Burcinatio leg. V I. ala.	*Herenatio V I.*
Aranatio leg. X. ala.	

Milliari numerus corruptissimus est etiã in Tabula, in qua observa, quod Troiana pro Traiana scriptum sit.

In Tabulâ.

Novesio
Asciburgio XIIII.
Veteribus XIII.
Colon. Troiana XL.
Burginatio V.
Arenatio V I.

Et

In Climent. P. Bertii de reb. & urb. Germ.

Et vice versâ ab Harenatio usque ad Calonem ex tabulâ quadam à P. Bertio edita.

Harenatio.
Burginatium M. P. VI.
Colon. Traian. M. P. V.
Vetera Castra. M. P. I.
Calonem. M. P. XVIII.

Numerus milliarium hic videtur esse correctior.

Gelduba Rheno incubuit olim, ripæ adversæ per Drusum ponte juncta a. Plinius de ea lib. 19. cap. 5. Inter media, inquit, dicendum **Siser**: & ipsum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis à Germania. Hodiè vicus est exiguus paulò supra **Ozdingen** oppidum pago **Lpnn**, contiguus in diœcesi Colonienſi **Gelb** dictus, de hac Gelduba Mollerus, descriptionis Rheni lib. 5. sic canit

a Flor. l. 4. cap. 12.

In miseris pauper latitat Gelduba ruinis:
Eminus ad lævam fluminis illa stetit.
Dicitur arctato Gelbis jam nomine: firma
Contigua pagum parte Liana b *videt.*

b Lpnn.

Calonem **Kalenhusen** in Comitatu Moersensi pagum jam esse, nomen & situs ratio ostendit.

Asciburgium primus omnium refert Tacitus hist. lib. 4. Hodie vicus est **an gen Essenberg** haud procul à pago **Hoeg-Emmerick** in Comitatu Moersensi. Multa & insignia antiquitatis Romanæ monumenta ibi etiamnum effodiuntur. Sic de eo Bernh. Mollerus lib. 5.

Emericum lævâ Rheni tellure levatur
Asciburgiacæ simulachrum continet urbis.

Atque hinc erroris causa patet, cur scilicet Asciburgium hoc stetisse creditum à multis fuerit, ubi hodiè Ducatus Clivensis civitas non ignobilis Embrica ad Rhenum sita est.

Vetera Coloniamque Traianam Surita eodem loco stetisse censet, verè quidem quando παχυλῶς id intelligitur; siquidem non usquequaque sed ferè eodem loco stetisse utrobique rudera ostendunt. Vetera castra in monte qui à Quinctilio Varo, ut quibusdam placet, **Vorsseberg** nunc dicitur, circumfusáque & in ripâ Rheni planicie, ubi hodie pagus est **Veerten** non procul ab oppido **Xanten** ita fuisse, constans est & unanimis antiquiorum sententia. Id loci etiam istius facies, omnino cum Taciti c descriptione conveniens, innumera quoque eximiaque antiquitatis isthic reperta monumenta satis probant. Ex eorum numero ara hæc est anno 1631. inventa.

c hist. l. 4.

Mercurio



Mercurio Sacrum Civi Menapio. scil. positum; legendum sic suspicor.

Non procul à Veteribus Coloniam Traianam cum castris Ulpiis, & legione tricesimâ Ulpiâ statuit Pighius *a*, topographiam secutus, quæ extat in itinerario provinciarum Imperii Romani. In hoc, ait, ubi Belgicæ depinguntur limites, à Rhætis & Argentorato per Rheni ripam ac viam militarem descendendo Veteribus subjiciuntur castra Ulpia: rursus à Lugduno Batavorum, id est, Rheni ostio exordiendo, eadémque via per Rheni ripam ascendendo, apud Vetera collocatur Colonia Traiana eodem loco, quo descendendo ponuntur Ulpia castra. Inter Vetera verò, interque Ulpia castra, Coloniamque Traianam non aliam situs distantiam in itinerario jam dicto Pighius inveniſſe se testatur, quam M. P. M. b, e. milliare plus minus. Hinc concludit in Ulpiorum Castrorum, Coloniæque Traianæ ruinis nunc stare oppidum **Santen**, à sanctis Martyribus, Divo Victore ejusque sociis, ibidem tempore Diocletiani & Maximiliani Impp. ob fidem occisis, sic dictum. Atque ista Pighii topographia cum illâ consentit, quam Bertius adducit in tabulâ supra positâ, quanquam ille, sicut Cluverius, & Simlerus, aliique, Coloniam istam in pago **Kellen** apud Cliviam statuit. Verùm quia milliarium uumerus in istis itinerariis tabulis corruptissimus est, locorum nomina & antiqua monumenta sunt investiganda. Cum igitur constet oppidum **Santen**, quod ex ruinis Veterum, vicinæque iis Coloniæ emersit, in historiâ hymnoq; de D. Victore nec non in vetustis tum Latinis tùm vernaculis litteris inibi asservatis, modò Francorum, modò Sanctorum Troia, item **Klein Tropen** vocetur; monumentum insuper sepulchrale Traianensis cujusdam civis mentionem faciens, ibidem extra portam, qua Cliviam itur, non ita pridem effossum sit, Coloniam certè Traianam, indicato jam loco olim stetisse nullus quidem dubitaverit. Ejus monumenti talis facies, talisque inscriptio est;

a in suo Hercule Prodicio.

Diis manibus. M. Vetti Saturnini, Veterani legionis XXII. primigeniæ, piæ, fidelis, Civis Traianensis Marcus Antonius Honoratus.

Sed malè Castra Vlpia hîc loci similiter constituit Pighius, his ductus rationibus, quia non tantùm à Rhætis & Argentorato per Rheni ripam descendendo Veteribus subjiciuntur Castra Vlpia, eo in loco ubi ascendendo, ut antea dictum, apud eadem Vetera

ponitus

ponitur Colonia Traiana; sed etiam quia legio xxx. Ulpia cognominata ibi hyberna sua habuit, quod quidem ex infinitarum tegularum in agro Sanctensi notis satis apparet, quando sic habent LEG.xxx.v.v.h.e. legio trigesima Vlpia victrix: Verũ si quidem in isto itinerario, quod Pighius adducit, Vlpia illa castra disertè Veteribus sunt subjecta, facilè Pighio assentirer. Sed esto, nihilominus Castra Vlpia Rheni ripam descendendo non subjiciuntur sed anteponuntur Veteribus, ubi Ptolomæum rectè legerimus. Apud hũc enim post Βατάβοδλουρον ponuntur ὑστερα, post ὑστερα extat λεγίων λ. οὐλπία. i. legio trigesima Vlpia, indéque ἀγριππινησίς, ut legunt Glareanus & Birckheimerus. Et licet Cluverius & Bertius legant ἐν ᾗ λεγίων οὐλπία, quasi legio illa xxx. Vlpia in Veteribus hyberna habuisse, adeóque ipsa Vetera duntaxat & non alium quendam distinctum locum in tabulâ Ptolomæi denotare videretur, absolutè tamen absque isto additamento; ἐν ᾗ, legenda esse Ptolomæi verba apparet ex eo, quòd in Latina antiquissima Ptolomæanæ tabulæ versione, sicut post Batavodurum & Vetera; ita etiam post legionem xxx. Vlpiam ponuntur ex adverso gradus longitudinis & latitudinis, quod certè absurdum esset, siquidem Vlpia & Vetera in unum locum essent conflanda. Nec obstat, quòd in ista versione pro legionis xxx. Vlpiæ vocabulo, quia in Græco habetur λεγίων λ οὐλπία, corruptè à sciolo quodam substituta sint hæc verba, Legnorum Lupia, quasi Lupia fluvius ibi denotandus fuisset, & quidem apud gentem fictam Legnorum. Nam etsi Vlpiorum vocabulum sic fuit corruptum, non tamen hinc infertur graduum dimensionem temerè aut falsò fuisse legioni isti Vlpiæ adjectam. Ergò legionis hujus Vlpiæ supra Vetera locus fuit olim, ubi ad milliare vix unum Sanctensi oppido vicinum oppidum **Alpen** est, nomine satis alludens, & circa illud ager latissimus **op gen hulmpt** multam adhuc antiquitatum Rom. suppellectilem, ut ex effossâ illic pridem patet, sinu suo abscondens. Si verò itinerario Pighiano, in quo Vlpia Veteribus conjunguntur, standum; si etiam fragmentum illud tabulæ Riswicianæ à Pighio, in Hercule Prodicio pag. 36. adductum, probè exscriptum esset, in quâ nimirum posteris memoriæ proditum fuit, Imperatores Cæsares M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Verum Augustos scholam C. TR. VL. hoc est, Coloniæ Traianæ Vlpiæ ignibus absumptam restaurari curavisse; si denique cum Cluverio & Bertio Ptolomæus ita legendus esset, ὑστερα ἐν ᾗ λεγίων λ οὐλπία, (nam legionem istam ibi etiam hybernasse antea dixi,) certè Vlpiorum castrorum vocabulum communiter tributum esse videretur & Coloniæ Traianæ, & Veteribus, & Vlpiis, ita peculiariter novissiméque dictis, i. locis istis, ubi nunc sunt **Sancten**, **Bierten** pagus, & **Alpen**. Ad eundem modum Tricesimarum nomen ab hac tricesima legione desumptum & Marcellini ævo usurpatum, adeò vicinis hisce locis tributum & apud Coloniam Traianam utpote majorem clarioremque cæteris

tis locum relictum fuisse non negarem. Sed reliqua jam videamus.

Burginaci vestigia partim in monte qui hodie **Montberg** dicitur & sylvâ cæduâ obductus est, partim in subjectâ valle sunt conspicua; qua mons occasum spectat, & leniter sensimque fallente clivo consurgit, triplex fossa ad lapidis aliquot jactus extenditur, & facto quadrangulo oblongo recurrit, ad ejus quadranguli angustius latus alia cernitur fossa, quæ in ambitum ducta planiciem orbiculatam ovalis figuræ efficit, ubi nimirum mons in præcipitium desinit, atque ortum subjectamque vallem respicit: Munimentum ibi fuisse, ejusque extracta fundamenta fossam reliquisse diceres. Sæpius ibidem cum decisarum arborum radicibus obbæ amphoræque fictiles, & nummi sunt effossi. In valle verò, vbi villa est **opgen Boyll** dicta, campi sunt latissimi, ex quibus ante paucos annos magna tophi lapidis vis, fictilium vasculorum & tegularum non parva copia; varia insuper infinitaque ænea & argentea numismata sunt extracta. Ala legionis VI. stationem hîc suam habuit, quam legionem etiam in vicinis & Veteribus hybernasse colligitur ex tegulis isthic inventis quæ sic habent LEG. VI. VICTR.

Harenacium, vel Arenacium, diversum tamen ab Arenaco, illud videtur fuisse, quod Quadriburgum Juliani tempore vocatum est *a*. Nec enim mirum est nomina locorum, si quando hæc aut recepta aut noviter instaurata erant; postque tot præsertim annorum decursum rerumque vicissitudinem etiam à Romanis ipsis fuisse immutata. Id verò constat Arenacium hoc inter Coloniam Traianam & Noviomagum situm fuisse; & quidem ex tabulâ aliquoties adductâ:

a *Marcell. lib. hist. 18.*

Colon. Traianâ.
Burginatio V.
Arenatio VI.
Noviomago X.

Quoniam ergò Coloniæ Traianæ & Burginacii ex superiori demonstratione, Noviomagi quoque ex nomine suo situs certus est, relinquitur, Harenacium dicto loco stetisse; nimirum, ubi in pago **Qualberg** prope Cliviam innumera insigniaque è ruderum reliquiis antiquitatis Romanæ [illegible] ante non multos annos sunt extracta.

Johan. Turck registrator Clivensis.

Clivia, **Cleve**, hic ob viciniam prætercunda non est, etsi vix certi aliquid de ea habetur. Sanè Pighius in Hercule suo Prodicio eam pristinis sæculis amplam civitatem & Coloniam Romanorum fuisse, multis nititur comprobare argumentis, & præcipuè ex oratione panegyrica Eumenii Rhetoris, quam in patriâ suâ Clivâ tempore Impp. Diocletiani & Maximiani coram præside Galliæ habuit, in quâ etiam Augusti Clivensium oppidi aliquoties mentionem fecit. Et quoniam ex eadem illâ oratione habetur, Eumenium Romæ ad restaurandas scholas, instituendamque

damque Gallicam juventutem pro anno ſexcentorum ſeſtertiûm ſalario Cliviam miſſum fuiſſe, eundemq; omne illud Civibus ſuis Clivenſibus, in uſum reſtaurandarum ſcholarum, quas Mænianas vocant, liberaliter remiſiſſe, ideoq; viciſſim ab iis ſtatuâ meruiſſe; Pighius eandem illam eſſe dicit, quæ adhuc in frontiſpicio palatii interioris Principum Clivenſium in muro conſpicitur, poſtmodû in porta urbis mediaſtina hac forma renovata. In illâ præterea panegyricâ laudantur Imperatores, quod Cliviam latrocinio Bataviæ rebellionis vaſtatam, reſtaurandam curarint, ſemperque Clivia, civitas & Colonia ibi vocatur, atque à magnificis ædificiis, templis & Capitolio, commendatur, de quibus tamen nullum jam extat veſtigium, niſi fortè palatium Principum Capitolium fuiſſe malis, aut cum Pighio dicas majorem hujus Coloniæ partem à clivis per plana ſecundum Rheni ripam prolatam fuiſſe, quam bellorum clades atque Rheni frequentes inundationes funditus aboleverint, indeque quaſi in veſtigiis remanſiſſe vicini pagi nomen, nunc Kellen dicti. Quæ res Juſtum Lipſium movit, ut hanc Pighii opinionem non ſolùm in dubium vocaverit, ſed etiam corrigendo orationem Eumenii, proque Auguſto Clivienſium oppido, Auguſtodunenſium, vel Auguſtum Flavienſium; pro Cliviâ Flaviam, pro Batavica rebellione Bagaudicam ſubſtituendo; Auguſtodunum Æduorum fuiſſe, deque eâ, atque in eâ civitate ab Eumenio orationem hanc habitam eſſe, aſſeruerit; Verùm ſi iſtius Æduorum civitatis diſtantiam certè maximam à Batavis conſideraveris, quorum regionem, loco in quo dixit vicinam, Eumenius tanquam digito demonſtrat, Lipſii non minùs quam Pighii ſententiam dubiam ac incertam eſſe animadvertes; verba autem Eumenii ſunt: Aut hæc ipſa, inquit, quæ modò deſinit eſſe barbaria, non magis feritate Francorum, velut hauſta, deſederat; quàm ſi eam circumfuſa flumina, & mare alluens operuiſſet. Nam quid ego alarum & cohortium caſtra percenſeam, toto Rheni & Iſtri & Euphratis limite reſtituta? Sed quicquid ſit, locus hic antiquis temporibus ob montes collocandis aut caſtris aut oppidis appetitos itemque ob Rheni fluminis tunc viciniam à Romanis non fuit neglectus. Neque de nihilo eſt, quod in atrio palatii majore principum juſſu annotatum legimus:

ANNO AB VRBE DCXCVIII.
C. IVLIVS DICTATOR
HIS PARTIBVS SVBACTIS
ARCEM CLIVENSEM
FVNDAVIT.

Iter jam per Menapios Colonia Agrippinenſi Noviomagum & quidem in ripa Rheni confecimus, jam aliud iter excurſione quadam per Menapiorum & Gugernorum Sunicos verſus agros à Coloniâ Traianâ ad primam illam Agrippinenſem uſque juxta idem illud Antonini itinerarium inſtituamus:

Col.

Col. Traian.
Mediolano VIII.
Sablonibus VIII.
Mederiacum X.
Theudurum IX.
Coriovallum VI.
Juliacum XII.
Tiberiacum VIII.
Col. Agrip. X.

Hîc numeris milliarium utpote corruptissimis omnino standum non esse lector attentus facilè videt. Neque Mediolanum in **Mopland** arcem non ita vetustam apud Cliviam oppidum, neque Sablones apud novum illud Monasterium **Sand** propè oppidum **Straelen**, neque Mederiacum in **Swalm** collocari debere, supra ex designatione veri loci Traianæ Coloniæ satis superque liquet.

Ergò Mediolanum illud meâ quidem sententiâ ibi fuit, ubi tot antiquitatis Romanæ monumenta, incrustata musivi, ut vocant, operis pavimenta, aquæductus etiam longè satis protensi, quadrangulares tubi, ex topho lapide parietes, columnarum insigniũ fragmenta, sepulchra & numismata paucis ab hinc annis sunt eruta, in montis declivi & substrata planicie oppido Sonsbecensi haud procul, sed à Sanctensi millibus pass. antiq. IIII. juxta viam illam, quâ hinc iter istuc est notissimum. Quin & in ericeto, quod vocant **die Bennekard** apud locum, qui dicitur **dat Center Dael** non ita prìdem rudera Romanæ alicujus structuræ sunt detecta.

Sablones an in loco qui **Tevelen** in præfectura Geldrienſi, an verò in pago **Tafelen**, qui in Ducatu Juliaco, milliari uno aut altero Germanico, Theuduro .i. **Tudder**, abest, sint ponendi, viderit is, qui aliquid de antiquitatum reliquiis hoc velisto forsan loco repertis fando accepit.

De Mederiaco nihil constat.

Hîc tamen fatendum omninò est, faciliùs erroneam horum locorum ab aliis factam designationem refutare sicque destruere, quàm veram & certam dare adstruereque nos posse, id quod in multis multos pati nemo non ignorat.

Hæc Menapiorum ad Rhenum olim cis illum sita castra oppidaque fuere; jam ea quoque quæ ad Mosam Menapiis similiter accensita sequuntur, & quidem in Tabula:

Castellum.
Blariacum. XII.
Ceuelum. XXII.
Noviomagum. III.

Castellum hoc est quod Ptolomæus in tertia Europæ tabula

in Menapiis refert, interque ea procul dubio præsidia fuit, quæ
a Flor. l. 4. cap. 12. à Druso in tutelam provinciarum ad Mosam sunt disposita *a*. Castellum hoc à Juliano Cæs. Barbaris, qui id occupaverant, ob-
b Marcellin. lib. 17. sidione ereptum fuit *b*, hodie Kessel. Egregiæ ibi antiquitates repertæ hactenus sunt.

Blariacum ex Drusi castellis, & unum ex tribus illis munimentis fuit, quæ à barbaris quidem subversa, sed à Juliano iterum in-
c Marcell. lib. 17. staurata sunt *c*, hodie Blerick pagus est ex adverso egregiæ in Ducatu Gelrensi urbis Venlo.

Ceuelum pagus inter Mosam Rhenumque est Zefelick.

Quoniam in Menapiis adhuc versamur, non antè hinc digrediendum est, quàm exiguum illud agrorum, quod Menapii etiam trans Rhenum habuerunt, ac irruptione Tencterorum & Usipetum penitus amiserunt, quantùm fieri potest, viderimus.

Ocellus iste urbium Cliviacarum VESALIA sese nobis hîc primùm offert, sed dolendum est, adeò incertam esse quam nonnulli de hac urbe referunt, antiquitatem. Hadrianus Junius & alii Alisonem fuisse existimant, & hinc Lipsius ad notas suas in librum 2. Annal. Taciti, de Alisone in margine & minusculo charactere annotavit hæc verba: volunt esse oppidum quod hodie Vesalia. licèt ille hoc non sentiat. Nam fluminis nomen esse vult, auctore Vertrannio, quem rectè distinxisse apud Tacitum hæc tria ait; Castellum, scil. Lupiæ appositum, Alisonem & Rhenum, idque ad mentem Dionis, is siquidem libro 54. scribit à Druso castrum extructum ad Lupiæ & Alisonis confluvia. Sed quoniam Velleio nomen est castelli, non procul Teutoburgo, apud quod Varus cum legionibus suis periit, dissiti: à Ptolomæo quoque in quarta Europæ tabulâ ἄλισον, aleison, inter Germaniæ civitates ad Rhenum, eo loci, ubi jam stat Vesalia collocatur: parùm firmiter tam ex Velleio confictæ, quam erroneæ Ptolomæi topographiæ nituntur, quotquot Alisonem Vesaliam dicunt. Verùm sub Imperio Francorum jam tum stetisse, ac urbem fuisse, Annales Clivienses produnt, atque locum istum Romanis, ob suorum castrorum, Veterum imprimis, viciniam, placuisse, non adeo absurdum est. Referri etiam ad hanc sententiam optimè possunt, quæ scriptores habent, de præsidiis ac custodiis trans Rhenum
d Flor. l. 4. cap. 12. quoque à Druso dispositis *d*, deque novis limitibus quibus cuncta inter castellum Lupiæ, Alisonem ac Rhenum à Germanico
e Tac. l. 2. Annal. munita sunt *e*, denique de urbibus trans Rhenum in Germania
f Eutrop. hist. Rom. lib. 8. à Traiano reparatis *f*. Adde & hoc, quod multa trans Rhenum præsertim ad ejus ripam, inque locis editioribus castella firmandis præsidiis, custodiendis pontibus, & observandis Germanorum conatibus, avertendisque eorum in Gallicam ripam irruptionibus, à Romanis primùm extructa, posteaque à Francis victoribus aut penitus fuerunt abolita, aut pro sua commoditate immutata iisque aut antiqua Romana nominata retenta, aut nova

etiam

etiam indita. Atque horum aliquid locus iſte, ubi Veſalia nunc ſita eſt expertus quondam eſſe potuit. Sunt qui affirmant antiquos Romanorum nummos propè hanc urbem apud viculum **Fluiren** ubi ante non multos annos Lupia Rhenum influxit, quâ montoſa nonnihil ibi terra eſt, inveniri. Hermannus Comes Nuenarius temporibus Caroli Magni, Lippiæmundam eo quod Lippia hîc Rhenum influat, appellatam ſcribit in Comment. de Gallia Belgica. Sic quid loci & quo nomine inſignitum olim fuerit oppidum caſtrumque **Herenberg** Embrica non procul ſitum non facilè conſtat, quamvis ibi egregiæ Rom. Antiquitatis reliquiæ ſunt repertæ, utpote ſepulchra antiqua & numiſmata. Eximium aureum nummum Julii Majoriani Imp. hîc inventum, Embricæ vidi.

In proximo præterea monte Alcinio, ab altitudine fortè adhuc vocabulum habente **Eltenerberg**, ubi Abbatia hodie eſt generoſarum virginum S. Vito conſecrata ſpeculam olim fuiſſe, profundiſſimumque in ejus cacumine ad imum uſque fundum excavatum puteum Romanorum certè opus eſſe apparet.

A Menapiis Gugerniſque jam ad Batavos per nemus ſacrum utrorumque confinia tangens & tegens tranſeamus. Saltus illius Clivenſis & Imperialis ſylvæ nomine hodie venit, **het Cleber ham und het Rpckſwaldt** vulgò, eſtque illud ipſum, in quod Imperii Veſpaſiani initio Cl. Civilis primores ſuæ, id eſt, Batavæ gentis ſpecie epularum vocavit, noctéque ac lætitia caleſcentes adverſum Romanos incitavit *a*.

Batavi autem, inquit, Tacitus *b*, non multùm ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſtica in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos & antiquæ (cum Romanis videlicet) ſocietatis inſigne, nam nec tributis contenuantur, nec publicanus atterit, exemti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti, velut tela atque arma bellis reſervantur.

a *Tac. hiſt. l. 3.*
b *lib. de ſit. & morib. Germ.*

Tantum ille. Egregia profecto gentis iſtius gloria, quam ad hæc uſque tempora non tantum illibatam, ſed illuſtratam majorem in modum ſumma cum laude propagavit. Inſulam iſtam vetuſtatem pariter & modernam etiamnum Batavorum ſedem, nomen priſcum in hunc diem ex parte cuſtodientem, egregiè idem Tacitus deſcripſit lib. 4. hiſt. Batavi, inquit, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum, ſeditione domeſticâ pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter vada ſitam occupavere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumfluit. Quin etiam luculenter hanc auctores ſuis limitibus deſcriptam exhibent, quando de Moſæ Rhenique fluminum fontibus ac oſtiis ſcribunt. Cæſar libro 4. belli Gallici, ait; Moſa profluit ex monte Vogeſo qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam Rheno receptâ quæ

appellatur Vacalos (vel ut legunt antiqui codices Uualis, die Waele) insulam efficit Batavorum, neque longiùs ab eo millibus passuum LXXX. in Oceanum influit. Tacitus verò de Rheno sic : Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavi, velut in duos amnes dividitur, servatque nomen & violentiam cursus, qua Germaniam provehitur, donec Oceano misceatur : ad Gallicam ripam latior & placidior affluens, verso cognomento Vahalem accolæ dicunt : mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, ejusque immenso ore in Oceanum effunditur.

Neque hîc silentio involvendum duxi, quod habent Pomponius Mela & Plinius de Rheni fluminis alveis ostiisque. Ille lib. 3. cap 4. Rhenus, inquit, ab Alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium, mox diu solidus, & certo alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur; sed ad sinistram amnis etiam tum, & donec effluat, Rhenus : ad dextram primò angustus, & sui similis, pòst ripis longè ac latè recedentibus jam non amnis, sed ingens lacus, ut campos implevit, Flevo dicitur, ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterúmque fluvius emittitur. Hîc notandum Melam aut nescivisse, aut saltem referre noluisse tertium Rheni alveum se. Vahalim, aut, ut Glareanus existimat, Vahalim Rheni nomine indigitasse. Flevo verò alveus est ille, qui Trajecto Muydam porrectus, fluvium in lacum australem, vulgò Suiderzee, exonerat, fluviusque deinceps insulam olim, hodie Vadum Berlandt dictum prius amplectitur, statimque ostio, quod inter Vhielandiam Schellingamque insulas est, emittitur. Atque hoc est ostium illud quod hodie vulgus het Vlie, Plinius verò Flevum vocat. Hîc lib. 4. cap. 15. in Rheno ipso ait, propè C. Milha passuum in longitudinem nobilissima Batavorum insula & Caninefatium, & aliæ Frisiorum, &c. Marsatiorumque sternuntur inter Helium & Flevum; ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargit; medio inter hæc ore modicum nomini suo custodiens alveum, hæc ille. Flevum ostium quodnam fuerit vidimus, at Helium idem esse, quo Mosa Vahali accepto in mare præcipitatur, ex accurata Plinianæ descriptionis inspectione evidens est : An verò Helium istud ostium peculiarem quoque alveum habeat, Leccaque sit; an verò idem sit Vahalis alveus, ego hîc aliis dispiciendum relinquo. Sed modicum illum nomini suo custodientem alveum eum esse, qui Leidam fertur, nullus ignorat. Latissimum tamen fuisse vel inde quod nomen Rheni unus solus tulerit, tum Plinii tum nostro ævo, certum est. Atque hanc latitudinem violentiam cursumque fluminis hujus Tacitus attendit, licet Plinius ante eum suam historiam scripserit, quia ille de priore Rheni facie loquitur ante ejus abactionem factam per Civilem, quando is molem sive aggerem à

Druso

Druſo Germanico coërcendo Rheno excitatum disjiceret *a*, Rhenumque adeo prono alveo in Galliam ruentem per Leccam effunderet *b*. Hîc notandum Leccam non eſſe Corbulonis foſſam, hunc in finem, ut eâ Oceani incerta vetarentur, inter Moſam XXIII. millium ſpatio productam. Nam Lecca remotior Oceano eſt, quàm ut huic fini ſervire potuerit, & longitudine ſuâ ſpatium illud XVI. & ultra paſſuum millibus excedit. Quærenda igitur alibi foſſa iſta erit, nimirum ubi ab urbe Leyda vulgari nomine **die Flict**, q. d. æſtuarium, Delftam fertur, indeque ad vicum **Slups** Moſæ jungitur. Sic proxima oceano adfluxus ejus vetare potuit, ſic etiam ſpatio XXIII. mill. paſſuum quàm maximè congruit. Cæterùm iſtâ Rheni abactione & effuſione tenuis iſtius alvei oſtium arenis tandem ex tumulis litoralibus vento aut inundatione aliqua ingeſtis, multis tamen retrò ſæculis facilè obſtructum eſt. Supereſt adhuc alius Rheni alveus, qui à Druſo foſsâ è Rheno in Iſſalam ductâ factus eſt. Nabaliam dici à Tacito vult Cluverius; qui illam lectionem probat, q. d. **Die Nae-wahle**, argumento ex Ptolomæo ſumpto, qui Navalia urbem ad Iſſalam pro ipſa foſſa ſive Iſſala reponit: argumento etiam, quòd Civilis poſt tentatam in Moſæ fluminis ore pugnam trans-Rhenum conceſſerit, indeque mox in Batavorum inſulam ad Vahalim, poſtquam ſcilicet Cerealis inſulam iſtam depopulatus eſſet, Bataviſque eripuiſſet, redire nequiverit. Hæc de Rheno ejuſque alveis & oſtiis occaſione inſulæ Batavorum à nobis luſtrandæ.

a Tac. Ann. lib. 13.
b Tac. hiſt. lib. 5.

Caninefates quoque hîc prætereundi neutiquam ſunt, quandoquidem de iis ſic Tacitus hiſt. lib. 4. Ea gens, ait, partem inſulæ colit, origine, linguâ, virtute par Batavis, numero ſuperantur. Cluverius iis eam maximè Rheni ripam, quæ ab Arnhemio Lugdunum uſque porrigitur, aſſignat. Videntur tamen hiſce finibus minimè contenti fuiſſe, ſed occupatâ etiam Hollandiæ Borealis parte ibi Kennemerlandis nomen in hunc diem manens tribuiſſe.

Videamus jam loca apud Batavos Caninefateſque, prout in in tabula itineraria Cluverius ea in ordinem meliorem redegit.

Latus ſiniſtrum ſive Auſtrale vel occiduum inſulæ habet hæc loca:	Latus dextrum ſive Septentrionale habet hæc loca:
Noviomagi X.	*Ad duodecimum XII.*
ſc. paſſ. M. ab Arenatio.	*ſc. paſſ. M. ab Arenatio.*
Caſtra Herculis. VIII.	*Grinnibus VI.*
Carvone XIII.	*Fletione XXV.*
Levefano VIII.	*Nigro pullo V.*
Lauri XVIII.	*Albinianis X.*

Caſpingia XII.
Tablis XII.
Flevio XVIII.
Foro Adriani. IIII.
Lugduno VII.
Matilone V.
Prætorio Agrippinæ III.
Lugduno II.

Utrumque latus confusè ſic apud Antonium deſcribitur:

Colon. Traiana.
Burginatio V.
Herenatio VI.
Carvone. XXII.
Mannaritio. XXII.
Trajecto. XV.
Albinianis. XVII.
Lugduno. X.

Numeris milliarium corruptiſſimis, ſicut videre eſt ex utriuſque lateris inſulæ Dimenſione inter ſe collatâ, nullo loco habitis, breviter iſta loca cum modernis inſulæ locis conferamus.

Noviomagum quis ſit locus non opus eſt dicere, Oppidum Batavorum à Tacito hiſt. lib. 5. vocatur, quod Cl. Civilis poſt cladem apud Vetera acceptam exuſſit atque illinc in inſulam trajecit. Id oppidum ad id uſque temporis Batavis unicum fuerat, atque ideo ſingulari nomine oppidi intelligebatur, ſicut Colonia Agrippina eidem auctori Ubiorum oppidum appellatur. Infra, intra, & ſupra Noviomagum longè latéque plurima eaque inſignia Vetuſtatis Romanæ monumenta effodiuntur, Legio x. Gemina dicta hîc hyberna habuit, ut tegulæ ibidem inventæ teſtantur. LEG. X. G. P. F. h. e. legio decima Gemina, pia, fidelis. Poſthumus etiam Principis & Imperatoris veriùs quàm tyranni nomine dignus, qui Remp. Rom. ſuſtinuit Gallieno interim luxu diffluente, monetam hîc ſuam plerumque cudi fecit, ſicut ex multis apud egregium antiquitatum Rom. indagatorem doctiſſimum Dn. Joan. Smith indiciis equidem vidi. Nihil hîc moramur Cluverium aliàs doctiſſimum clariſſimumq; antiquarium, quando Batenburgum ad Moſam exiſtimat vetus fuiſſe Batavorum oppidum, cum antiquitates ipſæ hîc loci non verò Batenburgi inventæ pro nobis faciant. Et licèt non legamus oppidum Batavorum, poſtquam exuſtum fuit, denuò reſtitutum fuiſſe; id tamen eſſe factum res ipſa loquitur.

Caſtra Herculis Ammiano lib. 18. memorata in loco, qui Noviomago haud procul abeſt, diciturque **an gen holle Dozn**, & multas inſuper hactenus prodidit antiquitatum Rom. reliquias, ponenda opinor.

De Carvone alios audire, quam hîc quicquam dare malim. Cluverius paronymias potius vocabulorum, quàm antiquitates locorum ſcrutatus, apud Graviam oppidum quærit, ſed ἀτόπως quippe cis Moſam.

Quinque

Quinque sequentia loca Cluverius sic interpretatur: **Leuwen** vicus, **Leerdam** oppidum, arx **Giessenburg**. **Delft** non ignobilis civitas, locus scilicet ad fossam Corbulonis vulgò **die Fluet** situs. Certa hîc sunt incertis mixta meo quidem judicio, & si quis certa omnia dicere hæc velit, antiquitates locorum indagatas habeat, est necessum.

Sed Forum Adriani **Voozburg** est, ubi legio prima Minervalis stationem habuit, teste lapide duobus Silanis Coss. sculpto, inibique non ita dudum effosso.

Dextrum jam insulæ latus similiter lustremus, ut sic tandem Lugdunum attingamus.

Arenacum hîc locis itinerarii præmittit Tacitus histor. lib. 5. Cluverius opinatur unum idemque esse cum Arenatio, quod inter Burginatium Noviomagumque recta via situm fuit, meo judicio **op gen Egeren bp Qualberg**, de quo in Menapiis: At Arenacum **Renckum** esse vicum Arnhemio vicinum doctis nonnullis placet, quia ibi numismata antiqua reperta haud pridem fuêre. Arenaco Tacitus Vadam Grinnesque castra conjungit dicto lib. Vadam autem **Wageningen**, Grinnes **Rhenen** esse omnes consentiunt, sed Vadam ad duodecimum etiam in tabula itineraria dici putat Cluverius, sicut & Mannaritium in Antonini itinerario **Maurick**. Cæterùm Arenacum, Vada & Grinnes eodem quidem olim ut nunc situ in Batavorum insulâ haud minùs fuere quàm Batavodurum eidem Tacito celebre, hodiè extra controversiam **Wyck to Duerstede**, sed flexu Autumni, ut Taciti utar verbis, & crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis Rhenus palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. Ista inundatione facilè factum, ut paulatim Germanicæ oræ ista loca accesserint. Trajectum **Utrecht**, hodie præclara civitas, dubio procul, sicut & Fletio **Vleuten** vicus est. Niger pullus Cluverio **Woerden**.

Albiniana verò castra à Clod. Albino, cujus numismata ibi & in Foro Adriani inventa sunt, sic nuncupata, hodie **Alphen** dici omninò certum est.

Matilonis locum ædificiis vacuum ex adverso vici **Koudekerken** idem Cluverius monstrat.

Prætorium Agrippinæ **Koomburg** est Lugduno quàm proximum & antiquitatibus inventis celebre.

Lugdunum denique propè Rheni quondam ostium, Ptolomæo etiam notum, **Leyden** est nobilissima hodie Hollandiæ civitas, Academiâ clara. In ea adhuc Romanæ structuræ opus, vulgo **de Burg** dictum, ostenditur. Locus hic procul dubio ad illa hyberna & castella referendus est, de quibus Tacitus histor. lib. 4. hisce verbis: Statimque accitus Frisius (trans-Rhenana gens est) duarum cohortium hyberna, proximo occupato Oceano irrumpit sc. Brinio. & mox: simul excidiis castellorum imminebat, quæ à præfectis cohortium incensa sunt. Et huc pertinuit munimen-

tum

tum illud ad ipsum Rheni jam obstructum Arenarum tumulis ostium, quod arcem Brittiam, Procopii fabulosi scriptoris rer. Gothicar. lib. 4. errore vulgus dicere amat.

Prolixiùs autem ea retulisse juvat, quæ de Batavis produnt scriptores, non tàm quòd vicini illi fuerint nostris Geldris & Clivensibus, quàm quòd utrique hi pars illorum fuerint olim, tàm in ipsa Batavicâ insulâ, præcipuéque ad ejus caput, ubi nunc est Schenckianum munimentum, quàm extra eam & certè ad ejus utrumque latus.

Frisios postremùm his addamus, utpote Batavis maximè vicinos. Gens trans-rhenana fuit olim, hodiéque cum nomine prisco priscam simul virtutem patriámque servat. Majorum minorumque distinctum iis nomen olim etiam tributum. Hi Oceano Rheno & Flevo claudebantur, ubi Hollandia Borealis & Trajectensis provinciæ pars est: Illi ab eodem Flevo lacum circa Australem, Velaviam, Transissalaniam, Frisiam Groningamque provincias ad Amisiam usque fluvium inhabitarunt. Quos apud Flevum fuit, castellum Flevi ostio appositum in Vlielandia insula ad Oceani littus in quod Olennius infensos fuga Frisios prævertit *a*, à quo aut sumptum nomen quod alveo daretur, aut certè mox ab alveo natum, retentum est. Omnes hi in universum populi qua trans Rhenum habitabant Germanis, qua cis illud flumen, Gallis & quidem Belgicis quanquam omnes Germanicæ erant originis *b*, accensebantur, donec debilitatis fractisque hisce in partibus Romanorum viribus, populorum istorum distinctæ appellationes sunt sublatæ & Francorum omnia occupantium sibique vendicantium nomen præcipue ad utramque Rheni ripam, Saxonum etiam, qui Francorum illa tempestate erant æmuli, vocabulum ad ulteriorem fluminis istius partem, tandem, ut initio dixi, inolevit. Igitur antequam de moribus populorum istorum quicquam attingamus, placet nonnihil de Francis & Saxonibus hoc loco interfari. Franci in Chaucis juxta Saxones Septentrionalis Oceani olim accolæ, imò ipsi Chauci fuêre. De eorum siquidem antiquâ patriâ in panegyrico, qui dictus est Constantino M. sic legimus: Quid loquar rursus, ait panegyristes, intimas Francię nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed à propriis ex origine sui sedibus, atque ab ultimis Barbariæ littoribus avulsas, ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ pacem Rom. Imperii cultu juvarent & arma delectu. hæc ille. Proinde apparet, quænam propriæ Francorum sedes fuerint, & quidem avitæ. Haud enim frustra addit: Ex origine sui, sive ex originis suæ sedibus, scilicet tractus littoralis Oceani Germanici. Hinc cum Galliam itinere pedestri incursare libuisset, præcipuè Bataviam & extrema Galliæ per Frisios infestabant, sicut ex Eumenii & aliis duabus panegyricis orationibus clarè satis videre est, & infra sub Constantio & Constantino Magno Impp. movebitur. Id quoque satis arguit oceani Germanici littus eos accoluisse, quod piraticam exer-

a Tac. lib. Annal. 4.

b Cæs. l. 2. belli Gall. & Tacit. de sit. & mor. Germ. ubi de Treveris & Vbiis.

exercuerunt, totius ferè Europæ littora populati, ut infra sub Probo Diocletiano item & Maximiano Impp. dicetur.

Sub Aureliano Imp. Fl. Vopiscus primus, quod sciam Francos memorat. Nec est quod hîc cum Paulo Æmylio recente scriptore Francones seu Frangones ex Ciceronis ad Atticum quadam epistola quispiam objiciat, cum locus iste miserè sit depravatus. Germanos, inquit paulò superiùs, illasque nationes se audita de Cæsare, legatos misisse ad Aurelium, qui est præpositus ab Hircio; se, quod imperatum esset, esse facturos. Hucusque Cicero, qui paucis interjectis iterum: Redeo ad tuos Bassas, Scævas, Fangones, &c. Virorum non nationum sunt nomina, nec hos ad nationes illas, quas legatos misisse ante dixerat, quicquam pertinere, satis innuit transitio illa per verbum *redeo* expressa. Et cur quæso ipse Cæsar in suis Commentariis hos Francones silentio præterisset, si illi legatos ad ipsum cum cæteris misissent? Malè igitur Rhenanus pro Frangonibus Vangiones, at rectius Cluverius Fangones substituit. Ante Aureliani itaque Imp. tempora vix notum Francorum nomen, quippe sedibus suis tam diu detenti, ideoq; ignobiliores, donec Romanis exturbatis sibi viciniisque libertatem priscam, & cum libertate nomen illud armis acquirerent, Romanorum interim imperatoribus ignaviæ luxuiq; deditis, adeoque extrema Imperii negligentiùs & ut derelicta habentibus. Sic factum, ut non tàm ad Oceanum Germanicum Chauci, quàm ad Rhenum, Usipii, Tencteri, qui olim Sicambri; imò Ansivarii, Chamavi & Bructeri Cherusci denique & Catti, in unum corpus congressi Francorum nomen assumpserint, aliasque etiam nationes tum sibi subjecerint, tum libertatis recuperandæ propagandæq; studio ad se pellexerint, & ad Mænum Salamque usq; sedibus propagatis, Rhenũ transeundi Galliasque infestandi occasionem nacti fuerint. Sic quoque illarum nationum nomen sortiti, nunc Salii, nunc Ansibarii, Chamavi quoque Sicambri & Bructeri pro locorum diversitate dicti fuere. Saliorum & Ansibariorum meminit Marcellinus lib. 17. & 20. ab his Saliis lex Salica Francorum, & ut nonnullis placet, Sallandia Issalæ contigua nomen accepere. Claudianus etiam Salios, Sicambros, Chaucos & Francos conjungit in encomio Stilichonis, vide infra sub Honorio. Idem facit Apollinaris Sidonius, qui vixit sub Majorano & Anthemio Impp. in laudibus Consentii, Francos Sicambrosque jungens:

Tu Vidrum & Vahalim, Visurgin, Albim,
Francorum & penitissimas paludes
Intrares, venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutis.

Per Sicambros intelligit Ulpios & Tencteros, quia hi in illorum loca successerant. Ideoque & Remigius quondam Remorum Archiepiscopus Clodoveum Francorum Regem sacro fonte tingendum ita est allocutus: *Mitis depone colla Sicamber.* Chamavi

etiam

etiam dicti fuere, ſicut ex tabula itineraria à Peutingero edita apparet. In illa ad Rhenum ab ejus oſtiis aſcendendo hæc loca poſita ſunt additis milliarium numeris ſed corruptiſſimis: Carvo. Caſtra Herculis. Noviomagus. Burginatium. Colonia Traiana. Vetera. Aſciburgium. Noveſium. Agrippina. Ex adverſo horum locorum trans Rhenum, quem linea protracta deſignat in dextro latere, & à parte Germaniæ hoc vocabulum characteribus per intervalla locatis adſcriptum reperitur FRANCIA; at verſus oſtia Rheni ab eadem ejus fluminis parte leguntur hæc nomina: CHAUCI, VAPLUARII, ſcribendum: ANSUARII, CHREPSTINI, ſed id planè corruptum eſt; ſcribendum: CHERUSCI, CHAMAVI, QVI ET FRANCI; ſequuntur BRUCTURI ſimiliter ſub Francia comprehenſi, vide Sulpit. Alexandr. apud Gregorium Turonenſ. Atque hæc χωρογραφία Francorum eſt, antequam Rhenum tranſiviſſent factâ ſui juris Galliâ, cui conſentit D. Hieronymus, cum in vita Hilarionis ſic ſcribit: Inter Saxones & Alemannos gens non tam lata quàm valida, apud hiſtoricos, Germania, nunc verò Francia dicitur. Ubi tamen obſervandum Saxones jam tum tranſito Albi Francicum littus, quà Chaucarum erant ſedes, occupaſſe. Nec hinc abludit tabula illa auctore Ruperto Tuitienſi Abbate ſupra memorata de terra Francorum deque in ea, Divitenſi munimento. Hæc omnia Francos non ex aliqua ſuperioris Germaniæ, ut nonnulli volunt, ſed ex inferioris potius regione prodiiſſe, licèt in ſuperiori earum nomen adhuc maneat, quouſque ſedes ſuas promoverant, ſatis oſtendunt. Non tamen ibi ſubſiſtere ita potuêre, quin aliquoties, quamvis repulſi, Rheni tentarent tranſitum. Affectabant enim Gallias, quarum tandem non ſolùm, ſed etiam totius ferè Europæ Imperio, creatis ſibi ex ſua gente regibus habitis quoque & ſuperatis variis conflictibus potiti ſunt.

De Francis hactenus, ſequuntur Saxones. Ptolomæus eos Cauchis majoribus ad Albim uſque protenſis, trans illud fluvium vicinos fuiſſe, & ſuper cervicem Cimbricæ peninſulæ habitaſſe ſcribit, ubi nunc eſt Holſatia. Inſulas quoque adſignat tres juxta Albis oſtia, quos Saxonum vocat, hodie **Strand**, **Buſen**, & **Heilige land**. Tacitus [a], illo loco ponit Foſos Cheruſcis tunc & Cimbris conterminam gentem. Quapropter Cluverius FOSI corruptam eſſe vocem pro SAXONI primâ ſyllabâ SA amiſsâ, dein X & N vitiatis in F & S. exiſtimat, quia & aliæ Germanicæ gentes antiquis Rom. ſcriptoribus eâdem terminatione in ONI ſunt traditæ. Dixi Saxones Cauchis fuiſſe vicinos, ergò & Francis, ſicut ex ſuperioribus præceptum. Piraticâ enim cum illis jam tunc celebres Diocletiani principatu fuêre, ut Eutrop. teſtatur lib. 9. & Sidonius carm. VI.

[a] *Tacit. de ſit. & mor. Germ.*

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat; cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Ubi

Ubi obſervandum ſperare pro timere uſurpari, & Saxones coriaceis lintribus uſos. Ideoque etiam in Belgica extrema littus adverſum ipſos præpoſito munitum fecerunt poſteriores Rom. Impp. vide Marcellini lib. 27. & 28. Verùm cum Saxones æmulatio inceſſeret, quòd viderent Francos Allemannóſque mutatis ſedibus quotidianis prædis ditari, ipſi etiam in Romanos fines incurſionem facere aggreſſi ſunt. Quare Albi tranſito Francorum præcipuè ad Oceani Rhenique littora nonnullas nationes, Chaucorum, ſcilicet, Friſiorumque ſedes ad Rheni uſque oſtia. Chaucos etiam gentis ſuæ partem, ait Zoſimus lib. 3. in narratione rerum à Juliano ad Rhenum geſtarum, hoc eſt, poſtquam eos gentis ſuæ partem jam feciſſent, in Romanum ſolum emittunt, qui Salios Francorum partem vi Saxonum in Bataviam ſuis è ſedibus rejectos expulerunt. Hinc tempore Valentiniani in Oceani littoribus & paludibus inviis habitaſſe, virtutéque & agilitate terribiles in Romanos fines eruptionem meditatos fuiſſe tradit Oroſ. lib. 7. cap. 31. & ex eo P. Diaconus lib. 11. Et quanquam in Francorum finibus oppreſſos ſcribunt, non tamen ita vires amiſerunt, quin Bataviam pedeſtribus præliis attriverint tempore Theodoſii, ut habet panegyriſtes Pacatus. Nec obſtat eos ibi ſaltem fuiſſe tunc debellatos, cum virtute ſua atque armis latam ſibi per Germaniam ad Albim, indéque viciſſim ad Rhenum, ubi nunc eſt Weſtphalia, Alemannis Franciſque demigrantibus, imò ad Britannias tempore ſcil. Theodoſii junioris & Valentiniani tertii anno Chriſti 430. viam aperuerint. Verùm quoniam omnia viciſſitudinibus ſunt obnoxia, Britannias Saxonum quidem propago in hunc uſque diem tenet, at quàm varias clades in Germania ſub Rege ſuo Witekindo à Carolo M. Francorum Rege Romanorúmque Imperatore experta, quomodóve viciſſim, Francis Galliam ſolam prementibus, ad Imperii Romano-Germanici culmen in Ottone Magno Imp. evecta fuerit, inferiùs paucis videbimus.

MORES POPVLORVM

Omnium Gallorum, ut Cæſar [a] ait, natio, admodum dedita fuit religionibus, ideoque & has noſtras præſertim trans-Rhenanas gentes, quoniam ſub Gallis comprehendebantur, quantumvis barbaras, ab omni religione abhorruiſſe, quis audebit affirmare? Cum cæteris ergò Galliæ nationibus, Deum maximè Mercurium artium omnium, quæſtus pecuniarii, ac mercaturæ inventorem, cujus plurima habebant ſimulachra, coluerit. Poſt hunc Apollinem & Martem, & Jovem, & Minervam, deque iis eandem ferè quam reliquæ gentes opinionem habuere. Ad ſacrificia ſua, quæ ſæpè humanis victimis peragebant, Druidibus adminiſtris uſi fuêre. Trans-Rhenani verò, quia gens Germanica, neque Druides habuere, neque ſacrificiis operam dedêre, Deorum tamen numero duxere, quos cernebant, & quorum opibus apertè juvabantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem accepere. Hæc quidem de his Cæſar, verùm aliter Tacitus,

[a] lib. 6. belli Gall.

at

a *de sit. & mor. Ger.*

at non parvo post Cæsarem intervallo: Deorum, scribit, *a* máximè Mercurium illos coluisse, ei certis diebus humanis quoque hostiis litare, fas habuisse, Herculem ac Martem concessis animalibus placasse, fœminasque fatidicas habuisse, quas inter celebris fuit sub Divo Vespasiano, Velleda virgo *b*, nationis Bructera, cujus inter trans-Rhenanas nostras nationes tanta erat auctoritas, ut ab ea quasi numinis internuncia consulta responsaque acciperent, & augescente superstitione Deam illam arbitrarentur. Quin etiam templa illis fuisse, celeberrimum illud Tanfanæ fanum *c*, quod apud Marsos fuit olim, & ab exercitu Germanici solo æquatum, argumento est. Cæterùm apud Rheni utrique ripæ adjacentes hosce populos, matrimonia severa, *d* agriculturæ, *e* & victus, *f* non adeo diligens cura, ut nec cultus, nisi quod victum attinet, cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum; & potus ipsis fuerit, humor ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini coctus, corruptus dicitur Tacito, cui cerevisia grata non fuit. Ripæ tamen Rheni proximi & vicinum mercati fuêre. Mercantibus iis (loquimur & hîc de Rheno proximis) pecunia prius mercibus suis à Romanis acquisita in usu cujus formas quasdam agnoscebant atque eligebant, Serratos Bigatosque. Nummi autem Serrati erant, quorum extremitas Serræ ad instar incisa erat, probandi gratia, an probi, an verò subærati essent. Bigati verò erant, quorum unum latus bigas exhibebat, ut plerumque familiarum Rom. nummi antiquissimi, ideoque maximè probi. Ad cultum deinde quod spectat, inter eos Sicambri, Suevorum more *g* crines, qui ipsis naturâ flavi, crescere siverint, & artificio quodam interserint, atque in nodos concinnarint, testibus Martiale *h*.

b *Id. ibid. & hist. lib. 4.*

c *Tacit. Ann. l. 1.*

d *Id. de sit. & mor. Germ. &* e *Cæs. lib. 6. bell. Gall.*

f *Id. ibid. & Mela lib. 3. cap. de mor. Germ.*

g *Tacit. de sit. & mor. Germ.*

h *Epigr. 3.*

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

i *de quart. Consulat. Honorii.*

Item Claudiano *i*.

Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Cæsariem.

Vetustissima his etiam procul dubio consuetudo fuit, quemadmodum & Germanis Celtisque vicinis Rheni accolis prima legitimæ sobolis indicia flumine judice dare; recens enim natos ad Rhenum detulerunt, scutoque impositos alveo vel rapidissimo commiserunt, agnoscentes pro suis, quibus unda pepercit; quos si hausisset, adulterio conceptos opinati; Meminit hujus moris Claudian. in Ruff. lib. 2. quem Gallis ibi tribuit:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Denatos verò seu defunctos vitâ rogo impositos cremare soliti sunt *k*, quanquam pro cultu Gallorum sumptuosiora erant funera cis-Rhenanorum *l*. Armorum autem & rerum bello gestarum tantâ gloriâ claruerunt, ut nullis hac in parte cesserint, siquidem qua ultra Rhenum incolebant, cæteris Germanis virtute inferiores neutiquam fuere, jure igitur etiam ad illos hoc: Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse *m*: quà

k *Tacit. de sit. & mor. Germ.*

l *Cæs. l. 6. bell. Gall.*

m *Tacit. An. l. 13.*

utra

citra illud flumen habitabant, Belgarum magnifico nomine illustres, omnium Gallorum fortissimi, vel Julio Cæsare *a* judice, olim sunt habiti. Quin etiam in ea Germanorum manu, quam Romani Imperatores corporum suorum custodiæ adhibebant, fuisse hos, ut existimem, hinc adducor, quod Batavis & Frisiis quoque, quibus contermini fuere, hoc honoris sit tributum olim (de Batavis Sueton. in Caligul. c. 43. de Frisiis lapis Interamnæ: HILARIVS NERONIS CORPORIS CVSTOS NATIONE FRISO VIX. ANN. XXXIII) quod insuper metu aliquo & suspicione ob Varianam cladem, Germanorum hanc manum dimiserit Augustus *b*, quanquam eam postea idem recepit, ac inter initia principatus sui habuit Tiberius *c*. Certè non levis hinc conjectura est, quos è satellitio suo dimisit Augustus, sivè odio, sivè suspicione, iis qui Varum & cum eo tres legiones non procul à Teutoburgensi saltu trucidaverant, unâ aut contiguâ patriâ junctos fuisse. Adscribere hic operæ precium existimavi, quæ de Sicambrorum militia habet Wolffgangus Lazius, sedulus rerum antiquarum indagator: Meminit, ait, Sicambrorum cohortis C. Tacitus Romanorum in exercitu lib. 4. Item: militabat hujusmodi cohors Romanorum & inclinante imperio, ut ex Marcellino constat. Et post ea: huc pertinent quæ de Sicambria civitate, & Sicambrorum legione in Pannonia sub Valentiniano in limite Istri præsidium agitante, annales Hungariæ referunt, & ejus loci vestigia ostendunt in Schombri loco ruinoso haud procul à Buda. Hæc ille. Bonfinius rerum Vngaricarum decad. 1. lib. 1. scribit: supra Budam veterem in eadem Danubii ripâ vetustissimæ urbis vestigia nunc cernuntur, magnumque murorum ambitum referunt, Sicambriam nunc juniores dicunt, à Sicambris remotissimis Germaniæ populis: Nam civitas ista ex auxiliatrice Sicambricâ legione Germaniæ vocem olim assumpsit, &c. Ad Lazium revertor; is ibidemque, inter Germanorum cohortes auxiliares in Aphrica contra Gildonem Sicambros quoque fuisse ex Claudiano *d* probat, ubi is hanc Stiliconis ad Honorium adhortatoriam introducit:

a lib. 1. bell. Gall.

b Suet. in Aug. c. 49.
c Tac. l. 1. Annal.

d de bell. Gildon.

Hortator me cegit avus; quonam usque remoti
Cunctamur? decuit pridem complere biremes,
Et pelagi superare moras: transmittere primus
Ipse paro; quæcunque meo gens barbara nutu
Stringitur, adveniat: Germania tota feratur
Navibus, & sociâ comitentur classe Sicambri,
Pallida translatum jam sentiat Africa Rhenum.

LINGUA.

Linguam deinde quod spectat horum populorum antiquam, multis de causis Germaniæ similis fuisse creditur, quâ adhuc ii Galliæ populi utuntur, qui Francicè non loquuntur, ut omnes populi citra Rhenum, Rheno tamen proximi, Helvetii, Rauraci, Sequatii, Alsatii, Nemetes, Vangiones, & tota ferè Belgica. Nec

 mirum

mirum hoc videri potest ei, qui considerat populum Roman. exercitus suos in Gallia habuisse, adeoque in Galliæ fœcundiore parte, diutiusque fuisse pressam eam, quàm nunc Franci inhabitant Galliæ partem, jugo & servitute Romanorum. Rhenus quippè & Germania sæpius & citius à Romanis quàm Gallia reliqua defecerunt. Ideoque Romani in Germaniâ & Rheni regionibus non ita celebrem reddere & propagare suam linguam potuere, sicut in interiori Gallia, Hispania & Italia. Verùm priscos Galliæ, adeoque nostros populos illâ quam dixi linguâ usos fuisse, ex innumeris ejus vestigiis in linguâ Francicâ adhuc conspicuis videre est. Hoc præteritorum perfectorum (per habui *a*) periphrasis, articuli item quos Latina lingua non habet; denique plurima nominum & verborum stemmata evincunt, qualia sunt, ignis *b*, pulvinar *c*, scamnum *d*, cancer *e*, caper *f*, vexillum *g*, calcar *h*, dives *i*, dimitto *k*, trico *l*, occido *m*, &c. Ad hanc rem porro faciunt prisca regum ac ducum Gallorum propria nomina apud Cæsarem, omissis sæpè ac mutatis aliquot literis, ut Latinæ declinationi apta fierent mirè torta. Vetustæ præterea Gallicæ linguæ aliquot dictiones ab auctoribus observatæ, argumento sunt nobis, priscos Galliæ populos, nominatimque hujus Belgicæ, eâ quâ adhuc utimur, linguâ, fuisse locutos. Plin. lib. 18. cap. 18. aratra rotulis instructa, Gallicum inventum, **Pflugratt**/ rectè nominavit, ubi tamen Codices injuriâ temporum, & incuriâ ignorantiâque scriptorum depravati Plummarat habent. Lib. item 4. cap. 16. Bodicum padum Gallica lingua à Liguribus dictum ait, quod significat fundo carentem, & Bodincomagum oppidum eodem tractu esse, nos **Bodenmangel**/ dicimus: Padum item à piceâ arbore, quàm Galli ita vocent nominatum (**Paech** vult dicere quod manet adhuc in nostra linguâ.) Idem alibi Gallos medullam margam vocare inquit. Ita apud Suetonium in Galba, præpinguis Gallicè **Galb** intelligitur; sed vitulus potius: Nam ita præpinguem & obesum hominem per jocum vocamus. Et Beco, rostrum, apud eundem in Vitellio adhuc habemus in nostrâ vernacula. Quis vero hæc in universum vocabula aut Germanica, aut Germanicis simillima esse negaverit? Quis etiam Germanica illa apud Plinium & Tacitum, Belgis itidem nostris olim hodieque usitata fuisse dubitaverit, ut sunt Ganza *n*, Herthum *o*, Glesum *p*, quorum illud anserem, istud terram, hoc vitrum sive succinum vitro pellucido simillimum Latinis significat? Restat ut de literarum charactere, quem ad linguam suam pernotandam hi nostri populi usurparunt, aliquid adducamus. Literarum secreta, ait Tacitus de Germanis *q*, viri pariter ac fœminæ ignorant. Id verum fuerit de interioribus non tamen de Rheno proximis, quantulum enim amnis inter hos & nostros cis-Rhenani hujus tractus incolas, quo minus sicut communi linguâ, ita etiam simili literarum charactere uterentur? Gallos autem priscos in publicis nonnullis, priuatisque rebus ac rationibus Græcis

a j'ay escript. escripsi. J'avois escript. escripseram.

b Feu fewr.

c Coussin. Kussen.

d Banc. Banck.

e Eschevice. Krebs.

f Bouc. Bock.

g Bannière. Panier.

h Eſperon. Spor.

i Riche. Reich.

k Laisser. Lassen.

l Grater. Kratzen.

m Tuer. Todten.

n Plin. lib. 10. ubi de anserib. Germanicis

o Tacit. de sit. & moriб. Germ.

q dicto libro.

Græcis literis, hoc est, literarum notis, usos fuisse, auctor est Julius Cæsar, ubi lib. 6. bell. Gall. de Druidum disciplinâ & discipulis agit. Apud nostros ergo populos eundem scribendi modum tum hinc, tum ex Tacito *a* constabit, qui Asciburgi, quod in ripa Rheni situm fuit, hodie **Essenberg** vicus est in Comitatu Moersensi, aram Vlixi consecratam, adjecto Laertæ patris nomine olim repertam esse ait, quod quamvis ille neque confirmare argumentis, neque refellere voluerit, quod tamen addit, monumenta & tumulos quosdam Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ *b*, Rhetiâque (non Rhetiæ, ut habet emendatior lectio) adhuc extare fidem assertioni nostræ dabit. Hinc est quod antiqui Franci, qui sub Marcomiro & Pharamundo Gallias devicerunt, suas habuerint à Græcis parum distantes literarum notas; quibus Wastaldus eorum patrio sermone descripsit historiam *c*. Hinc quoque est, quod nonnullæ literarum Græcarum figuræ adhuc manserint inter Francorum characteres, quibus tempore Carolingorum usi sunt Franci, sicut in illorum nummis aureis *d* ad Rhenum passim inventis conspiciuntur. Sed lectionem istius loci apud Tacitum emendandam, & non ἀσκιπύργιον, sed ὁδυσσπύργιον ab Vlixe seu ὁδυσσεῦ sic nominatum legendum, proque oppido **Doulsberg** *e* ad Issalæ ripam sumendum esse, dicat aliquis, is certè, præterquam quod fabulam nobis attulerit, sententiam allatam confirmabit potiùs, tantum abest ut eam destruxerit. Sic enim & trans-Rhenanis saltem aliquibus literarum secreta non omnino ignota fuisse extra dubium erit.

Hæc de antiquis cum populis tum moribus, linguâ item, ejusque charactere, quibus res patriæ nostræ olim stetit; sequitur ut ad secundum librum perveniamus, & Romanorum Impp. seriem cum rebus apud populos & Provincias has gestis perstringamus.

a d. lib.

b quid per confinium Germaniæ intelligat, vide ipsum hist. l. 4.

c Henr. Cornel. Agrippa, de vanit. scient. cap. de liter. elementis.

d istorum nummorũ exemplar posthac exhibebimus.

e Drusoburgum à Druso & fossa Drusiana h. e. Issala Lipsius dici existimat, in not. ad Taciti annal. l. 13.

LIBER II.

DE ROMANORVM IMPERATORVM.

Apud populos & provincias has rebus gestis.

HOc Libro secundo Romanos Imperatores solos posthac in hisce provinciis ad tempora usque labentis imperii rerum dominos, resque sub iis hic locorum gestas, recensere necessè habemus: interea tamen apud regum, principum ac ducum, qui tempestate illâ cum Romani cuncta ad se raperent, apud populos hosce ægrè potestatem suam servare ac retinere potuerunt, mentionem, ubi apud auctores occurrunt, faciemus.

JULIUS CÆSAR.

Julius igitur Cæsar, cum majori quam ullus unquam antea Romanorum Imperatorum rerum gerendarum cupidine flagraret *a*, ex omni provinciarum copiâ Gallias potissimùm propter idoneam triumphorum materiam elegit *b*; Galliâque Transalpinâ, mox & Cisalpinâ acceptis: Illyrico *c* insuper, Helvetico, & altero contra Arioviſtum Germanorum Regem bellis confectis *d*, Belgas, qui tertiam Galliæ partem incolebant, aggressus est, P. Corn. Lentulo, & Q. Metello Nepote Coss. Ann. ab Vrbe condita DCXCVII. Horum non ignobilis portiò erant Eburones ac Menapii, hodie Juliacenses, Geldrienses, & Clivii, qui una cum cæteris Belgarum nationibus, eò quòd Cæsarem prospero rerum successu ferri viderent *e*, ac, ne omni subactâ Galliâ ad se quoque Romanus exercitus adduceretur, vererentur *f*, arma adversus Cæsarem sumpserunt, ac imperatam armatorum summam Eburones quidem iisque vicini, quadraginta millia, at Menapii septem, & ut habet Orosius *g*, decem millia in aciem sub Adrâ summo belli præfecto *h* produxerunt, sicque reliquo Belgarum exercitui conjuncti, Cæsaris exercitum primò perterritum in fugam verterunt *i*, inde Rhemorum, qui paulò antè in fidem Cæsaris transierant, oppidum, nomine Bibrax *k*, quod millia pass. VIII. à Romanis aberat castris, magno impetu oppugnare cœperunt, sed spe potiundi oppidi dilapsâ, Romanis quoque, quos inter & ipsos palus erat, justo prælio decertare detrectantibus, ac, ubi neutri initium transeundi paludem facerent, in castra reductis, transire postea Axonam fluvium (hodie Aisne) conati quidem sunt, ut Q. Titurii castellum expugnarent, pontem interscinderent, Rhemosque à Romanis divellerent: verùm equitatu Cæsaris præventi & quodammodò afflicti, hac

a *Dion. lib.* 39.
b *Suet. in Iul. c.* 22.
c *Idem ib.*
d *Cæs. l. 1. bell. Gall.*
e *Dion. lib.* 39.
f *Cæs. l. 2.*
g *lib. 6. cap. 7.*
h *Dion. lib.* 39.
i *Eutrop. lib. 6.*
k *Vide Martianæ, & consule Merulam.*

hac iterum spe frustratâ ; domum suam quemque reverti , & in quorum fines primum Romani exercitum introducerent , ad eos defendendos undique convenire , optimum esse constituerunt. Facile dehinc Cæsari fuit , unaquâque Belgarum civitate expugnatâ, præsidia apud eos firmare , (quorum etiam unum fuit quod in Aduatuca Eburonum statuit) ac Belgas omnes aut ad deditionem compellere , aut, qui eam detrectarent , exscindere *a* ; donec eadem ratione anno sequente æstate propè exactâ in Menapios , id est , Geldrienses & Clivenses , quoniam in armis cum Morinis adhuc essent , neque ad eum legatos de pace unquam misissent , exercitum abduxit , arbitratus id bellum celeriter confici posse. Verùm illi opinionem Cæsaris egregiè fefellerunt. Nam ubi densioribus sylvis & paludibus *b*, in quibus omnia quæ chara habebant occultaverant , abderentur , Romanus quoque miles , quia hyems appetebat, imbrium continuatione exagitaretur , Cæsar vastatis eorum agris , ædificiisque incensis , exercitum in hyberna apud eas civitates , quæ proximè bellum fecerant, reduxit *c*. Ea autem , quæ secuta est, hyeme , qui fuit annus Cn. Pompejo & M. Crasso Coss. Ann. ab Vrb. Cond. DCXCVIII. Vsipetes Germani , & Tencteri , quod à Suevis complures annos bello pressi & agricultura prohibiti essent, magnâ cum multitudine hominum Rhenum transierunt, non lõgè à mari quo Rhenus influit , & quâ regione Menapii incolebant, & ad utramque ripam fluminis agros habebant, iis occupatis reliquam partem hyemis se horum copiis aluerunt *d*. His de rebus Cæsar certior factus Anno sequente , scilicet Vrb. Cond. DCXCIX, ubi jam longiùs in fines Eburonum , hodie Juliacensium, numero CCCCXXX. millium processerant, ac magnam equitatus sui partem trans Mosam prædandi frumentandique ergò miserant *e* , Mosulam navali ponte transgressus *f*, nihil tale quid metuentes hostes prælio ingenti partim fudit , partim in fugam compulit , qui cum ad confluentem Mosæ Rheni pervenissent , reliquâ fugâ desperatâ , magno eorum numero interfecto reliqui se in flumen præcipitaverunt , atque ibi timore, lassitudine, & vi fluminis oppressi cum uxoribus ac liberis miserandum in modum perierunt *g*. Equitatus , qui , ut dictum , magno suorum exitio abfuerat, strage hac perceptâ in Sicambrorum, id est , Clivensium & Marckensium trans-Rhenanorum fines recessit , seque cum iis conjunxit. Cæsar eò missis suis eos sibi dedi postulavit , non quòd id se impetraturum speraret , neque enim tum tantus Romanorum terror, eos qui trans Rhenum incolunt, habebat , ut id genus jussis eorum obtemperarent : sed ut hanc occasionem Rheni transeundi haberet. Itaque equites non dederentur, atque ipse ab Vbiis , qui Sicambrorum vicini, iidemque hostes erant, vocaretur , Rhenum ponte constratum transiit (ut vult Joan. Jucund. Veronen. in Menapiis) sed cum Sicambros in loca munita se recepisse inveniret , Suevos

a Cæs. l. 2. bell. Gall.

b vid. Dion. lib. 39.

c Cæs. l. 3. bell. Gall.

d Cæs. l. 4. bell. Gall.

e Cæs. ibid.

f Flor. l. 3. cap. 10.

g Cæs. d. lib.

autem ad auxilium his ferendum coire, intra vigesimum diem
a Dion. lib. 39. ponte rescisso regressus est a, procul dubio tunc à Sicambris, ut Plutarchus scribit, pulsus. Atque hac de causa Menapiis mox in deditionem acceptis, verisimile est, Cæsarem constitutis hinc inde præsidiis & castellis Rheni ripam adversus barbaros muniisse. Exiguâ autem parte æstatis reliquâ, Cæsar, quod omnibus fere Gallicis bellis, hostibus suis inde subministrata auxilia intelligebat, in Britanniam proficisci contendit, in quam cum trajecisset, facto prælio Britannos ut se Cæsari commendarent impulit, indeque obsidibus acceptis, in Galliam rediit. At Q. Titurius, & L. Cotta legati, qui in Menapiorum fines jussu Cæsaris legiones duxerant, omnibus eorum agris vastatis, frumentis succisis, ædificiisque incensis, quod Menapii sicut anno superiore omnes se in densissimas sylvas abdiderant, ad Cæsarem se receperunt, Cæsar in Belgis omnium legionum hyberna constituit. b

b Cæs. l. 4.

Anno Vrb. Cond. DCC. Lucio Domitio & Appio Cos. postquam secundò Cæsar in Britanniam profectus, iterum in hyberna militem reduxisset, initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige & Cativulco Eburonum regibus, Indutiomari Treviri impulsu. Ambiorix ergò Q. Titurio Sabino & L. Cottæ, qui apud Aduatucam hvemandi causâ consederant, ut castris exirent, si se suosque incolumes vellent, per fraudem sic compositâ oratione persuadet, Illos deinde è castris egressos, insidiis in valle dispositis intercepit, ac unà cum exercitu unius legionis &
c Cæs. l. 5. quinque cohortium oppressit c. Neque ulla de Ambiorige ultio,
d Flor. l. 3. c. 10. quippe qui perpetuâ fugâ latuit d, primùm apud Menapios, mox trans Rhenum apud Germanos. Quapropter Cæsar illis in deditionem compulsis Ann. Vrb. Cond. DCCI. C. Domitio Calvino, & M. Valerio Messala Cos. hos, ponte iterum apud Vbios, paulum
e Cæs. l. 6. supra eum locum quo antea exercitum traduxerat e, transito, bello est adortus. In Ambiorige enim modo hac modo illac diffugiente, insequendo negotium habuit; postquam eum nullâ ratione comprehendi posse vidit, in Germanos, quod Treviris suppetias ferre voluissent, arma convertit: Indè quoque maturè, metu Suevorum se recepit, nullâ re perfectâ, quàm quod gloriam Rheni alterâ vice trajecti, reportavit: pontis ea parte, qua ad Germanos pertinebat, rescissa, castellum imposuit, ut crebrò ea transiturus videretur. Secundùm hæc irâ effugii Ambiorigis permotus, ejus patriam, quanquam nihil tum movisset, omnibus qui vellent, diripiendam pa-
f Cæs. ead. lib. lam proposuit, eo consilio, ut quam plurimi ad hoc convenirent f. Cæsar b addit, ut potiùs in sylvis Gallorum vita, quam legionariorum periclitaretur, simul ut magna multitudine circumfusa pro tali facinore, stirps ac nomen Civitatis tolleretur. Itaque multi cum Galli tum Sicambri ad prædam confluxere. Cæterùm Sicambris, qui prædâ invitati longiùs procedebant, non satis fuit ex Eburonibus prædam egisse, sed ipsos quoque Romanos petierunt, quos ut frumentatum digressos animadvertissent, castra nimirum
g Dion. lib. 40.
h lib. 6. bell. Gall.

Adua-

Aduatucam aggressi sunt, Romanorumque, re perceptâ ad defendendum castra recurrentium multos occiderunt *a*: attamen expugnatione Aduatucæ desperatâ, Germani trans Rhenum se receperunt, non exiguo sui apud Romanum militem metu. Quorum omnium maximè admirandum videbatur, quod Germani, qui eo consilio Rhenum transierant, ut Ambiorigis fines depopularentur, ad Castra Romanorum delati, optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerunt *b*. Cæsar quia & hyems propè & Romæ tumultus erat, nullam vindictam exigere cum posset, milites in hyberna dimisit, ipse in Italiam profectus est *c*. Veruntamen anno sequente, qui fuit Vrb. Cond. DCCII. Cn. Pompejo Cos. solo, præter Rhemos, Treveros, & Lingonas universi Galli, interque eos nostri Eburones, ob prædam procul dubio ex iis actam, Cæsarem oppugnatum convenére, sed ab eo victi sunt, capto eorum Imperatore Vercingetorige *d*. Posthæc Ann. Vrb. Cond. DCCIII, Cæsar C. Trebonium in Belgio cum quatuor legionibus collocat, sic enim existimabat tutissimam fore Galliam, si Belgæ, quorum maxima virtus, exercitibus continerentur *e*. Sic tandem novem annorum labore quietam habuit Galliam, neque tamen impunè, aliquoties enim adversum expertus est casum *f*: Et Pompejus apud Lucanum *g* narrat fugisse Cæsarem ex Germania

——— multisne rebellis (inquit)
Gallia jam lustris, ataque impensa labori
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis?
Occanumque vocans incerti stagna profundi
Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Imperator Maximilianus Flamini Romano interroganti, num Cæsaris commentaria legisset? respondit: Cæsarem de rebus suis inflatius scripsisse, ut qui se victorem cum victus sit, faciat *h*. Cæterùm confectis bellis quinquies triumphavit. Primum etiam excellentissimum triumphum egit Gallicum, ejus triumphi die Velabrum prætervehens, penè curru excussus est, axe defracto, Ascenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextrâ ac sinistrâ lychnulos gestantibus *i*. Et milites ejus inter cætera carmina, qualia currum prosequentes joculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronuntiaverunt:

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem,
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem. *k*

Tribus & viginti vulneribus interfecto Cæsare Ann. ab Vrb. Cond. DCC. ferè & IX, successit ei Octavius ob auctum ab eo & excultum imperium AVGVSTVS appellatus. Hic quamvis felicissimus omnium Imperatorum fuerit, clades tamen omnino duas, nec alibi quàm in Germaniâ à majoribus nostris accepit. Lollianam & Varianam, sed Lollianam majoris infamiæ quam detrimenti, Varianam penè exitiabilem tribus legionibus cum duce legatisq; & auxiliis omnibus cæsis *l*. Cum enim Sicambri vicini amnis accolæ

a Dion. d. lib. & loc.
b Cæs. l. 6.
c Dion. d. loc.
d Vid. Cæs. l. 7. & 7. Gall.
e Aul. Hirtius l. 8. bel. Gall.
f Sueton. in Iul. cap. 25.
g Lucan. Pharsal. lib 1.
h Aven. ann. Boi. lib. 1.
i Sueton. in Iul. cap. 37.
k Sueton. in Iul. cap. 49.

OCTAVIUS. AUGUSTUS.

l Sueton. in Aug. cap 23.

colæ eorumque auxiliarii Vſipetes & Tencteriægrè ferrent Pop. Rom. exercitum ad Rhenum inſoleſcere, & jam inveteraſcere, primum quoſdam Romanorum in ſuo ſolo deprehenſos in crucem egerunt, deinde Rheno tranſmiſſo Galliam depopulati ſunt *a*. Conſecuta ſtatim eſt nobilis illa clades Lolliana, quam Strabo lib. 7. attingit. Belli initium fecere Sicambri Rheno proximi duce Melone. Hi correptis armis ſubitò & improviſò Romanos vi adoriuntur, M. Lollium hominem vitioſiſſimum & pecuniæ quàm rectè faciendi cupidiorem cum copiis profligant, aquilâ quintæ legionis potiuntur, incremantque *b*. Ann. V. C. 737. Auditâ clade Lollianâ. Hæc legio apud vetera ſtationem habuit, ut tegulæ ibidē inventæ teſtantur *c*. Auditâ hac clade Auguſtus ab urbe in Gallias perrexit, ſentienſq; ſe eas & conterminas provincias tuto & quiete enere non poſſe, quòd crebrò Germani in Romanas provincias incurrerent, honore ſimul patrio ſui Cæſaris ductus, quem bis tranſvectum ponte Rhenum, bellum quæſiviſſe ſciebat, Germaniam in provinciam redigere concupivit. Curam itaque ac onus belli hujus Cl. Druſo Neroni delegavit *d*. Interea Auguſtus caſtellis ac præſidiis ripam Rheni muniit, interque ea vetera, ubi, ut apparet, Sicambri Rhenum tranſiverant, ſtragemque iſtam ediderant militibus educendis ac reducendis accommoda caſtra conſtituit L. Domit. & P. Scipione Coſſ *e*. Miſſus ergo in Germaniam Druſus, Germanis intentus quando Rhenum tranſirent, eos repulit, atque ipſe deinde in Vſipetarum regionem ſecundùm Inſulam Batavorum atque in Sicambrorum terram tranſgreſſus magnam agri partem vaſtavit. Inde ſecundo Rheno in Oceanum devectus Friſios ſubegit, ac per paludem in Chaucorum fines profectus, in periculo fuit, navibus propter defluxum maris in ſicco conſtitutis: tamen Friſiorum operâ, qui pedeſtri militia ſe ei junxerant, ſuperato diſcrimine inde digreſſus (jam enim hyems appetebat) Romam pervenit. Initio veris rurſus ad bellum profectus Rhenum tranſiit, Vſipetas ſubjugavit, Lupiæq; fluminis ripis ponte junctis in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruſcorum regionem uſque ad Viſurgim proceſſit, eum etiam tranſiturus, nî eum inopia alimentorum ac hyemis propinquitas, præterea examen apum in caſtris viſum deterruiſſent *f*. Prætera in tutelam provinciarum præſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit, per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim. Nam per Rheni quidē ripam quinquaginta amplius caſtella direxit. Bonnam & Geldubam pontibus junxit, claſſibuſque firmavit *g*. Atque hinc loca illa quæ Tacitus in Auguſtâ hiſtoria, & Antoninus in Itinerario celebrarunt, in provinciis quidem hiſce originem habent. Trans Rhenum quoque Druſus foſſam novi & immenſi operis effecit, quæ Druſiana vocatur *h*, hodie die Iſſel.

Hæc Druſus à M. Meſſallæ & P. Sulpitii conſulatu aduſque conſulatum C. Cenſorini & Aſinii Galli, quatuor annorum ſpatio, totidemque expeditionibus geſſit, ſed in quartâ expeditione inter Rho-

a Dion. l. 54.

b Velej. Paterc. lib. 2.

c LEG. V.

d ex Dione.

e Cluver. antiq. Germ. l. 2. c. 18.

f Dion. l. 54.

g Flor. l. 4. c. 12.

h Suet. in Claud. cap. 9.

Rhenum & Salam *a* ex fracturâ, equo super crus ejus collapso, oppetiit, relicto post se, procul dubio tyrannidis in Germanos exercitæ, in hunc usque diem durante terrifico nomine *b*. Corpus ejus ad urbem devectum est, sepultumque in campo Martio. Cæterùm exercitus honorarium ei tumulum excitavit (scilicet apud Moguntiam) circa quem deinceps statо die quotannis miles decurreret, Galliarumque Civitates publicè supplicarent. Præterea Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum trophæis viâ Appiâ decrevit, & Germanici cognomen ipsi posterisque ejus Suetonio *c*, & utroque hoc apud vetera reperto nummo testantibus.

a *Strab. Geograph. lib. 7.*

b Der Drouſ3/ *sive* de Droeſe.

c *Sueton. in Claud. c 1.*

Æneus.

Argenteus.

Amisso in Germania Druso, frater ejus Tiberius Nero post annos paucos itetum tumultuantibus Germanis, ad eos pacandos missus est. De ejus gestis breviter ejusdem commilito Vellejus Paterculus hist. lib. 2. in hunc modum: Intratâ (inquit) protinus Germania subacti Caninefates, Attuari, Bructeri, recepti Cherusci, gentes, & amnis, mox nostra clade nobilis transitus Visurgis, penetrata ulteriora. Et mox: Anni ejus æstiva usque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ. Et iterum: proh Dii boni quanti voluminis opera insequenti æstate sub duce Tiberio Cæsare gessimus! Perlustrata armis tota Germania est, victæ gentes penè nominibus incognitæ, receptæ Chaucorum nationes Atque eo bello XL (Eutropius habet CCCC) millia deditionum trajecit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit *d*. C. Asinio Gallo, & C. Censerino Coss. Ann. principatus Augusti XXXV.

d *Suet. in Tiber. c. 9.*

Interea nascitur * CHRISTVS Servator noster, gloria Israëlis & lux gentium, atque orbis, qui postea quoque & harum provinciarum incolis in salutem affulsit, Anno principatus Augusti 41. ferè expleto, & 42. ineunte, C. Lentulo, & M. Messala Coss. *e* Victis autem Germanicis, deditisque Sicambris, breve id Romanis gaudium fuit, quod Germaniam in provinciam redigere instituissent; nam obtinere difficilùs est provincias quàm facere: viribus quidem parantur, at jure retinentur *f*. Postquam nunciata Illyrici defectione Tiberius Augusti legatus ad curam belli triennalis *g*, & quidem gravissimi transisset Quinctilius Varus, homo avarus, ut pote qui Syriam, cui præfuerat pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquerat *h*, Rheni limitibus Germaniæque victæ magis quàm domitæ *i* ab Augusto præficitur. Is cùm ad Germanos venisset,

* *In Bethlehem Judææ.*

e *Luc. c. 2. & in Chron. Cassiodori*

f *Flor. l. 4. cap. 12.*

g *Suet. in Tiber. cap. 16.*

h *Vell. Paterc. lib. hist. 2.*

i *Flor. l. 4. cap. 12.*

veniſſet, concepit eſſe homines qui nihil præter vocem, membraque haberent hominum, quique gladiis domari non poterant, poſſe jure mulceri *a*. Quo propoſito mediam ingreſſus Germaniam, auſus ibi fuit conventũ agere; in caſtris ſe direxerat, quaſi violentiã Germanorum & lictoris virgis & præconis voce poſſet inhibere *b*: Inſtituerat etiam ſubitò eos transformare, & tanquam ſervituti ſubjectis imperare, pecuniaſque ut à ſubditis exigere *c*, at illi Vari libidinem ac ſuperbiam haud ſecus quam ſævitiam odiſſe, ut primum togas, & ſæviora armis jura viderent *d*. Duce igitur Arminio Sigimeri Principis filio, qui genere nobilis, manu fortis, ſenſu celer, ingenio promptus, ardorem animi vultu oculiſque præferebat, corripiunt *e*. Id Varo per Segeſtem Arminii ſocerum indicatum, ſed prævalebant jam fata conſiliis, omnemque animi ejus aciem perſtrinxerant. Arminius igitur ſegnitiâ Vari in occaſionem facinoris uſus, nec imprudẽter ſpeculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret *f*, nil tale metuentem Varum improviſo adortu undique invadit, caſtra rapit *g*, treſque legiones totidemque alas & ſex cohortes *h* opprimit *i*. Ita exercitus omnium fortiſſimus, diſciplinâ, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, incluſus ſylvis & paludibus, ad internecionem trucidatus eſt *k*. Nihil illâ cæde per paludes perque ſylvas cruentius; nihil inſultatione Germanorum intolerabilius, præcipuè tamen in cauſarum patronos, aliis oculos, aliis manus amputabant, unius os ſutum, recisâ prius linguâ, quàm in manu tenens Germanus, TANDEM inquit VIPERA SIBILARE DESISTE *l*. Varo plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit, quippe paterni avitique exempli ſucceſſor ſe ipſe transfixit, cujus corpus ſemiuſtum hoſtilis laceravit feritas, caput ejus abſciſſum, latumque ad Marobuduum, & ab eo miſſum ad Tiberium, gẽtilitii tandem tumuli ſepulturâ honoratum eſt *m*. Signa & aquilas duas Germani hîc à Romanis cœperunt: tertiam ſignifer prius, quam in manus hoſtium veniret, evulſit, merſamque intra baltei ſui latebras gerens, in cruentâ palude ſic latuit *n*. Hac clade (quâ nulla poſt Craſſi in Parthis damnum in externis gentibus gravior Romanis fuit *o*) factum, ut imperium quod in littore Oceani non ſteterat, in ripâ Rheni fluminis ſtaret *p*. Hâc etiam clade Romæ nunciatâ Auguſtus excubias per Urbem indixit, nequis tumultus exiſteret, & præſidibus provinciarum prorogavit imperium, ut & à peritis & aſſuetis ſocii continerentur; vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max. ſi Rempubl. in meliorem ſtatum vertiſſet, quod factum Cymbrico Marſicoque bello erat. Adeò namque conſternatum ferunt, ut per continuos menſes barbâ capilloque ſummiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans; Quinctili Vare legiones redde: diemque cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem *q*. Hac denique ſtrage edita Germani animos ſumpſerunt, & immenſis copiis Aliſonem caſtellum cinxerunt, verùm L. Cæditius præfectus caſtrorum, iique qui unà circumdati erant, omnibus diffi-

a Velleius d. loc.
b Flor. l. 4. cap. 12.
c Dion. lib. 56.
d Flor. d. loc.
e Vell d. loc.
f Vell. l. 2.
g Flor. l. 4. cap. 12.
h Vell.
i Flor.
k Velleius.
l Florus.
m Vell.
n Flor.
o Vell.
p Flor.
q Suet. in Auguſt. cap. 23.

difficultatibus ſuperatis, nec temere nec ſegniter, ſpeculatique opportunitatem ferro ſibi ad ſuos peperere reditum *a* (Aliſo caſtellum & fluvius eſt: ſi fluvius, Alme hodie dicitur: Caſtella duo ſunt ad iſtum fluvium ubi Lupiæ miſcetur, **Elſen** / & **Allhem** quatuor millibus paſſuum à Paderbornâ meridiem verſus *b*) His auditis Tiberius revolat ad Auguſtum, rurſumque ad Germaniam mittitur, Galliias confirmat, exercitus diſponit, præſidiaque cis Rhenum hiſce præſertim in locis munit; ultra Rhenum quoque cum exercitu tranſgreditur, ſed vaſtatis agris, exuſtis domibus, & Arminio territo ut Paterculus habet *c*, in hyberna revertitur.

a *Villejus.*

b *Cluver. antiq. Germ. l. 3. cap. 9.*

c *lib. 2.*

Cæterùm memorandam illam cladem Romanus exercitus paſſus eſt C. Poppæo Sabino, & Q. Sulpitio Camerino Coſſ. Anno Vrb. Cond. DCCLXII. à nato Chriſto XI. & quidem in ſaltu Teutoburgienſi inter Amiſiam & Lupiam amnes, ut habet Tacitus lib. 1. Annal; quamvis de loco hujus cladis inter doctos controverſia ſit, aliis *d* in Weſtphaliâ apud oppidum **Bethmold** / quod ut Cluverius *e* exiſtimat, antiquum illud Teutoburgum fuit, & Teuthomellum Arminio lib. 4. cap. 75. dicitur, moderna ſedes comitum Lippienſium: aliis *f* in ducatu Clivenſi apud oppidum **Duisburg** illam conſtituentibus: ſed hi partim ſimilitudine appellationum locorum quorundâ decepti, partim amore forſan patriæ, quam hac ratione claram reddere cupiunt, ducti, falluntur; illi verò rectè demùm ſentiunt. Legantur quæ habet Bernh. Mollerus lib. 5. deſcriptionis Rheni & fluminum illi influentium, in ejus libri argumento ſic ait inter cætera: Certum eſt Lippiam ſub Lipſpringiâ naſci, qui ab ortu ſtatim facit inſulam, diſtat à fonte Lippiæ fons Amaſis 40. ſtadiis verſus Septentrionem, inter utroſque fontes Dalbruggæ ſunt, in quibus locis multa Varianæ cladis veſtigia adhuc ſpectantur. Saltus adhuc reſtat Teutoburgenſis, cujus apud Tacitum fit mentio, apud villam Teutonis, vulgariter **Teutenmeyer** / monteſque ſtatim qui attolluntur crebris hic hiant vallibus, ut revera locus iſte ſaltuoſus ſit &c. Reſtat adhuc in Dalbruggis locus qui dicitur campus victoriæ, **dat Winfelt** / eo quod ibi victoriam à Quinctilio Varo, & tribus Rom. legionibus Arminius Cheruſcorum Dux obtinuerit. Reſtat etiam adhuc rivus roſeus, **die rode Becke** / quod nomen rivo inditum ab aquis Romano infectis ſanguine. Effodiuntur locis paſſim glebоſis crania hominum disjecta, & pila Romanorum rubigine obducta, unde in ipſo libro idem auctor ſic canit:

d *Lipſ. in not. ad Tacit. Cluv. in antiq. Germ. & alii.*

e *Cluver. antiq. Germ. cap. 19. lib. 3.*

f *Aventin. annal. Boior. lib. 2. Conrad. Heresbach, in notis manu ejus propria ſcriptis ad loca Martiani additis. vidi in bibliotheca Herubachiana, & alii.*

Hic ubi Dalbruggas ab Eoo vindicat orbe
Mons, velut in dorſum fragmina rupis abit.
Hic Teutenburgi manet appellatio ſaltus
Teutonis integrum villula nomen habet.
Pauper ad Antoni cecidit Væſtringia fanum
Illic Harminii creditur eſſe domus.
Pertenui diſtat ſpatio rimator agrorum
Amaſis: haud longè Lippia fundit aquas.

Bructeri

Bructera Dalbruggis remanent hîc nomina duris:
Varus ibi trina cum legione ruit.
Campus enim victor pugnæ præclara reliquit
Signa, quibus nullo ſtat dubitante fides.
Area diffundit ſpatioſo jugera tractu,
Jugera militiæ viribus apta facit.
Inde quadraginta ſtadiis Padeborna recedit,
Mille duo paſſus hinc Detemolda fugit.
Contigua facilis regione profunditur unda,
Roſcidus ebullit paupere rivus aqua.
Ille licet flactu terras rimetur inani,
Attamen Amiſii flumine dignus abit.
Nec truculens rivum fecit natura rubere,
Sanguine ſed Latius flumina tinxit eques.
Adde quod egeſto fodiuntur cæſpite pila,
Adde quod everſo crania rure jacent.
Hiſtoriam narrare juvat, livore vetuſtas
Hiſtoriam nullo commemorare vetat.

Conſiderentur quoque quæ Tacitus habet lib. Annal. de Amiſiâ flumine, ad quem Pedo præfectus, poſtquam finibus Friſiorum equites eduxiſſet, impoſitas navibus quatuor legiones per lacus vexit, apud quem etiam Bructeri fuſi ſunt, ad quorum ultimos exercitus ſtatim ductus, quantumque Amiſiam & Lupiam inter vaſtatum, unde non procul ſaltus iſte Teutoburgienſis, in quo reliquiæ Vari legionumque inſepultæ jam tum dicebantur. Conſiderentur quoque quæ Dion habet lib. 56. quando ait Varum procul à Rheno in Cheruſcorum fines & ad flumen Viſurgim fallaciis Germanorum abductum, non procul inde cæſum, eo nimirum loco, ubi mõtes erant convallibus crebris intercepti. arbores etiam denſæ & immodicæ proceritatis &c. Hæc de Emſero amne, planâque illa in ducatu Clivenſi apud ſylvam Duiſburgenſem regione, vix ac ne vix quidem intelligi poſſe, quilibet judicabit. Verùm enimvero ut nihilominus Romanorum hæc clades ad priſcæ noſtræ patriæ gloriam faciat, videamus. Ex Strabone *a* conſtat, etiam Sicambrorum procerem Deutorigem filium Betoritis qui fuit frater Melonis de quo antea cum Arminio clanculum conjuraſſe, ut & Aventinus annotat. Ergo & à noſtris procul dubio Sicambris, id eſt Clivenſibus & Marcanis Romani tunc cladem illam paſſi ſunt. Menapii autem, qui Cliviam cis-Rhenanam Geldriamque coluere, haud illibenter perceperunt, præſidiarium qui illos vexaverat militem tunc cæſum fuiſſe. Nam ex Tacito conſtat, legionis undeviceſimæ, quæ apud Vetera ſtationem habuit *b*, aquilam, ſimul cum Varo fuiſſe amiſſam. Nec à vero alienum eſt, Varum è veteribus tunc exercitum trans Rhenum duxiſſe *c*, quando certum eſt inter Amiſiam & Lupiam ſtragem illam contigiſſe, & etiamnum collem iſtum, ubi Vetera olim ſtetere, à Varo, **Dorſſeberg** nomen ſervare; denique nonnullis qui in bello Variano ceciderant, conotaphia apud eadem

Die Emſer.

a *lib. 7.*

b *Annal. lib. 1.*

c *Pontis adhuc reliquiæ inter ruderа Veterum ad ripam Rheni videri poſſunt, ligna nimirũ lignea, quæ ponti olim ſuſtinebãt.*

eadem hæc Vetera fuisse posita, ex hoc non ità pridem isthic loci invento videre est *a*.

a *In arce nobilium de Lee in Vissen hodie adhuc extat.*

Anno ab Vrb. C. DCCLXVII. Sexto Pompejo & Apulejo Coss. Augustus Cæsar Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus præposuit, adscirique per adoptionem à Tiberio jussit *b*. Mox iisdem Coss. è vivis sublato Augusto, dum Germanicus agendo Galliarum censui intentus esset *c*, legiones Germanicæ Tiberiũ, qui tunc imperium arripiebat, pertinacissimè recusabant *d*. Duo apud ripam Rheni exercitus erant, unus superior dictus sub C. Silio, alter inferior, sub A. Cæcinna. Quibus Silius præerat, mente ambiguâ fortunam seditionis alienæ speculabantur. Inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab undevicesimis quintanisque initio, & tractis primâ quoque ac vicesima legionibus; nam iisdem æstivis in finibus Vbiorum habebantur. Missionem hæ flagitabant & stipendia; Centurionesque suos trucidatos ante vallum aut in amnem Rhenum projecerant. Germanicus audito legionum tumultu statim ad eas properat, verbis increpat, ad fidem hortatur, tandem missione & pecuniâ ipsis indultâ sedat. In hyberna prius non abscessere quintani undevicesimanique donec iisdem in æstivis contracta ex viatico, ipsiusque Cæsaris pecunia persolveretur. Primam & vicesimam legiones *e* Cæcina legatus in civitatem Vbiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de Imperatore rapti inter signa, interque aquilas veherentur. Germanicus superiorem exercitum in fide continuit. Interea legati à Senatu egressi jam apud aram Vbiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones, prima atque vicesima Veteranique nuper missi sub vexillo hyemabant. Pavidos & conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu qui irrita facerent, quæ per seditionem expresserant. Ideoque iterum insaniunt. Cæsari vim intentant, Blanco legionis principi mortem, concionem Germanicus habet, qua quidem eos movet sed non placat; filium itaque & uxorem à se dimittit, quæ res milites in pœnitentiam dedit, mutati pœnas ultrò in se poscunt, ipsi seditiosos puniunt. Germanicus inde per artem eos sejungit, novosque Centuriones sufficit. Sed compositis præsentibus haud minor moles supererat, ob ferociam quintæ & undevicesimæ legionum, sexagesimum apud lapidem (loco Vetera nomen est) hybernantium. Nam primi seditionem cæptaverant, atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum, nec pœna commilitonum exterriti, nec pœnitentiâ conversi, iras retinebant. Igitur Cæsar arma, classem, socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus. Romani consternati his nunciis Tiberium culpant, qui ipse non occurrat: Sed ille sedem imperii premit. Interea Germanicus minis & terrore rem conficit, ipsi turbidi turbatores suos cædunt, sed parum compositè. Ideo dolet Cæsar, & mox milites in hostem ducit, juncto siquidem ponte tramittit duodecim millia è legionibus sex, & viginti socias cohortes, octo equitum alas. Læti

b *Tac. l. 1. Annal.*

TIBER. NERO.

c *Id. ead. lib.*

d *Suet. in Calig. c. 1.*

e f g *Taci Ann. l. 1. Hinc autè videtur, eorum Vbiorum aut in civitate Vbiorum, aut non procul ab ea fuisse. Hæc verò & sequentia ex Taciti Ann. l. 1. verbis etiam ejus aliquando resectis, sunt desumpta.*

neque procul Germani agitabant, dum Romani justitio ob amissum Augustum, post discordiis attinentur. At Cæsar agmine propero sylvam Cæsiam limitemque à Tiberio cœptum scindit, castra in limite locat, frontem ac tergum vallo; latera concædibus munit. Inde saltus obscuros permeat, consultatque ex duobus itineribus, breve & solitum sequatur: an impeditius & intentatum, eoque hostibus incautum. Dilectâ longiore viâ cætera adcelerantur. Juvit nox sideribus illustris, quæ & festa Germanis erat, & solennibus epulis ludicra. Ventumque ad vicos Marsorum. Eos Cæsar stratos tunc per cubilia propterque mensas securos & incustoditos cædit. Quinquaginta millium spatium ferro flammisque pervastat, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant, solo æquat. Redeunti à finitimis Bructeris, Tubantibus & Usipetibus insidiæ parantur, quas tamen virtute facit irritas.

Anno V. C. DCCLXVIII. Druso Tib. filio & C. Norbano Coss. Germanicus iterum Rhenum (apud Bonnam ut apparet) transmittit, Cattos improvisos opprimit, agris, domibus, hominibus, vastatis, incensis, cæsis ad Rhenum vertit. Cheruscos interea Cattis auxilium ferre paratos Cæcina exterruit, Marsosque congredi ausos prælio cohibuit. Sed legati Segestis patriæ suæ proditoris auxilium adversus populares suos, à quibus suasore Arminio circumsidebatur, petunt, Germanicus ideò agmen convertit, pugnatumque in obsidentes, ereptusque Segestes magnâ cum propinquorum & clientum manu, cui inerant fœminæ nobiles, interque eas uxor Arminii gravida, ferebantur & spolia Varianæ cladis, plerisq; eorum qui tunc in deditionem veniebant, prædæ data. Hæc omnia in triumpho Germanici traducta postea sunt. Arminius autem propter raptam uxorem, & subjectum servitio uxoris uterum vecors per Cheruscos volitabat, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscens. Comiti per hæc non modo Cheruſci, sed conterminæ gentes, & Inguiomerus patruus; unde Cæsari major metus, & ne bellum mole una ingrueret, Cæcinam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti, per Bructeros ad flumen Amisiam mittit, equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit, ipse impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit; simulque pedes, eques, classis apud prædictum amnem convenere. Chauci cum auxilium pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentes, expedita cum manu L. Stertinius, missu Germanici fudit; interque cædem & prædam reperit undevicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad vltimos Bructerorum, quâtumq; Amisiam & Lupiâ amnes inter, vastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionumq; insepultæ dicebantur. Igitur cupido Cæsarem invadit solvendi suprema militibus ducique, & Romanus qui aderat exercitus, Sextum post cladis annum trium legionum ossa, nullo noscente alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut conjunctos ut consanguineos, auctâ in hostem irâ, mœsti simul & intensi condebant. primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit

gra-

gratissimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius. Inde pugna cum Arminio, à quâ tamen manibus æquis abscessum est. Mox Germanicus reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe, ut advexerat, reportat, pars equitum littore Oceani petere Rhenum jussa. Hic Romanos sub Cæcinâ in reditu Arminius aggreditur, & tantum non fundit, verùm nimiâ victoriæ cupiditate victoriam amittit. Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum scriptor, stetisse Agrippinam apud principium pontis laudes & grates reuersis legionibus habentem. Sed legiones quæ sub P. Vitellio littore reducebantur, effusione Oceani in plano periclitatæ tandem ad Visurgim amnem penetrarunt, quo Germanicus classe contenderat, impositæ deinde legiones isthinc per Oceanum reductæ sunt. Interea Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum & filium ejus in civitatem Vbiorum perduxit. Cæterùm ad supplenda exercitus Romani damna certavere Galliæ, Hispaniæ, Italiæ. Anno sequente *a*, T. Statilio Sisenna, & L. Scribonio Coss. Tiberius specie moti Orientis Germanicum à Legionibus suetis abstrahit, cui paret ille, sed lentè: priùs enim Germanos nova ratione & mari aggreditur, fabricatâ mille navium classe, quæ in insulâ Batavorum convenit. Germanicus dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu irruptionem in Chattos facere jubet: ipse, audito castellum Lupiæ flumini adpositum obsideri, sex legiones eò duxit. A Silio autem ob subitos imbres nihil aliud actum, quam ut modicam prædam, & Arpi principis Chattorum conjugem filiamque raperet; neque Cæsari copiam pugnæ obsessores fecere, ad famam adventus ejus dilapsi. Tumulum tamen nuper Varianis legionibus structum, & veterem aram Druso sitam disjecerant; restituit aram honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit. Tumulum iterare haud visum, & cuncta inter castellum, Alisonem, ac Rhenum novis limitibus aggeribusq; permunita. Jamq; classis advenerat, cum præmisso commeatu & distributis in legiones ac socios navibus, fossam, cui Drusianæ nomẽ, ingressus est. Lacus inde & Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur, militemq; ibi in terras iturum, trãsposuit; mox Angrivarios Stertinio duce populatur, & sternit: ipse transgressus Visurgim Cheruscos & Arminium ingenti prælio vincit in campo cui Idistaviso nomen. Cluverius *b* prælii locum descripsit inter Minden & Oldendorp prope arcem Espsdorp/quæ nomen Idistaviſi refert. Trophæum Romani in loco excitant, quâ contumelia accensi Germani, pugna acri & ambigua Romanos adoriuntur denuò. Tandem Romanis victoribus Germanicus congeriem armorum struxit, superbo hoc cum titulo; DEBELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE NATIONIBUS, EXERCITUS TIBERII CÆSARIS HÆC MONIMENTA MARTI ET JOVI ET AUGUSTO SACRAVIT. Monimẽta

a Tacit. l. 2. Annal. per totum.

b lib. 3. cap. 14.

hæc, ut habet Chytræus in deliciis itinerum in comitatu Difholtio propè ſtagnum Dummerium erecta fuere. Miles inde Romanus claſſe reducitur, cum clade penè & exitio, ita intumuit Oceanus. Hæc clades ut Germanos ad ſpem novi belli, ita Germanicum ad eos coercendos erexit, Marſiique vaſtatis & exciſis miles in hyberna apud Rhenum reductus eſt, & Germanicus Romam à Tiberio redire ad decretum triumphum monitus: triumphavit ad VII. Kalen. Iunias C. Cælio, & L. Pomponio Coſſ. Ann. Vrb. Cond. 770.

[a] *Geogr. lib. 7.*

In hoc triumpho, ait Strabo [a], illuſtrium virorum ducta ſunt corpora ſimul & fœminarum, Semiguntus Segeſti filius, Cheruſcorum ductor & Soror ejus, uxor autem Arminii, cujus ductu & auſpicio in Cheruſcis conflatum eſt bellum in fœderum fractione contra Quinctilium inſtitutâ. Ejus fœminæ nomen eſt Thoſuelda, ſecum erat filius trimus Tumelicus nomine, item Seſithacus Ægimeri filius Cheruſcorum ductoris ejuſque uxor Rhamis, Veromiri filia Cattorum principis, Deutorixque Bætoritis filius, fratris Melonis Sugambri. Ægeſtus quoque ſocer Arminii ab eo diſſentiens inchoante bello, qui obſervato tempore transfuga ad Romanos tranſivit, & traductis in triumpho cognatis patris aderat, honorificè ipſe in ducendo habitus in ipſa pompa incedebat; & Lybis Chattorum ſacerdos aliique mortales, &c. Triumphi etiam hujus indicium habet numiſma hoc æneum apud Vetera effoſſum,

Aegimerli & Aegeſti vocat Strabo, alii, Segimerum & Segeſti.

Anno ab Vrb. Cond. DCCLXXII. M. Silano & C. Norbano Coſſ. Arminius abſcedentibus Romanis, & pulſo Maroboduo regnum adfectans, libertatem popularium adverſam habuit, petituſque armis cum variâ fortunâ certaret, dolo propinquorum cecidit, *liberator haud dubiè Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, ſicut alii reges ducesque, ſed florentiſſimum imperium laceſſierit: prœliis ambiguus, bello non victus, ſeptem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit.*

[c] *Hæc ex Tacit. Annal. lib. 3. deſumpta.*

Anno ab Vrb. Cond. DCCLXIV [c]. Tiberio quartùm, & Druſo Nerone ſecundùm Coſſ. Galliarum civitates ob magnitudinem æris alieni ex continuatione tributorum, & gravitate fœnoris contracti rebellionem cæptavere, cujus exſtimulator accerrimus, inter Treveros, Iulius Florus, apud Æduos, Iulius Sacrovir, ille Belgas, hic propiores Gallos concivit. Haud fermè ulla civitas intacta hoc motu fuit. Conſultus ſuper eo Tiberius aſpernatus eſt indicium. Interim Florus inſiſtere deſtinatis, pellicere alam equitum quæ conſcripta Treveris militia diſciplinaque Romana habebatur, pauci,

pauci equitum corrupti, plures in officio manſere. Aliud vulgus obæratorum arma cepit, petebantque ſaltus quibus nomen Arduenna. Sed Julius Indus è civitate eadem, diſcors Floro, inconditam multitudinem adnuc, disjecit. Florus incertis latebris victores fruſtratus, poſtremo viſis militibus, qui effugia inſederant, ſua manu cecidit. Iſque Treverici tumultus finis.

Anno Vrb. Cond. *a* DCCLXXXI. Junio Silano, & Silio Nerva Coſſ. Friſii trans Rhenanus populus rebellant, Romanorum magis avaritiæ, quam obſequii impatientes; rapti qui tributo aderant milites, & patibulo affixi. Olennius infenſos, fuga prævenit, receptus caſtello, cui nomen Flevum, illic civium ſociorumque manus littora Oceani poſſidebat. Quod ubi L. Apronio inferioris Germaniæ Proprætori cognitum, vexilla legionum è ſuperiore provincia, peditumque & equitum auxiliarium delectos accivit, ac ſimul utrumque exercitum Rheno devectum, Friſiis intulit; ſoluto jam caſtelli obſidio, & ad ſua tutãda digreſſis rebellibus. Igitur proxima æſtuaria aggeribus & pontibus, traducendo graviori agmini firmat; atque interim repertis vadis, alam Caninefatum, & quod peditum Germanorum inter Romanos merebat, circumgredi terga Friſiorum jubet, ſed parùm providus aut fœlix, unde duplex Romanorum clades. Clarum inde inter Germanos Friſium nomen *b*.

a ix Annal. 11. Tacit. lib. 4.

b Tacit. Ann. l. 4.

Anno Vrb Cond. DCCLXXXV. Nati Chriſti XXXIV. circiter, Cn. Domitio & M. Furio Coſſ. *c* JESUS CHRISTUS Servator noſter cruci à Judæorum gente affixus eſt Hieroſolymis: mortuus quidem & ſepultus eſt, ſed tertia die è ſepulchro vivus reſurrexit, & quadrageſimo ab inde die in cœlum aſcendit, idq; in ſalutem omnium eorum, qui non tantum per univerſum terrarum orbem, ſed etiam ex hiſce, de quibus ſermo eſt, in eum crediturí eſſent, populis.

c in Chronic. Conſular. M. Durel. Caſſiodor.

CAIUS CALIGULA.

Tiberio jam inſidiis oppreſſo, CAJUS Cæſar filius Germanici in imperio ſuccedit, cognomentum calceamenti militaris, id eſt, CALIGULÆ ſortitus eſt, quia natus in exercitu fuerat *d*, & quidem ut Plinius Secundus, referente Suetonio *e* tradidit, in Treveris Vico Ambiatino ſupra Confluentes, unde verſiculi imperante mox eo divulgati

d Sext Aurel. Victor.

e Sueton. in Calig. cap. 8.

In caſtris natus, patriis nutritus in armis,
Iam deſignati principis omen erat.

Hic cum Galliæ à finitimis gentibus diriperentur *f*, admonitus de ſupplendo numero Batavorum, quos circa ſe habebat, expeditionis Germanicæ impetum cæpit, legionibus & auxiliis undique excitis, contracto etiam omnis generis commeatu, iter ingreſſus eſt *g*. Poſtquam caſtra attigit, nihil amplius quam Admimocino Bellini Batavorum regis filio, qui pulſus à patre cum exiguâ manu transfugerat, in deditionem recepto, quaſi univerſa tradita inſula magnificas Romam literas miſit *h*. Mox deficiente belli materiâ, paucos de cuſtodiâ Germanos trajici, occulique trans Rhenum juſſit, ac ſibi poſt prandium quàm tumultuoſiſſimè adeſſe hoſtem nunciari. Quo facto, proripuit ſe cum amicis

f Sext. Aurel. Vict. & quidem in vita Tiberii.

g Sueton. in Calig. cap. 43.

h Idem. cap. 44.

& parte equitum prætorianorum in proximam sylvam, truncatisque arboribus, & in modum trophæorum adornatis ad lumina reversus est *a*. Cum autem trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore consternationem si cunde hostis appareat, illico equum conscendit, ac properè versus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus & super capita hominum translatus est, turpique fugâ Romam reversus *b*. Conversus tamen ad curam triumphi, Gallorum procerissimum quemque legit, ac ad pompam sepositi, coëgitque non tantum rutilare & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, nominaque Germanica ferre *c*.

a Id. c. 45.

b Id. c. 51.

c Id. c. 47.

Hæc ad Rhenum, & quidem in hisce & vicinis provinciis, intra quadriennium gesta sunt.

TIB. CLAUDIUS.

Anno Vrb. Cond. DCCC, sexto circiter CLAUDII, C. Valerio Asiatico, & M. Valerio Messalla Coss. Cherusci gens regem Româ petivit, amissis per interna bella nobilibus, & uno reliquo stirpis regiæ, qui apud urbem habebatur, nomine Italus. Paternum huic genus ex Flavio fratre Arminii, maternum ex Catumero principe Cattorum erat. Ipse formâ decorus, & armis equisque in patrium Romanumque morem exercitus. Igitur Cæsar auctum pecuniâ, additisque stipatoribus, hortatur gentile decus magno animo capessere *d*.

d Tacit. Annal. lib. 11.

Per idem tempus Chauci nullâ dissensione domi, & morte Sanguinii alacres, dum Corbulo adventat, inferiorem Germaniam incursavere, Duce Gannasco, qui natione Caninefas, auxiliaris & diu meritus, post transfuga, levibus navigiis prædabundus Gallorum maximè oram vastabat, non ignarus dites & imbelles esse. At Corbulo provinciam ingressus magnâ cum curâ, & mox gloriâ, cui principium illa militia fuit, triremes alveo Rheni, cæteras navium ut quæque habiles, per æstuaria & fossas adegit; lintribusque hostium depressis, & exturbato Gannasco, ubi præsentia satis composita sunt, legiones operum & laboris ignaras, populationibus lætantes, veterem ad morem reduxit. Et natio Frisiorum post rebellionem clade L. Apronii cæptam infensa, aut malè fida, datis obsidibus consedit apud agros à Corbulone descriptos. Idem Senatum, Magistratus, leges imposuit, ac ne jussa exuerent præsidium immunivit, missis qui majores Chaucos ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo aggrederentur. Nec irritæ aut degeneres insidiæ fuere adversus transfugam & violatorem fidei. Sed cæde ejus motæ Chaucorum mentes, & Corbulo semina rebellionis præbebat. Ideo Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri præsidia cis Rhenum juberet. Jam castra in hostili solo moliebatur Corbulo, sed re subitâ signum receptui dedit. Ne tamen miles otium exueret, inter Mosam Rhenumque trium & viginti millium spatio fossam produxit, quâ incerta Oceani vetarentur *e*.

e Verbâ sunt Taciti Ann. l. 11. quæ hucusque inserere supersedimus.

Vitellii

Consulatus hi hic intercedunt.

Vitellii & Vipsanii. A.V.C. 801.
Pompeji & Q. Verannii. A.V.C. 802.
C. Antistii, & M. Suilii. His Coss. Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos Coloniamque deduci, imperat: cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac fortè acciderat, ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem accepetet, a. Hic est annus V. C. 803. & 40. post Cladem Varianam b.
T. Claudii quintùm, & Ser. Cornel. Orfiti. A.V.C. 804.
P. Cornelii Sullæ, & L. Salvii Othonis. A.V.C. 805.
D. Junii Silani, & Q. Haterii. A.V.C. 806.
M. Asinii Marcelli, & M. Acilii, Aviolæ. A.V.C. 807.
Imperatoris CLAUDII NERONIS & L. Antistii Veteris A.V.C. 808.
Q. Volusii & P. Cornelii Scipionis A.V.C. 809.
Imp. Claudii Neronis secundùm, & L. Calphurnii Pisonis. A.V.C. 810.

a Tacit. Ann. l. 12.

b Idem ibi.

Anno Vrb. Cond. DCCCXI. Imp. CLAUD. NERONE tertium, & Valerio Messalla Coss. c Paulinus Pompejus & L. Vetus exercitui Romano in hisce provinciis præerant. Ne tamen segnem militem attinerent, Paulinus inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coërcendo Rheno absolvit. CLAUDIUS. NERO.

c Tacit. Annal. lib. 13.

Justus Lipsius in suis ad hunc Taciti locum notis, sic de hoc aggere: Intelligitnè, inquit, fossam Drusianam, Issalæ hodie cognomento insignem? quæ Rhenum imminuit, exhausit, & quasi cõercuit? an potius aliud opus in Gallica ripa, quo tumidum ac vagum cum pernicie accolarum amnem reprimeret? videtur. Et refero ad aggerem istum, quæ lib. 5. hist. scripta; quin & diruit molem à Druso Germanico factam &c. Hæc Lipsius.

Vetus Mosellam atque Ararim, factâ inter utrumque fossâ connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare subvectæ, per eam fossam, mox fluvio Mosella, in Rhenum, exin' Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque littora fierent. Invidit operi Alius Gracilis Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, ne legiones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliarum affectaret. Cæterùm continuo exercituum Rom. otio fama pervagata est, ereptum legatis jus ducendi in hostem. Ideò Frisii juventutem saltibus & paludibvs per lacus admovêre ripæ Rheni, agrosque vacuos & militũ Rom. usui sepositos insedêre, auctore Verrito & Malorige, qui nationẽ eam, in quantũ Germani tunc regnabant, regebãt. Dubius Avitus accepta à Paulino provincia, minitãdo vim Romanam nisi abscederent Frisii veteres in locos, aut agros istos à Cæsare impetrarent, Verritum & Malorigem preces suscipere perpulit. Illi profecti Romam dum Neronem opperiuntur, theatrum Pompeii

intrant, ibi cum quosdam cultu externo in sedibus Senatorum adverterent, audirentque earum gentium honoris id datum, quæ virtute & amicitiâ Romanâ præcellerent; *Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse*, exclamant. Nero civitate ambos donavit, Frisios decedere agris jussit, Illis adspernantibus miles immissus, captis cæsisque qui pervicacius restiterant. Eosdem agros Ansibarii occupavere, pulsi à Chaucis. Illi tantum exilium orabant; aderat iis Bojocalus, vinctum se rebellione Cheruscâ jussu Arminii, mox Tiberio & Germanico ducibus stipendia meruisse, referens. Sed Avitus, cum arbitrium penes Romanos esse, quid agrorum darent, quid adimerent, respondisset, Ansibarii Bructeros, Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello vocabant. Curtilius Mancia tunc Aviti scripto monitus, Rhenum transgressus, à tergo Ansibariis arma ostendit. Avitus legiones in agrum Tencterum induxit, excidium minitans, nisi causam suam dissociarent. Igitur illis absistentibus, Bructeris etiam territis, & cæteris aliena pericula deserentibus, sola Ansibariorum gens retrò ad Vsipios & Tubantes concessit, quorum terris exacti tandem ut hostes cæduntur. Eodem anno Colonia nuper condita fatali igne conflagravit *a*. Hæc patria passa est Nerone imperante, quem tamen paulò minus XIV. annis perpessus Romanus orbis tandem destituit, initium facientibus Gallis, duce Iulio Vindice, qui tum eam provinciam pro Prætore obtinebat. Motum hunc Galliarum cognovit Neapoli, die ipso quo matrem occidit *b*. GALBA interim Carthagine novâ conventum agens, similiter tumultuari Gallias comperit, supervenerunt Vindicis literæ, hortantis, ut humano generi asserţorem ducemqne se accommodaret: Nec diu cunctatus conditionem recepit *c*. Et quanquam morte Vindicis maximè consternatus, vitæ ferè renunciasset, supervenientibus tamen ab urbe nunciis, ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurasse cognovit, depositâ legàti, suscepit Cæsaris appellationem, iterque ingressus Fontejum Capitonem res novas in Germania molientem oppressit *d*. Civitates Galliarum quæ cunctantius sibi accesserant, gravioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione punivit, & præpositos procuratoresque supplicio capitis affecit; cum conjugibus & liberis. Germanorum cohortem à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidissimam dissolvit, ac sine ullo commodo remisit in patriam *e*. Tandem omnibus ferè offensus, præcipuâ apud milites invidia flagravit. Sed maximè fremebat superioris Germaniæ exercitus, fraudari se præmiis navatæ adversus Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obsequium rumpere ausi *f*. Inferioris Germaniæ legiones diutius sine Consulari fuere, donec missu Galbæ *Vitellius* iis aderat *g*. Sed à Galba contrà opinionem isthuc missus est Vitellius *h*. Pisonem interea Galba adoptat. Id OTHONEM qui imperii sedem tenebat, offendit: nam ubi spe sua se lapsum videret, animum ad utriusque cædem appulit & perfecit, conciliatis sibi prætorianis. Illi æmulus statim

a *Hæc ex Tacit. lib. Annal.* 13.

GALBA.

b *Suet. in Neron. c.* 40.

c *Suet. in Galb. c.* 9.

d *ibid. cap.* 11.

e *Suet. in Galb. c.* 12.

f *Suet. in Galb. c.* 16.

g *Tacit. hist. l.* 1.

OTHG.

h *Suet. in Vitell. c.* 7.

statim est hostis *Vitellius* exortus; nam è rebus Galbæ annunciatâ *a*, Imperator etiam à Fabio Valente, consensu utriusque Germaniæ exercituum in Coloniâ Agrippinensi salutatus *b*, compositis Germanicis rebus, adversus Othonem in Italiam perrexit *c*. Verum in Galliâ cum adhuc esset, de Bebriacensi Victoriâ, & Othonis exitu audivit. Pugionem quo Otho se occiderat in Agrippinensem Coloniam misit Marti dedicandum *d*. Gesta hæc paucis mensibus, Coss. Imp. Serg. Galba, & Tito Vinio. Octavo imperii mense desciverunt à Vitellio exercitus, & pars in absentis; pars in præsentis *Vespasiani*, qui tunc Judæam ferè ceperat,

a Suet. in Vitell. c. 9.

b Tacit. hist. l. 1.

c Suet. in Vitell. c. 9.

d Suet. ib. cap. 10.

e Suet. in Vitell. cap. 5.

verba jurarunt *e*. Cujus copiæ in Italiam venientes, omnes tandem Romam per vim & varia prælia ingressæ sunt; & Vitellius ignominiosissimè occisus, uncoque in Tiberim tractus est *f*. Eodem anno, antequâ obitus Vitell. per Germaniam auditus esset, dum alii Vespasianum, alii Vitellium fovent, civile bellum motus Germaniæ præsertim inferioris excepit *g*, initium ejus facientibus Batavis, quod non ut socii sed ut mancipia haberentur. Auctor iis Claudius Civilis regiâ stirpe, Batavos specie epularum in sacrum nemus vocatos, ibique nocte ac lætitia calescentes ad arma compositâ oratione incitat & impellit, misitque ad Caninefates, qui consilia sociarunt, & Brinio duce accitis Frisiis, duarum cohortium hyberna proximo Oceano improvisi capiunt. Hîc dolo Civilis, mox apertâ vi prælioque, Caninefatibus, Frisiis, Batavisque ad illud compositis Romanos aggreditur, & haud procul à flumine Rheno vincit. Germanorum inde sibi juncto auxilio, cum Hordeanius ipsi segniter iret obviam, Lupercum, qui in ipsum cum legionariis, Vbiorum quoque & Treverorum auxilio, Batavorumque alâ egrediebatur, sed in ipsa acie à Batavis jam pridem à Civile corruptis, tunc vero fugientibus, deserebatur, prælio insigni fundit, Vbiis Treverisque fuga dispersis, legionariis verò in castra, quibus Veterum nomen est, effugium fumentibus. Iisdem diebus Batavorum & Caninefatium cohortes ad Civilem in inferiorem Germaniam tendunt, Bonnam veniunt, innoxium transitum petunt, ubi iis resisteretur, ferro viam invenere. Civilis vero ad Veterâ venit, quæ vbi machinis admotis frustra oppugnat, ad obsidium castrorum consilium vertit. Vocula ad id solvendum mittitur, additus Voculæ

FLAVIUS VESPASIANUS.

f Tacit. hist. l. 3.

g sequentia ex Tacit. hist. l. 4.

in partem curarum Herennius, sed non ausi ad hostem pergere, loco, Gelduba nomen est, castra fecere. In proximos Gugernorum pagos, qui societatem Civilis acceperant, ductus à Voculâ exercitus, pars cum Herennio mansit, quæ fortuito certamine à Germanis superatur. At Civilis ex Vbiis, Treveris, Menapiis, & Morinis actâ prædâ, contusis etiam Vbiis, cœlisecorum in vico Marcoduro cohortibus, ferocior, ad Vetera fatagit, qui cum parum consultè Germanos oppugnatum ea misisset, turris quoque à Batavis erecta, ab obsessis tracta esset, omissa oppugnandi spe, iterum ad obsidium vertit. Interim adversus Voculam veteranas cohortes, & quod è Germanis maximè promptum, mittit. Rapiuntur in transitu hyberna alæ Asciburgii sita, & Vocula penè oppressus, casu tamen adjutus, Batavos cædit, qui si hostem Civilem statim impellere, cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuisset. Civilis, quasi suis victoria provenisset, tentavit obsessorum apud Vetera animos, in quorum conspectu Vocula cum Civile acie pugnavit, eumque ad fugam compulit, sed Vocula omissis fugientium tergis, vallum turresque castrorum milite auxit, tanquam rursus obsidium immineret, impedimentaque legionum cum imbelli turbâ Novesium misit, ut inde terrestri itinere, quia Germani Rheno potiebantur, frumentum adveherent, fame apud Vetera pressis. Civilis missos frumentatores, datasque iis in præsidium cohortes invadit, incerto prælio, quod mox diremit: cohortes Geldubam perrexere, interim Civilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam atque inde Novesium concessit. Civilis capit Geldubam, mox haud procul Novesio equestri prælio prosperè certavit. Dum hæc geruntur in Germania, Vespasianus iterùm, & Titus Consulatum absentes inierunt. Lipsius[a] ponit in annum Vrb. Cond. DCCCXXIII. Audita tandem per Gallias Germaniasque morte Vitellii, duplicatur bellum. Civilis enim cum Classico præfecto alæ Treverorum, & quibusdam Gallis in Colonia Agrippinensi clanculum fœdus init, miscuere sese Tutor & Sabinus. Treveri & Lingones à Romanis palam deficiunt, Vocula resciscit, & in Coloniam Agrippinensem descendit, Gallorum inde fraude illectus ad hostem contendit, & haud procul à Veteribus Classium Tutoremque frustra increpat, ideoque Novesium verso itinere concedit, Classicique operâ occiditur. Romani ibi Gallis jurât. Tutor Agrippinenses eodē adigit, eodemq; obsessi in Veteribus sollicitantur, quos fames premit, & ad pactionem perpellit, eosq; abeuntes Germani præter fas cædunt. Vetera hincigne injecto eversa. Lupercus hîc captus est, interque dona missus Velledæ. Ea virgo nationis Bructeræ latè imperitabat, vetere apud Germanos more, quo pleraſq; fœminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur Deas. Tuncque Velledæ auctoritas adolevit, nam prosperas Germanis res, & excidium legionum prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Legio XIII. Novesio excedere jussa, castra quoque Bonnensia à Romanis deserta, hybernaque Romanorum

[a] *in not. ad Tacit. hist. lib. 4.*

norum hinc inde direpta & subversa sunt, in quo periculo etiam Agrippinensis Colonia versata, à Civile tamen ob memoriam veteris in se beneficii, servabatur, Germanis quidem invitis è quibus Tencteri Vbios adeunt, & ad defectionem à Romanis sollicitant, sed hi ambiguo callidoque responso Tencteros leniunt, legatosq; qui cuncta ex voluntate Agrippinensium, perferant ad Civilem & Velledam mittunt, sed coram adire, alloquiq; Velledam negatum; arcebãtur aspectu quò venerationis plus inesset, ipsa edita in turre. Dilectus è propinquis consulta responsaque ut internuncius nummis, portabat. Civili, qui Agrippinensium societate auctus Sunicos occupabat, Labeo Bethasiorum, Tungrorumq; & Nerviorum tumultuariâ manu se opponit, sed victus profugit. Civilis avia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Classicus segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur, nec Tutor quidem maturavit superiorem Germanicæ ripam, & ardua Alpium præsidiis claudere. Interim una & vicesima legio Vindonissâ, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam irrupêre. Tutor cum Treverorum copiis, vitato Moguntiaco, Bingium concessit, fidens loco, qui pontem Navæ fluminis abruperat, sed in cursu cohortium quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fususque. Ea clade perculsi Treveri, sed à Valentino & Tutore in arma retracti. Hoc belli statu Petilius Cerialis sub Vespasiano belli dux Moguntiacum venit, ejus adventu erecta spes. At Civilis & Classicus ubi pulsum Tutorem, cæsos Treveros, cuncta hostibus prospera accepere, trepidi ac properantes, dùm dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nunciis Valentinum movere ne summæ rei periculum faceret. Eò rapidiùs Cerialis, missis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto quod militum Moguntiaci, quantumque secum advexerat, tertiis castris, Rigodulum venit, quem locum magnâ Treverorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosellâ amne septum, & addiderat fossas obicesque saxorum. Non deterruere ea munimenta Cerialem, qui ut ventum ad manus, nobilissimos Belgarum, interq; eos ducem Valentinum, cepit. Cerialis postero die Coloniam Treverorum ingressus est, avido milite eruendæ civitatis, quam tamen Cerialis servat, Treverosque oratione facunda & sapiente composuit, & erexit. Civilis & Classicus isthuc adveniunt, Civilis pugnam differri censet, Tutor, & cum eo Classicus maturat. Media acies Vbiis Lingonibusque data, dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri, Tencterique, pars montibus, alii viam inter, Mosellamque flumen improvisi Romanos assiluere. Perrupta legionum castra, fusi equites: medius Mosellæ pons qui ulteriora Coloniæ annectit, ab hostibus infestus. Cerialis recuperatum pontem lectâ manu firmavit. Mox in castra reversus milites increpat, iique animum recipiunt, & hostem nimio prædæ intentum fugant. Orabãt auxiliũ Agrippinenses, offerebantq; uxorẽ ac sororẽ Civilis, & filiã

Classi-

Classici, relicta sibi pignora societatis, atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverunt. Unde metús, & justæ auxilium invocantium preces, antequam ad ultionem Civilis illuc intenderet, siquidem ille validus adhuc flagrantissimâ cohortium suarum integrâ, quæ è Chaucis Frisiisque composita, Tolbiaci, in finibus Agrippinensium agebat. Sed tristis nuncius avertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium, qui largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne injecto cremavere. Simul Cerialis propero agmine subvenit. Circũsiterat Civilem & alius metus, ne quartadecima legio, adjuncta Britannica classe afflictaret Batavos, quà Oceano ambiuntur. Sed classem Caninefates ultrò aggressi fundunt, Classicus quoque adversus equites Novesium à Ceriale præmissos, secundum prælium fecit, quæ modica sed crebra damna, famam victoriæ nuper partæ lacerabant.

TITUS. Interea TITUS *a* Judæam inque ea Hierosolymorum urbem cepit soloque æquavit,

a Sequitia in Tacit. hist. l. 5. de sumpta.

At Civilis post malam in Treveris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera consedit, secutus est eodem Cerialis. Ibi campis suopte ingenio humentibus, molis obliquæ à Civile in Rhenum additæ objectu revolutus amnis superfunditur, pugna isthic tumultuaria in aquis, Civilis Cerialem vincit, mox instaurata pugna Civilis in fugam pellitur, deserente eum, & è mole in Rhenum educta transnatante Bructerorum cuneo: neque ausus oppidum Batavorum *b* armis tueri, raptis quæ ferri poterant, cæteris injecto igne in insulam concessit. Quin & diruit molem *c* à Druso Germanico factam, Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disjectis, quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alveus, insulam inter, Germanosque, continentium terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque & Classicus, & centum tredecim Treverorum Senatores, tantumque belli superfuit, ut præsidia cohortium, alarum, legionum modicis vicis quadripartita Civilis invaserit. Decimam legionem Arenaci *d*; secundam, Batavoduri *e*; & Grinnes *f* Vadamque *g* cohortium alarumque castra. Germanorum, Batavoduri, irrumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prælium nox diremit, plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Classicus oppugnabant: Sed ubi Cerialis cum delectâ equitum manu subvenit, versa fortuna. Præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retẽtat, agnitus, petitusq; telis, relicto equo, transnatavit.

b Noviomagum, ut doctissimus placet.

c de ista mole, sup. ex Lipsio.

d Non Arnhem, sed Kæchpum pagus, in Velavia, ibi inviti sunt nummi Rom.

e Wpck the Duerstede.

f Vadamque the Vaalhenen.

g Wageningen.

Idem

Idem Germanis effugium Tutorem Classicumque appulsæ lintres vexere. Cerialis Novesium Bonnamque profectus ad visenda hyberna navibus remeabat, disjecto agmine incuriosis vigiliis. Animadversum id Germanis, & insidias composuere: electa nox atra nubibus, & prono amne rapti, nullo prohibente vallum ineunt. Prima cædes æstu adjuta. Aliud Germanorum agmen turbatâ Romanorum classe, prætoriam nauem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat. Multâ luce revecti Germani, captivis navibus, prætoriam triremem flumine Lupiâ donum Velledæ traxere. Civilem cupido incessit, navalem aciem ostentandi. Spatium velut æquoris captum, ubi Mosæ fluminis amnẽ Rhenus Oceano affundit. Cerialis flumine secundo Civilẽ, qui cum suâ classe uento agebatur, prętervectus, Civile etiam tunc nihil ausо, & trans Rhenum abeunte Batavorum insulã hostiliter populatus, agros villasq; Civilis intactos, notâ arte ducum sinebat. Inde per occultos nuncios Batavis pacem, Civili veniam ostentans, Velledam propinquosq; monebat fortunam belli tot cladibus adversam, opportuno erga populum Rom. merito mutare. Batavi inclinant. Non fefellit Civilem ea inclinatio. Petito igitur colloquio, scinditur Vahalis fluminis pons, in cujus abruptu progressi duces de pace (ita apparet ex fine admutilati libri) tractant.

Pace constituta castra hybernaq; ad Rhenum passim restaurata sunt Vespasiani providentiâ, qui per omnes terras qua jus Romanũ est *a*, renovavit urbes cultu egregio, viasq; operibus maximis munivit. Vetera castra aliaque hîc loci hyberna etiam ab eodẽ restituta esse, conjicere & hinc licet, quod major quæ isthic effodiuntur, numismatum pars, Vespasiani effigiem referant. Bella autem ista sub Vespasianis, patre filioque hic gesta sunt; miscuit se iis ante principatum *Domitianus*. cum nimirum Civilis Romanos armis infestis aggrederetur *b*, expeditionemque in Galliam Germaniasque, (auctore scilicet Civile rebellantes) non necessariam inchoavit, ut se fratri Tito adæquaret *c*. Talem quoq; jam Imperator in Cattos suscepit, de quibus post varia prælia triumphũ egit *d*. Empta tandẽ pax est à Germanis. Annua tributa constituta uti se trans Rhenum Danubiumque continerent. Domitianus prætereà Trajanum virũ belli & pacis artibus clarissimum, ex Hispaniis excitum, Germaniis quæ in Galliis sunt, præfecit, ut Germani trans Rhenani, virtute quoq; Trajani, & admiratione, justitiaq; in fœdere detinerentur *e*.

Hactenus Romæ, seu per Italiam orti imperium rexere, hinc advenæ *f*. *Coccejus Nerva* Trajanum in filii locum, inq; partem imperii adoptavit *g*. Is insignia imperii apud Agrippinã sumpsit, Ann. V.C. 847. *h* Igitur *Vlpius Trajanus* imperator apud Agrippinam, nobilem illam Galliæ Coloniam *i* factus, rempubl. ita administravit. ut omnibus principibus meritò præferatur. Vrbes trans Rhenum in Germaniâ reparavit *k*, adeoque Germaniam in pristinum statum reduxit *l*. Coloniam quoq; Trajanam, à se ita vocatam, in qua Legio xxx Vlpia victrix stationem habuit, deduxit. Sub hoc Imperatore

a *A. Vict.*

DOMITIANVS.

b *vid. Tac. hist. l. 4.*

c *Suet. in Domit. cap. 2.*

d *Suet. ib. cap. 6.*

e *hæc Aventin. ex Dione.*

f *A. Victor.*

COCCEIVS. NERVA.

g *Idem.*

h *Oros. l. 6. c. 7.*

i *A. Vict.*

k *Eutrop. lib. 8.*

l *Oros. d. loc.*

Vestritius Spurinna Bructerorum Regem à suis pulsum, procul dubio quod Romanis faveret, vi & armis induxit in regnum, ostentatoque bello ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriæ genus, terrore perdomuit *a*. De *Hadriano* habemus, quod architectorum, artificumque quorumvis agmina secum per imperii provincias omnes peregrinando traxerit, & colonias, oppida, castra in limitibus, præsidiorumque castella passim restauraverit auxerit, & ampliarit. Ex Dione enim Spartiano, Sexto Victore & aliis colligimus, eum in Galliis, ut & Britannijs multa novasse, ideoque & harum proviciarum castris, hybernis, & coloniis, cum omnes Rom. imperii provincias pedibus circumiret, & multa ædificaret, ornatus & augmenti aliquid contulisse credibile est; Atque hinc illi, restitutoris orbis terrarum titulus in hujusmodi numismate extat:

HADRIAN.

a *Plin. in epist. ad Macrin. epistol l. 2.*

ANTONINI.

De successoribus *Antoninis*, & sequentibus Augustis etiam manifestum est, eos variis in locis mutasse ac testituisse multa. Quod ipsum per Gallias ac Rheni limites testantur milliariæ columnæ, aliæque inscriptiones marmoribus incisæ cum Imperatorum titulis, quorum auspiciis pontes & viæ restauratæ, operaque publica in urbibus, oppidis, castris, ac castellis facta fuêre. Pighius in Hercule Prodicio ait, vidisse se in castro Lof supra Vetera, columnam translatam ex proximâ viâ militari, quæ characteribus vetustate licet fugientibus, docebat *Antoninum Pium* Imperatorem viam illâ publicam per aliquot passuum millia restituisse. Cæterum Antoninus Pius per legatos suos plurima gessit bella, per quos etiam Germanos (hîc & alibi ad Rhenum) rebellantes contudit *b*. Hoc apud Lorios villam propriam febre extincto, *M. Aurelius Antoninus* Rempubl. capessit, & confestim *L. Verum* genere sibi junctum in societatem potentiæ accepit. Cattos quoque in Galliam (contiguasque nobis provincias) irrumpentes, per Aufidium Victorinum repulit, emptis etiam Germanorum contra Germanos auxiliis. Bellum Marcomannicum ipse per se magnâ virtute confecit. Omni diligentiâ legiones (hinc inde in Galliis Rhenique ripâ constitutas) ad Germanicum Marcomannicumque bellum paravit *c*. De Germanis & Marcomannis cum filio Commodo, quem Cæsarem jam fecerat, triumphavit *d*.

PIVS.

b *Iul. Capitol.*

PHILOSOPHVS.

c *idem Iul. Capitol.* d *Eutrop. lib. 8.* *vide etiam nummum ad Vetera inventum.*

Sextus

Sextus Aurel. Victor auctor est, triumphos tunc ex nationibus quæ Regi Marcomaro ab usque urbe Pannoniæ, cui Carnuto nomen est, ad media Gallorum protendebantur, actos fuisse. Sub hoc principe Pertinax, post Imperator, multa præclarè gessit, cum in hisce, tum in aliis Germaniæ provinciis, classemq; Germanicam rexit *a*. Didius item Julianus post præturam legioni præfuit vicesimæ secundæ primigeniæ (legio hæc Veterum hyberna tenuit, testantibus lateritiis hisce tegulis sæpenumerò ibi effossis: |LEG XXII PR| |LEG XXII PRI VVI| (i.e. legio vicesima secunda Vlpia victrix) Inde Bellicam (fortè Belgicam) sanctè ac diù rexit *b*. *Commodus* qui patri in imperio successit, cum ab eo in supremis moneretur, attritos jam barbaros ne permitteret vires recipere, respondit, ab incolumi quamvis paulatim negotia perfici posse, à mortuo nihil *c*. Germanos magnis præmiis in amicitiam sibi adjunxit, qui, ut ait Herodianus, periculorum despicientes, aut populationibus incursibusque victum parabant, aut propositâ mercede pacem venalem habebant. Germaniæ in Gallia ejus imperiũ detrectarunt, sed omnia per duces sedata sunt *d*. Sub eo Severus post consulatum exercitui Germano præfuit. Clodius etiam Albinus per Cõmodum in Galliam missus, fusis tunc Phrisiis trans-Rhenanis celebre nomen suum & apud Romanos, & apud barbaros * fecit. Commodo sublato imperium *Pertinaci*, tunc Romanæ urbis præfecto confestim delatum est *e*. Eo prætorianorũ militũ seditione, & Didii Iuliani sceIere interfecto, *Iulianus* imperium invasit *f*. At *Severus*, ubi auditum est Commodum occisum, Iulianum odio cunctorum imperare, à Germanis legionibus, repugnans, imperator est appellatus *g*, qui Romam petiit, & Iulianum pontem proximè Milvium devicit, missique qui fugientem persequerentur, apud Palatium Romæ obtruncavere *h*. Sub eo Albinus in Gallia se Cæsarem fecit, sed apud Lugdunum victus est & interfectus. Ab hoc Albino Albiniana castra (**Alfen** in Hollandia inter **Woerden** & **Leiden**) vocata, cujus etiam argentea numismata reperta ibi sunt. Cæterum Severus filios suos successores reliquit *Bassianum* & *Getam*. Bassianus, ut solus regnaret, fratrem occidit. E Gallia Germanicam vestem Romam devexit, quâ utens, Caracalla de nomine hujus vestis cognominatus est. Alemannos gentem populosam ex equo mirificè pugnantem propè Mœnum amnem devicit *i*. Notandorum Alemannorum nomen celebrari cœpisse, ubi Germanorum diversæ gentes Romanos ad Rhenum & in Galliis majori quam hactenus

a *Iul. Capitol.*

COMMODVS.

b *Ael. Spartian.*

c *Sext. Victor.*

d *Ael. Lamprid.*

* *Intelligit Germanos.*

ÆLIVS PERTINAX.

DIDIVS IVLIAN.

SEVERVS.

e *A. Vict.*
f *Eutrop.*
g *Spartian.*
h *A. Vict.*

BASSIAN. CARACALLA. GETA.

i *Idem.*

hactenus vi & numero oppugnatum conveniſſent. Sequentium Impp. *Macrini*, & *Heliogabali* tempore, nil memorabile, quod quidem in hiſce & aliis ad Rhenum partibus geſtum ſit, habent Hiſtorici, recenſendis iſtorum Imperatorum flagitiis occupati. Sub *Alexandro Severo* tamen Germani Rhenum tranſgrediuntur, Gallias vaſtant, Romanorum præſidia ad Rhenum paſſim diripiunt, legiones quoque tumultuantur. Hæc ubi Alexandro Antiochiæ tunc agenti literis nunciata ſunt, compoſitis ibi rebus mox adverſus Germanos properat. Alexander Moguntiacum cum veniſſet, pontem ibi primò junctis inter ſe navibus in Rheno fecit, ut per eum exercitus in Germaniam magnam trãſgrederetur, quo jam Germani deprædatis Gallis concesſerant. Huic bello intentũ, milites, fraude Maximini, qui eos grandibus pollicitationibus ineſcarat, Alexandrum cum paucis agentem in vico Sicilia (**Sickling**) in agro Moguntino interficiunt, Mammeamque matrem ejus contrucidant, quæ Ficeliæ (**zu Ober-Weſel**) ſepulta eſt. Carptim hæc attingunt Herodianus, S. Aur. Victor, Lamprid. Eutrop. Aurel. Caſſiodor. Jornand. &c. Omnem autem belli apparatum, quem Alexander inſtituerat, *Maximinus* à militibus Imperator factus traduxit in Germaniam. Quid verò ibi geſſerit ex ejus potiſſimum literis, quas Julius Capitolinus, ex Ælio Cordo refert, intelligere licet: Ita enim ſcripſit ad Senatum: Non poſſumus, tantum Patres Conſcripti, loqui quantum fecimus. per cccc millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abſtraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus. Perveniſſemus ad ſylvas niſi altitudo nos tranſire non permiſiſſet. &c. Repreſſi hoc modo Germani quieverunt aliquamdiu ſub ſervitutis jugo, donec Valeriani infælicitate, & Gallieni filii ejus ignaviâ, jugum erecta rurſum cervice excutere licuit. Conjicere hinc facilè quiſquis poteſt, provincias etiam haſce iſtis cladibus inſigniter fuiſſe implicatas & afflictas. Cæterum Maximini Imperio duo *Gordiani* pater & filius principatum arripientes, unus poſt unum interière. Pari etiam tenore *Pupienus* & *Albinus* regnum invadentes perempti ſunt *a*. Pupienus iſte ſub Maximino Germanius, quæ in Galliâ ſunt, rexerat, & cum copiis militaribus Germanorum Ravennam profectus, ibi quæ ad bellum ſpectabant, comparatis, ad Aquilejam Maximino occurrens, ipſum ibi occiderat. Sub *Aelio Antonino Gordiano* Gordiani Auguſti filio Danubius & Rhenus ſimul eodem tempore ſe Romanis provinciis ſuperfundebant *b*. Sub *Philippis* & *Decio* nihil hîc geſtum legimus, niſi quod Decius bellum civile in Galliâ (forſan etiam in hoc tractu) motum, oppreſſerat *c*. *Gallus* autem *Hoſtilianus*, & Galli filius *Voluſianus* non completo potentiæ biennio nihil omnino clarum geſſerunt *d*. Quin etiam *Licinii Valeriani* & *Gallieni* imperium Romano nomini pernicioſum ac pene exitiabile fuit vel ipſorum infælicitate vel ignavia. Illo ſiquidem

MACRINVS. HELIOGABALVS. ALEXANDER SEVERVS. MAXIMINVS. GORDIANI DVO. PVPIENVS. ALBINVS. AELIVS ANTONIN. GORDIAN. PHILIPP. ARABS DECIVS. GALLVS HOSTIL. VOLVSIANVS. LICINIVS VALERIANVS. GALLIENVS.

a *A. Vict.*

b *hæc Aventin. ex Rom. ſcript. collegit.*

c *Eutrop. lib. 9.*

d *Eutrop. ibid.*

à Sa-

à Sapore Persarum Rege in Mesopotamia capto, ignobilique servitute detento, & tandem fædè laniato, Germani Ravennam usque venerunt *a*. Hoc verò postquam à Galliâ (hisceque provinciis) Germanos adhuc strenuè arcuisset *b*,

a *Idem, ib.*

b *A. Victor. vide etiam numum argent. apud Colon. Trajan, reperr. num.*

mox in omnem lasciviam ignaviamque dissoluto, Alamanni vastatis Galliis in Italiam irruperunt. Germani etiam usque ad Hispanias excurrerunt, Tarraconemque expugnaverunt. Tum, jam desperatis rebus, & deleto penè imperio Romano, *Posthumus*, qui Barbaris, ut ait Sextus Aurelius Victor, per Galliam, hoc est, harum & vicinarum provinciarum gentibus, præsidebat, purpuram sumpsit, & per annos decem ita imperavit, ut consumptas penè provincias ingenti virtute & moderatione reparauerit; qui seditione militum, (& quidem à Victorino Victoriæ filio *c*) interfectus est, quod Moguntiacum, quæ adversus eum rebellaverat, Lolliano res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset *d*. Interempto autem Posthumo castra ea, quibus is Rheni limites muniverat, nonnulla etiam quæ in solo Barbarico ædificaverat, subitâ Germanorum irruptione direpta sunt & incensa. *Lollianus* verò postquam in Posthumi locum subrogatus, delatum sibi à Gallis sumpsisset imperium, illa sicut & pleraſque Galliæ civitates bello vastatas in statum veterem reformavit *e*. *Victorinus* postea Galliarum accepit imperium, sed cum nimiæ libidinis esset, Agrippinæ occisus est cum filio *f*. Sepulchrum eorum circa eam urbem extitisse, tradit Trebellius Pollio, hac cum inscriptione: *Hic duo Victorini Tyranni siti sunt*. Interim Victoria amisso Victorino filio, *Tetricum* imperatorem facit, comprobantibus legionibus. Gallienus tandem Mediolani occisus est *g*. Ipsius autem morientis sententiâ Imperator designatus est *Claudius* princeps optimus. Hic receptis legionibus, Alamannos in Italiam irrumpentes, haud procul à lacu Benaco fudit *h*. Verum inviderunt huic fata longiorem vitam: jam enim sensim collabi debebat Romanum imperium. *Aurelianus* igitur mortuo Claudio, interemptoque ejus fratre Quinctilio, imperator factus, Tetrico apud Catalaunios prodente exercitum, Gallias recepit *i*; nam apud Moguntiacum Francos, quorum nomen tunc primùm in hisce partibus & ad Rhenum celebrari cœpit, cum vagarentur per totam Galliam, sic afflixit, ut trecentos ex his captos, septingentis interemptis, sub coronâ vendiderit; unde de eo facta cantilena est: mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus,

POSTHVMVS.

c *Treb. Pollio.*

d *Eutrop.*

LOLLIANVS.

VICTORINVS.

e *Treb. Pollio.*

f *Eutrop. lib. 9.*

TETRICVS.

CLAVDIVS.

g. h. *Aur. Vict. & alii.*

AVRELIANVS.

i *Iornand. de regn. succes. l. 1.*

TACITVS FLORIAN. mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus *a*. *Tacitus* & *Florianus* post hunc successivè imperarunt, sed breve ipsorum imperium obstitit, ne dignum quid memoriâ egerint *b*. *Probus* tandem Gallias, quæ omnes occiso Posthumo turbatæ, & interfecto Aureliano à Germanis possessæ fuerant *c*, ingenti præliorum fælicitate restituit *d*. Sic enim inter alia ipse Imperator ad Senatum scribit: cccc. millia hostium cæsa sunt, & sedecim millia armatorum nobis oblata, & LXX. urbes nobilissimæ captivitate hostium liberatæ. Autor Vopiscus. Idem quoque refert, Francos à Probo Cæs. postratos in inviis paludibus. Unde acclamatum ei Romæ; Tu Francicus tu Gothicus. Memorabile est, quod habet panegyristes ad Maximianum exiguum Francorum numerum, quos captos Probus in pontum procul transtulerat, arreptis navibus totam ferè Europam circumvectos esse, & Asiæ, Græciæ, Lybiæque depopulatis littoribus, captis etiam Syracusis per Oceanum tandem ad suos revertisse. De Victoria autem illa Germanica extat nummus argenteus ad Vetera repertus;

PROBVS.

a Fl. Vopis.

b Eutrop.

c Fl. Vopisc.

d Eutrop.

Proculum etiam & Bonosum imperium usurpare conatos, Agrippinæ oppressit. Bonosus iste bibit, quantum homo nemo; quapropter Aurelianus eum in honore habuit, ut Germanorum legatis, quando venirent propinaret, atque ab ebriis secreta cuncta cognosceret *e*. Post Probum *Carus* factus est Augustus, qui confestim *Carinum* & *Numerianum* filios Cæsaris fecit. Et quoniam cognitâ Probi morte, Barbarorum quique opportunè invaserant, missio ad munimentum Galliæ majore filio, Numeriani comitatu in Mesopotamiam pergit protinus *f*. Caro ictu fulminis, Numeriano vero insidiis Apri interemptis, exercitus *Diocletianum* imperatorem creavit. Is Aprum manu suâ percussit. Mox Carinum omnium odio & detestatione viventem prælio ingenti vicit *g*. Fl. Vopiscus ex oratione quadam Numeriani refert: cum Diocletianus apud Tungros in minoribus locis adhuc militans in cauponâ quadam moraretur, à Druijade ei imperium his verbis: *Imperator eris cum Aprum occideris*, prædictum fuisse. Imperium adeptus, ubi comperit Carini discessu, Helianum Amandumque per Galliam excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis latè agris pleraque urbium tentare, *Maximianum* in imperii consortium accepit *h*. Maximianus in Galliam profectus fusis hostibus, brevi quieta omnia reddidit. Ideo etiam panegyristes ei liberatæ semel Bataviæ vicinæque regionis laudem tribuit. Quanquam, inquit, illa regio divinis expeditionibus tuis, Cæsar, vendicata atque purga-

CARVS.

e hæc ex scriptorib. Rom. refert Aven.

f A. Victor.

DIOCLETIANVS.

g Eutrop.

MAXIMIANVS.

h A. Vict.

purgata, quam obliquis meatibus Scaldis interfluit, quamque divortio sui Rhenus amplectitur, penè, ut verbi periculo loquar, terra nam est, ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non solum qua manifestè palustris est, cedat nixum, & hauriat pressa vestigium, sed etiam ubi paulò videtur firmior, pedum pulsu tentata quatiatur, & sentire se procul mota pondus testetur. Ita ut res est, subjacentibus innatat, & suspensa latè vacillat, ut meritò quis duxerit, exercendum fuisse tali solo militem ad navale certamen. Hæc ille. Eo bello Carausius Menapiæ civis, factis promptioribus enituit, eoque eum simul quia gubernandi gnarus habebatur, parandæ classi, ac propulsandis Germanis *a* (Francis scil. & Saxonibus per tractum Belgicæ & Armoricæ *b*. maria infestantibus præfecere. Hoc elatior, cum parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret, Maximiani metu, à quo se cædi jussum compererat, Britanniam hausto imperio capessivit *c*. Zosimus comes lib. 2. auctor est, Diocletiani & Maximimiani auspiciis, Rheni, provinciarumque omnium limites oppidis & castellis ita munita fuisse, ut omnes copiæ militares in iis domicilium habere, & ubique hostium repellendorum causâ confluere possent. Maximianus etiam, ut obiter hoc annotemus, Thebæam legionem, quam illi contra Carausium bellaturo Diocletianus miserat auxilio, propter Christianæ religionis professionem velut rebellem decimationibus primùm exhausit, ac variis deindè cædibus crudelissimè dissipavit & afflixit, ejusque cohortes, quæ jam per Rheni ripam descenderant usque in inferiorem Germaniam persequi item jussit, è quibus Cassium & Florentium Bonnæ, Gereonem Agrippinæ, Victorem cum suis ad Vetera castra Coloniamque Trajanâ occisos esse, historiæ Ecclesiæ Sanctensis referûnt *d*. Diocletiano & Maximiano imperium deponentibus ad administrationem Reipubl. *Constantius* & *Galerius Maximinus* Augusti creati sunt, divisusque inter eos Romanus orbis, ut Galliam Italiam Africam Constantius, Illyricum Asiam, Orientem Galerius obtineret *e*. Eodemque tempore Constantinus Constantii & Helenæ filius Cæsar efficitur *f*. Constantii autem Cæsaris imperio, cum Franci asperâ hyeme Rhenum gelu constrictum transgressi, Bataviam occupassent, glacie soluta ab imperatore oppressi sunt. Multa ille, inquit panegyristes ad Maximianum & Constantinum, Constantii patris ejus mentionem faciens, Francorum millia, qui Bataviam aliasque eis Rhenum terras invaserant, interfecit, depulit, abduxit. Alius ad Constantinum de patre Constantio loquens. Terram Bataviam, inquit, sub ipso quondam alumno suo, à diversis Francorum regum gentibus occupatam, omni hoste purgavit: nec contentus vicisse, ipsas, in Romanas transtulit nationes, ut non solùm arma sed & feritatem deponere cogerentur. Jam Constantius utcunque Francos compescuerat, & ad fœdus faciendum coëgerat, sed cum digressus esset in alias provincias, alliisque bellis occuparetur, obliti fœderis Franci, rursum in Galliam incursionem fecerûnt.

a *Aur. Vict.*
b *Eutrop. lib. 9.*
c *Aur. Victor.*
d *Vid. Hier. Præd.*
CONSTANTIUS.
e *Eutrop. lib. 10.*
f *Aur. Victor.*

CONSTANTINVS M.

Itaque Constantinus postea Imperator Constantii ex Helena filius imperante adhuc patre & adolescens duos Francorum regulos Ascaricum & Ragaysum cepit, bestiisque dilaniandos objecit *a*, ne posteà potestate adeptâ Rheni transitum amplius tentarent *b*. Constantinus hic Magni cognomen ob res præclare gestas meruit. Christum professus, nomen ejus numismatibus signis & labaris suis inscribi voluit, literis hiscè initialibus; X P. hoc modo se tangentibus ☧. Hinc Prudentius de hoc signo ait:

a Panegyristes ad Constantinum.
b Eutrop. lib. 10.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum clypeorum insignia Christus
Scripserat. ——

Semina hinc Christianæ fidei indubiè etiam non tantum inter Romanos, sed & provinciales hîc loci aut habitantes aut militantes sparsa sunt. Constantinus M. tres filios successores reliquit: *Constantinum II. Constantem & Constantium.* Constantino II. Galliæ Hispaniæ & Britanniæ, Constanti Italia Africa Illyricum & Græcia, Constantio Oriens & Thracia obvenere. Sed Constantinus non contentus hac divisione bellum civile contra jus & fas movit, verum ad Aquilejam contra Constantem profectus, ab ejus militibus occisus est. Constans igitur post fratris meritam cædem, omni conatu superatis Alpibus Galliam intravit, varioque eventu pugnans, intra biennium omnes fratris Constantini provincias consecutus est. Sed cum gubernationem negligeret, multa etiam crudeliter faceret, clandestinis sociorum consiliis factus est Imperator *Magnentius*, qui & *Decentium* fratrem Cæsarem fecit. Verum Constantius adversus Magnentium in Galliam profectus, eum ferro sibi ipsi vitam adimere compulit, Decentius hoc audiens, laqueo vitam finit. Magnentio autem & Decentio hoc modo sublatis, Sylvanus dux Germaniæ Inferioris in Gallîâ Belgicâ, qui pro Constantio contra Magnentianos Alemannosque acerrimè Gallias tutatus fuerat, apud Augustum, ob invidiam, falsò, quod res novas moliretur, accusatur, ideo ab Augusto insidiæ ei tenduntur. Quod ubi comperit Sylvanus, conqueritur apud exercitum in Colonia Agrippinensi, nec mora à fremente milite imperator creatur, mittitur ad ipsum Agrippinam à Constantio Ursicinus dux, rei militaris peritissimus, & cum eo Ammianus Marcellinus, historiarum scriptor *c*. Tribuni Sylvani pecuniâ corrupti impetum in regiam de improviso faciunt, fugientem Sylvanum in Ecclesia Christianorum trucidant, undetrigesimo imperii die

c vide Ipsius, Ammian. Marcell. libros.

Dum

Dum civilibus bellis Romani sese invicem atterunt, Germani assueti direscere prædis Romanorum, florentissimas & antiquissimas in Gallijs urbes capiunt, diripiunt, castra, hyberna, æstiva expugnant, legiones delent; juxta Rheni fluenta Castra Herculis, Quadriburgum Tricesimæ, Novesium, Agrippina, Bonna, Antennacum, Bingium, aliaque complura loca partim direpta, partim excisa sunt. Agros illos contra consuetudinem Germani occuparunt, ibique sedes quasi perpetuò mansuri fixerunt.

Franci tunc cum Camavis apud Toxandriam in Romano solo cum liberis & conjugibus consederunt. Quocirca Imperator Constantius periclitanti Galliæ consulturus, *Julianum* patruelem suum, Athenis tunc literis operam dantem Mediolanum accersit, ibique octavo Idus Novemb: Cæsarem declarat. Arbitione & Lolliano Coss. Anno salutis 360. Helenam inde sororem suam Augustus Juliano connubio jungit, qui quatuor annos continenter cum Germanis decertavit. Calendis autem Decembris Julianus per Taurinos Gallias petit, & Viennæ hyeme exactâ, delectuque apud Vesontionem habito, primo Brocomagum sive Breucomagum occupat, Germanisque obviam ei venientibus fusis fugatisque, nulloque postea repugnante, ad recuperandam Agrippinam ante ipsius in Galliam adventum, excisam, profectus est. Nulla isto tractu tunc civitas videbatur, nisi quòd apud Confluentes Rigodulum oppidum esset, & propè ipsam Coloniam, turris. Igitur Agrippinam ingressus, non ante inde motus est, quam Francorum regibus perterritis pacem firmaret. Quibus vincendi primitiis lætus per Treveros apud Senonas hyematurus, abscessit. Interea Chonodomarus rex Germanorum nobilissimus, aliique Alemannorum reges, Suomarius, Hortariusque ad Argentoratum copias cogunt conjunguntque, ad Julianum legatos mittunt, jubentque eundem Galliis excedere suis, quas jure belli acquisivissent, si non pareret, congrederetur. Iulianus auditâ legatione cum omnibus copiis in hostes movet, Alemannosque ingenti prælio vicit, capto ibidem Chonodomaro, qui Juliano oblatus, veniamque poscens, bono animo esse est jussus. Suomarius quoque Hortariusque reges, pacem suppliciter orantes in deditionem accepti sunt. Victor Julianus Moguntiacum proficiscitur, Rhenum ponte jungit. Huc legati Germanorum veniunt, pars pacem postulat, pars bellum minatur. Julianus octingentos milites clanculum navibus in Germaniam transportat, egressi, quicquid invenire poterant, ferro violarunt ac flammis, monumentum etiam in Alemannorum solo à Trajano conditum, sed ab illis destructum tumultuario studio reparant, locatis ibi pro tempore defensoribus. Germani qui interim pontem, dum struereturr, observabant, desertis insidiis avolarunt. Ponte perfecto Iulianus cum omnibus copiis transit, rebellium domos & messes exurit, resistentes trucidat. Ita ad regionem, cui Capellatii (vulgò Pfaltz) nomen est, veniens, castra locat, ibi cũ Germanorum regulis qui supplices venerant, fœdus ictum, amicitiaque

citiaque firmata est, receptique in societatem Romanam omnes captivos reddiderunt, quorum undecim millia fuere; Cæsare in Alemannorum secessibus occupato, Severus magister equitum per Agrippinam & Iuliacum Rhemos petiturus, offendit Francos loca vacua præsidiis vastare, duoque munimenta quibus se tutarentur occupasse. Huc properat Iulianus, & Castellum oppidum quod Mosa ambit, obsidione, mense scilicet Decembri & Ianuario, claudit, donec 54to obsidionis die fame compulsi se dederent. Inde Parrhisios hyematurus abit. Receptâ igitur omni Galliâ Iulianus ibidem faustis acclamationibus à militibus Augustus est appellatus. Interea Franci qui Belgicam inferiorem possidebant, Germaniæ populos ad irruptionem in Gallias concitant. Iulianus, antequam in unum cogerentur, ut eorum conatibus proveniret, petit primum Francos Salios cognominatos, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula sibi figere (Salios Iuliani tempestate Batavorum tenuisse insulam auctor est Zosimus lib. 3.) Horum legatio cum Tungros venisset Cæsar præstò est, verum comiter dimissis legatis, improvisus eos adoritur; jamque precantes potius quam resistentes in deditionem recepit. Inde tria munimenta & castra ad Mosam à Germanis excisa, reparat; quin etiam urbes illas à Francis antè occupatas & destructas, utpote Castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimas, Novesium, &c. recuperat. Iterùm & postremùm in limitem Germaniæ secundæ est egressus, omnique apparatu communitus, Tasandro oppido (Cluverius legit Obtricensi Mosæ oppido) propinquabat. Rheno deinde transmisso, regionem subitò pervasit Francorum, quos Ansuarios vocant, incertorum hominum, licentiùs etiam extima Galliarum perscrutantium. Hos negotio levi superavit; captisque plurimis & occisis, orantibus aliis qui superfuêre, pacem ex arbitrio dedit. Vnde reversus pari celeritate per flumina præsidiaque limites explorans diligenter, ad Rauracos venit, locisque quæ olim Germani intercepta retinebant, recuperatis, plenioreq; curâ firmatis per Bosontionem, Viennam hyematurus abscedit. Hinc Iulianus rerum potitus, ingenti apparatu Parthis intulit bellum. Ex illo victor remeans dum se inconsultius præliis inserit, hostili manu interfectus est. Iuliano ita, & post eum *Iouiniano* octo mensium imperatore mortuo *a*, *Valentinianus* Ann. Vrb. Cond. MCXIX. apud Niceam Augustus salutatur. Is Saxones (Ann. Vrb. Cond. MCXXVII.) gentem in Oceani littoribus, & paludibus inviis sitam, virtute atque agilitate terribilem, in Romanos fineis eruptionem meditantem in Francorum finibus oppressit *b*. Infra Coloniam Agrippinam cæsos esse ex Zosimi lib. 4. constat. Hic Valentinianus cum Valente fratre regnavit annos tredecim. Post hos *Gratianus* à Valentiniano patre jam antea in collegam cœptatus, imperavit cum Valentiniano annos octo, dies octoginta quinque: cum patruo & fratre tres: cum eodem fratre ac *Theodosio* quatuor: & cum his omnibus, antecedente *Arcadio* menses sex. Hic apud Argentarium oppidum Galliæ

a *Eutrop. lib.* 10.

IOVINIANVS. VALENTINIANVS.

b *Paul. Diac. l.* 11.

Galliæ triginta Alamannorum millia in bello extinxit. *Valentiniā-num II.* fratrem conſanguineum, puerum adhuc vix quadrimum, ab exercitu Cæſarem declaratum, ab imperii ſocietate non repulit, ſed omnia ei communia fecit. Sed cum animadvertiſſet ab Hunnis & Alanis extremum periculum inſtare nomini Romano, accito ab Hiſpaniâ *Theodoſio*, cunctis faventibus, agenti annum à triceſimo tertium, imperium committit *a*. At vero Gratianus dum exercitus negligeret, & paucos ex Alanis quos ingenti auro ad ſe tranſtulerat, veteri ac Romano militi anteferret, odia contra ſe militum excitavit. *Maximus* ergo in Britanniâ invitus ab exercitu imperator creatus, in Galliam tranſiit, & à Gratiani legionibus exceptus, eundem ſubitâ incurſione perterritum in Italiam tranſire meditantem dolo interfecit *b*. *Franci* quoque Genovalda, Sonnone, & Marcomaro ducibus Rhenum circa Moguntiam tranſgrediuntur, haud inde procul in vico Sicilia nomine copias Maximi profligant, in totā Germaniam cis-Rhenanam, quæ eſt Gallia Belgica erumpunt, limite rupto, pluribus cæſis, fertilibus maximè oris devaſtatis Agrippinenſi Coloniæ metum injiciunt. Quod ubi Treveros nunciatum eſt, Nannenus & Quintinus collecto exercitu apud Agrippinam conveniunt. Sed jam Franci optima quæque depopulati, onuſti prædâ per Rhenum in Germaniam tranſierant, aliquot tamen reliquerant in Romano ſolo ad iterandam depræda-tionem, quos Romani apud Carbuariam ſylvam fundunt, pauci fuga elabuntur. Conſultant poſthæc duces ipſius Maximi, in Franciamnè trans Rhenum infeſto exercitu injurias ultum caſtra moveant. Nannenus ire recuſat, cauſatus Francos haud imparatos, & domi procul dubio fortiores fore. Nannenus Moguntiacum revertitur, Quintinus armis infeſtis circa Noveſium Rhenum tranſgreditur, ſed infeliciter pugnat. Arbogaſtus genere Francus, pulſus à Sonnone & Marcomaro, Germanicæ legionis præfectus in Galliis, Valentinianum II. adhortari non deſinit, ut in Francos arma moveat, & auctores belli Sonnonem & Marcomarum petit dedi. Valentinianus invitatos ad colloquium in Germaniam dimittit, ipſe Treverosad hyberna concedit. Id diſplicuit Arbogaſto, ideo conſcio Eugenio in Valentinianum conſpirat, Valentinianus Viennæ ſtrangulatur. Intereà Arbogaſtus ob veterem in Sonnonem & Marcomarum Franciæ regulos ſimultatem, hyeme Agrippinam Coloniam cum omnibus copiis petit, tranſgreditur Rhenum, Bructeros ripæ proximos Chamavorumq; pagos depopulatur, nullo hoſtium occurrente præter paucos ex Anſuariis & Chattis Marcomaro duce in collium jugis ſe oſtendentibus. Sed Arbogaſtes non auſus ſe credere ſylvis trans Rhenum, Agrippinam revertitur, Eugeniumque Imperatorem Galliæ creat, qui cum Alemannorum & Francorum regibus fœdus init *c*. Extincta ſic cum Gratiano & Valentiniano II. familiâ Valentiniani I. ſolus ſucceſſit *Theodoſius, qui & poſtremus Romanum imperium in Occidente & Oriente integrum tenuit*, dignus haud dubiè qui inter optimos principes connu-

VALENTINIAN. II.

THEODOSIVS.

a *A. Vict.*

MAXIMVS.

FRANCI.

b *Paul. Diac. l.* 11.

c *Ex Greg. Tur. l.* 2. *c.* 9. *qui ea habet ex Sulpitio Alexandro.*

THEODOSIVS.

connumeretur. Pacatus panegyriſtes Theodoſium laudat à debellatis Saxonibus, Attritam, inquit, pedeſtribus prælis Bataviam referam? Saxo conſumptus bellis navalibus offeretur. Addit, Saxonicum dici potuiſſe, ſicut & Sarmaticum & Alemannicum. Contra Eugenium & Arbogaſtem necem Valentiniani ulciſci parans, eos in Alpibus ſuperavit. Hinc Claudianus;

O nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris
Aeolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Hac victoriâ potitus filios duos imperii conſortes fecit, *Arcadium* orienti, *Honorium* occidenti præficiens. Et quoniam ætate minores erant, duces illis attribuit, Arcadio Ruffinum, Honorio Stiliconem, neque multò poſt vitam finiit Mediolani Imp. Honorii anno octavo, Vrb. Cond. 1154. *Franci* pridie Cal. Jan. hyeme rigente trajecto Rheno iterùm Gallias inceſſentes Treverim urbem incendunt, indeque in Belgicam & Celticam progreſſi ſunt *a*. Ad has turbas & ſeditiones ſedandas, Galliaſque adſerendas Stilico miſſus eſt. Is quid egerit Claudianus teſtatur lib. 1. de laudib. Stiliconis:

DIVISIO IMPERII.

ARCADIVS & HONORIVS.

a *Sigeb. Aemyl. lib. 1.*

Cedant Druſi tui, cedant Trajane labores
Veſtra manus dubio quicquid diſcrimine geſſit,
Tranſcurrens egit Stilico, totidemque diebus
Edomuit Rhenum quot vos potuiſtis in annis. &c.
Impiger à pigro deſcendens fluminis ortu
Ad biſidos tractus & juncta paludibus ora
Fulmineum perſtrinxit iter, ducis impetus undas
Vincebat celeres, & pax à fonte profecta
Cum Rheni creſcebat aquis, ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice reges, &c.
Occurſant ubicunque velis, nec fama fefellit
Juſtitiæ, videre pium, videre fidelem,
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit,

Et iterum:

—— Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeo miteſcere cogis (ſcil. ô Stilico)
Ut Salius jam rura colat, flexoſque Sicambri
In falcem curvent gladios, gemmaſque viator
Cum videat ripas, quæ ſit Romana requirat.
Ut jam trans fluvium non indignante Cayco (i.e. Chauco)
Paſcat Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Et poſt pauca:

—— Vinclis punire licet. ſub judice noſtro
Regia Romanus diſquirit crimina carcer,
Marcomeres, Sonnoque docet, quorum alter Etruſcum
Pertulit exilium, cum ſe promitteret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.

Arcadio ſextùm & Probo Coſſ. ſub Honorio Vandali & Alani trajecto

jecto Rheno Gallias intrarunt. Hieronymus epistola 11, ait: Tunc Moguntia & Wormatia excisæ sunt, & Treveris & Colonia captæ. Anno Christi 416. Roma quoque ab Alarico Gothorum rege, post biennalem obsidionem, Cal. April. anno 18. Honorii. Vrb. Cond. 1164. Christi 413, capta est, unde Hieronymus:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lachrymis æquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora perque domos, & plurima mortis imago a.

a Procop. lib. 1. Aemyl. l. 1. Oros. l. 7. cap. 38.

Gothi tamen sponte Roma excedunt, facto, ut ait Paul. Diaconus, aliquantarum ædium incendio.

Franci denuo creato rege *Pharamundo*, partem Galliarum Rheno propinquam amne transito occupant. Anno Christi 420 *b*. Ab hoc Pharamundo Chronica Francorum reges enumerare incipiunt, ideoque de ipsis jam porro libro tertio disseremus.

b P. Aemyl. l. 1.

LIBER III.

DE FRANCORVM REGIBVS,

Eorumque apud populos & provincias has rebus gestis.

PHARAMVNDVS I. Francorum Rex.

DE Francorum origine habitu & moribus supra lib. 1. copiose dictum est. Hi Pharamundum Marcomiri ducis filium, ut jam indicavimus An. Christi 419. ut cæteris nationibus pares essent atque similes, cum antea tantum duces & regulos habuissent, Viceburgi in cõventu ordinum celeberrimo, primum suũ creaverunt regem, eumq; scuto sublatum more prisco magnâ ceremoniâ ut regem venerati sunt. Quo facto Pharamundus cõfestim, ut populum bellò fortem, sed pace inconditum benè gubernaret, legem condere decrevit, idq; consilio potissimum quatuor procerum, qui ex cæteris Francorum selecti Visogastus, Bodogastus, Salegastus, & Videgastus fuere nominati. Hi quatuor viri in villis Sallehaim, Bodohaim, & Widohaim ultra Rhenum sitis tres conventus celebrarunt, & in iis legis capita quamplurima constituerunt, ne populus Francorum, qui omnes vicinos suos fortitudine superabat, eisdem justitiâ esset inferior. Lex ista Salica dicta est, vel à Sala fluvio ubi Franci consederunt, ut quibusdam placet; vel à Saliis populis circa Frisiam habitãtibus, vel ut aliis visum, à Sale, quod ea lex Rempubl. conservet, haud aliter quam sal carnes quæ illo confricantur; vel denique ut Furmerius judicat, à villis istis in quibus condita est primitus suum sortita est nomen, eò quod illæ villæ curiæ essent ac palatia procerum quæ idiotismo Salæ dicebantur, & posteà à barbaris scriptoribus Curtes eodem sensu appellatæ fuerunt: ex quibus colonis glebæ adscriptis reliquam terræ partem laborandam committebant, qui etiam non tantum certis mensium & hebdomadum diebus, Curiæ Domino vel seniori, ligone, equo, bigis vel quadrigis, aut etiam pedibus operas præstabant, sed etiam certam pecuniolam census nomine inferebatur, quin & aliquando decimas omnium fructuum tam humentium quam aridorum pendebant; unde apud Saxones **Lassen**/apud Sicambros **Lathen**/ apud Frisios **Liten** ejusdem etymi vocabulis, quod scilicet primò capti & posteà ex commiseratione in agris relicti, nec ejecti aut venditi essent, dicti sunt. Ager autem in quo Dominus agebat, **Hoff**/**Hove**/ **Saele** & **Saelstatt**/ quasi dicas aulam, cohortem, aut sedem: colonorum vero agri

Koten,

Bernh. Furmerius. Ann. Fris. lib. 2. c. 7.

Kôten, quasi ab aliis fundis dependentes articuli appellati sunt. Lex autem Salica, quâ genus suum Franci conservare studuerunt, ita habet; ut terræ Salicæ nulla portio hæreditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terræ hæreditas perveniat; causa in eadem hac lege additur, quod gens Francorum cum parva esset numero, fortis tamen robore, validum Romanum jugum de suis cervicibus pugnando excusserit, neque in colum patiatur hastam Francorum & Gallorum victricem commutari. Vestigia veterum Saliorum adhuc extant in regione Salandia, & pago Salicum, cujus in fundatione Abbatiæ Eltinensis, Anno 963. fit mentio, ubi Imperator Otto I. seu Magnus, quæ fiscus habebat telonii de piscaturâ in pago Salon, & fluvio Illa, dictâ Habedolt, monasterio huic contulit. Hinc pagus Sehlemensis hodie dicitur, qui comitatui Zutphanio originem dedit. De Pharamundi successoribus antequam dicamus illud prius annotare operæ precium est, Honorio Imp. Romæ tandem mortuo successisse in Occidente, atque Roma Valentinianum III. Constantini & Placidiæ sororis ejus filium, cum interim Theodosius II. Arcadii filius Constantinopoli imperaret. Sub hoc Valentiniano Ætius patritius Galliis asserendis animum intendit, primò cum Majorano qui post imperavit, in Francos, qui Galliam Rheno proximam occupare ausi fuerant expeditionem parat, qui cum in Helena, vico, quem nunc Hedenam vocant, ad Cancum fluvium nuptias cujusdam captivæ virginis celebrarent, & excubiis omissis dissolutius agerent, facile, absente quoque ipsorum Rege Pharamundo in Germaniam magnam à Romanis pulsi sunt; & sic Ætius omnes terras Sequanorum, Heduorum, Matisconensium, Gabillinensium, Vesontionum, & quicquid à Rheno in Rhodanum usq; extendebatur, securè retinebat, adeoq; Galliam Lugdunensem Belgicamque pacavit Romanoq; juri reddidit. Gothi verò ex Hispania reducis ejusdem Honorii Imperatoris beneficio Aquitaniam tenebant, omnemq; regionem quæ inter Rhodanum & Ligerim fluvios in montes Pyrenæos desinebat. Restabat minima Galliarũ pars, quæ Rheno Mosellâ & Ligeri continebatur: valida quidem viris & oppidis, sed quæ quotidiè hostem Francum haberet vicinũ, ejusque impetum singulis quasi momentis expectare cogebatur: hic enim viso Burgundionum successu in Galliam totis animis intentus, omissa Germania, Rhenum transmittere satagit, adeoque Gallia mirum in modum ab exteris nationibus occupatâ, Romani vix pro tertia ejus parte retinenda laborabant.

VALENTINIAN. III. Romanorum Augustus.

Pharamundo *Clodius* cognomẽto *Capillatus* sive *Crinitus*, successit, II. Francorum Rex in Germania an. Chr. 431. designatus. Hic cum miro desiderio occupandæ Gallicæ teneretur, Thuringia expugnata Duisburgum castellum inter Angram & Rhuram amnes, & ad Rhenum fluvium occupat, sedemq; imperii aliquamdiu ibi cõstituit. Indè anno proximo superato Rheni limite, copias in Galliam traduxit, complures in Belgio urbes cæpit, & usque ad

CLODIVS Capillatus sive Crinitus II. Francorum Rex.

Sonnam amnem vastando pervenit, atque ita Franci in Belgicâ superiori & inferiori sedibus occupatis, postea sensim quicquid Galliarum supererat, suo imperio adjecere, & Francia dicta primum quicquid *Merovæus III.* Francorum Rex in Germaniâ anno Christi 449 declaratus, tenuit: hic enim etsi natione Thuringus esset, quia tamen Rex Clodio eum filio quem reliquerat, Alberoni, testamẽto præfecerat, ille pupillo Alberone à sceptro excluso se pro rege gerit: in sylvâ tamen Carbonariâ sive Arduennâ sese occultantẽ Brabantiæ vicinisque regionibus imperare patitur. Ab hoc Alberone orti postea Pipini & Carolingi qui extritâ Merovæi stirpe regnum in Francia obtinuerunt. Nam an. 586. Carolomannus vixit & Landæ in Habspania apud Brabantos, Franciæ parte, imperavit. Merovæus autem an. Christi 449. nullo impediente cum maximo Francorum exercitu, Rhenum transit, & captis multis urbibus ad Axonam fluvium sedes capit. Ab hoc reges Frãcorum Merovingi sunt appellati, & initium regnandi in Galliis auspicatum. Ejus tempore Attila Hunnorum Rex illud flagellum Dei, occiso Bleda fratre germano, partisq; sibi hac ratione Pannoniis, & Daciâ, Macedoniâ, etjam Mysia Achaja, & utraq; Thracia immanissima rabie devastatis, ad occidentis imperium intendit animum *a*. Vastata siquidem & territâ Germaniâ per Noricum Vindelicos perq; Rhetiarum fines ad lacum Brigantinum & circa Augustam Rauracorum pervenit. Ibi Gundarius & Sigimundus Burgundionum reges obviam occurrunt transitu Rheni Attilam prohibituri, sed facile ab eo ad internecionem funduntur. Rheno superato nobilissimas urbes diruit, indeque Belgicam invadit. Horrida ubique omnis generis calamitatum species, Augusta Rauracorum, Argentoratum, Vangionum civitas Wormatia, Agrippina Colonia, Juliacum & Tungrorum urbs nobilis tunc ruinis miserè deformatæ sunt *b*. Omnino tunc Hunni quicquid in hisce partibus ad Rhenum Romanæ erat antiquitatis à Francis adhuc relictæ penitus subverterunt, atque aboleverunt, quam ob caussam inter provinciales etiam urbes terrificum illud atque immane Hunnorum (der Hunen) nomen durare adhuc, verisimile est. Nec Francos sic radicitus omnia Rom. monumenta, castra, inquam, civitatesque hic evertisse crediderim, cum illorum, nominatim apud oppidum Santense, ubi olim Vetera & Colonia Trajana stetere, & alibi ubi Romanorum ad Rhenum in hoc tractu fuere stativa, numismata aurea non raro effodiantur. Quæ res manifesto indicat eos aliquid sibi, quod habitarent, hîc reservasse. Imprimis Dorostati (Duerstede) Batavorum olim, nomen expresse in istis nummis legitur. *Hadelini* etiam nomen præsidis alicujus fuit, qui illic nomine Francorum regum Rempubl. administravit. Idem Attila Galliis inhians, metuensque ne Gothi, qui in Galliis tunc morabantur Romanis auxilia jungerentur ad utrosque seorsim legatos misit, Romanis amicum se simulans adversum Gothos, è contrario Gothorum amicum se fingens adversum Romanos se præliaturum adserit, Aureliamque obsidet.

MEROVÆVS III. Francorum Rex.

a *Paul. Diac. l. 15.*

b *vid Aventin. & F. Irenicã l. 9. c. 18.*

obsidet. Ætius hæc prævidens, missis legatis Theodoricum Gothorum apud Tolosam Regem certo fœdere Romanis conjunxit. Is cum filiis Thorismundo & Theodorico, magnaque Gothorum manu in campos Catalaunicos descendit, eodem venit Ætius cum auxiliaribus Francis, Saxonibus, Burgundionibus, aliis Germanis Celticisq; nationibus. Pugnatum ibi contra Attilam utrimq; acerrimè adeò ut centum & octoginta millia fortissimorum militum una cum Theodorico Rege isto prælio ceciderint, quorum nullus loco cessit, sed quem vivus occupaverat, cadens etiam mortuus texit. Rivulus præterfluens humano sanguine auctior instar rapidissimi torrētis defluxit, cadavera secum deferens*. Attila indè Galliis excessit & in Thuringiam rediit. Ætius qui Attilæ terror fuerat, ob suspicionem affectati imperii à Valentiniano interfectus est, sic imperator dextram suam sinistrâ quasi suâ præcidit. Nam cum Ætio pariter imperii salus occubuit. Valentiniano ab amicis Ætii cæso *Majoranus* occidentis suscepit imperium, quo imperante *Childericus* Merovæi filius, quartus Francorum Rex in Galliis Anno Domini 459. declaratus regnum suum insigniter auget. Tunc provinciæ hæ, de quibus sermo jam pridem institutus est, una cum aliis multis, præsertim quæ ad Rhenum sunt, Romano imperio per Frācos penitus fuerunt subtractæ, debueruntq;, prô dolor, ad insignem illam, insignis Rom. Imperii ruinam aliquid etiā conferre: sicut nihil quantumvis stabilitum durabile est in hac rerum fragilitate. Hoc loco tamen notandum est, provincias illas trans-Rhenanas, nominatim Clivensem, quatenus trans Rhenum est, Montensemq; Ducatum, Marchiæ item & Ravensburgi comitatus, Germanorum nationibus, imprimis vergentis ad occasum imperii Rom. tempore Saxonibus eorumque regibus ad Witekindum usque paruisse, eoque armis victricibus Caroli Magni tandem devicto, Romano-Francico imperio accessisse.

* *Anno à N. Chr.* 451.

CHILDERICVS IV. Francorum Rex.

Childerico in regno successit *Clodovæus* ejus filius Rex Francorū V. an. Dom. 485. Hic Syagrium ducē Rom. imperio Suessionū dejecit, ac interemit. Expeditionē in Frisios suscepit, à Richardo Vffone rege eorum repressus. Imprimis memorabilē illam victoriā apud Tolbiacū obtinuit an. 499. pro quâ in summis angustiis votū fecerat de religione Christianâ amplectēdâ, & sic à S. Remigio Episc. Rhemēsi baptizatus est. Jam quintum decimum annum, inquit P. Æmilius *a*. Clodovęus regnabat, cū arma Francorum in Alemānos mota, quod Sicambris ipsorum sociis bellum inferebant, quos everti nô sinere è re fideq; suâ Clodovæus ducebat. In Alemanniam egregie copiæ ductæ, simul Francorum Sicambrorumque. Pugnatum est acriter ad Tolbiacum oppidum. Miraculo utrumq; extitit. primum duas gentes instructissimas bellicosissimasque ab una vinci, deindè perturbatis ordinibus fusas fugatasque in unum rursus coire, ac victoriam victoribus victos statim extorquere.

CLODOVÆVS V. Francorum Rex.

Defuncto Clodovæo an. 514. filii ejus regnū inter se dividūt *Clodomiro* Gallia comata sive Aquitania, *Clothario* Gallia Belgica, inq; eo

Divisio regni Francorum.

CLOTHAR.

Julia, Clivia, Gelria, &c. Theodorico Austrasia, Childeberto Neustria, obvenere. Clothario igitur Belgicam tenente Saxones cum Thuringis anno 556. Rheno superato agros apud Novesium usque ad fines Ducatus Juliæ vastarunt. Clotharius prælio cruento eos vicit, atque in ordinem & ad sua redire coëgit. Hic nullum non movit lapidem ut Galliarum obtineret monarchiam, quâ, fratribus absumptis, tantum per quinquennium potitus: obiit enim Anno 564.

Mortuo Clothario filii ejus itidem regnum inter se partiuntur, *Gontramus* Galliam Comatam, *Chilpericus* Belgicam, Sigebertus Austrasiam, *Cherebertus*, qui etiam Francorum Rex VIII. declaratur, Neustriam sortitur anno 565. Chereberto autem sine liberis defuncto *Chilpericus* ejus frater Rex fit Francorum IX. Anno Domini 574. tenuitque regnum annis 14. per Landricum præfectum & uxoris suæ Fredegundis adulterum Anno 588. necatus.

CHILPERICVS IX. FRANCORVM REX.

Successit ei in regnum filius *Clotharius* II. anno eodem 588. Hic enim quatuor tantum menses natus, duorum licet improborum parentum infelix partus, à Francis tamen vigore legis Salicæ pro rege receptus est, cujus tutelam Guntrannus patruus prudentiâ Fredegundis gessit. Adversus eum anno 605. Sigeberti Regis Austrasiæ ex filio Childeberto nepotes Theodobertus & Theodoricus impulsu aviæ Brunechildis arma quidem movent, sed tamen regno penitus exturbare eum nequeunt. Postmodum actu ejusdem Brunechildis mutuis erga se invicem odiis exacerbati Theodoricus fratrem Theodobertum apud Tullum ad Mosellam prælio cruento vicit, Coloniamque Agrippinam fugere compulit, illinc Theodobertus fratri apud Tolbiacum manu satis valida quidem occurrit, sed iterum victus, vix mœnibus Coloniæ receptus, postquam à fratre obsidione premeretur, nefandum in modum ibi peremptus est anno Domini 616. Anno 628. Clotharius ejus nominis II. Rex Francorum filio suo Dagoberto partem Austrasiæ regendam tradit adjunctis ipsi Arnulpho Metensium Episcopo, & Pipino Landesio Brabantiæ Duce consiliariis. Hic Susatum in Westphalia obsedit, à Frisiis repulsus. Clotharius vero pater ejus Beroaldum Frisiæ regem & omnes mares gladio suo majores anno 630. in Westrachia (pro qua barbari scriptores Weseram dicunt) occidit, sed Adgillum tamen ad occidentem tantum Drentia & Tubantia abstractis, & 1600 boum tributo impositio, restituit: ast non diu supervixit, quippe anno 631. mortuus. *Dagobertus* igitur Austrasiam cum Neustria & Burgundia retinuit, *Ariberto* fratri Aquitaniam & quicquid intra Ligerim fluvium & Pyrenæos montes jacet, concessit, Slavorum incursiones inhibuit. Sigebertum filium non ex Nanthilde uxore, sed Radentrada concubina natu majorem Austrasiis regem dedit, Chuniberto Episcopo Coloniense & Pipino Landesio prætorii præfecto consiliariis additis. Scortator verò insignis fuit, religiosus tamen: in ditione enim Spirensi, Wisenburgensi, circa Parisios, Dionysianum, monasteria,

CLOTHARIVS II. REX FRANCORVM.

DAGOBERTVS REX FRANCOR.

Trajecti

Trajecti novum castellum Wildenburgo destructo, condidit, illudque Chuniberto Colonienſium Epiſcopo cum telonio donavit: Amandum Epiſcopum ob ſcortationis ſuæ reprehenſionem in exilium egit, qui in Belgium abiens Gandavenſes ad Chriſti fidem convertit, Chunibertus vero Trajecti ſeminarium Eccleſiæ apud oratorium D. Thomæ à Dagoberto rege ædificatum inſtituit.

Cæterùm eo mortuo, filii, Sigebertus Auſtraliam & trans-Rhenanas ditiones, Clodovæus, quem alii Ludovicum vocant Franciam & Burgundiam ex teſtamento Patris obtinuerunt. Sigeberto Chunibertus Epiſcopus Colonienſis, & Anſegiſus gener Pipini Landeſii adfuerunt. Et cum primò liberos nullos gigneret, Hildebertum Grimoaldi filium, Pipini nepotem adoptavit; ſed cum poſteà ex uxore ſuâ filium Dagobertum nomine ſuſtuliſſet, Grimoaldo à Francis cæſo, & in carcere mortuo, hic ſucceſſit; Mortuus verò Sigebertus Anno 658 ipſis Cal. Febr. quo ipſo etiam anno Anſegiſus gener Pipini ab ἀναδέχομαι ſceleratè interfectus, filio Pipino Craſſo & Heriſtello ex Beggâ Pipini filia relicto. SIGEBERTUS Rex Francorum. Majores domus.

Sigeberto in Auſtraſiâ mortuo, Clodovæus frater Rex Franciæ ſucceſſorem dat Childericum filium ſuum ſecundo genitum, ejuſque aulæ Vulphanum, virum apud Auſtraſios nobilem præficit. Clodovæo autem mortuo in regno Franciæ ſuccedit Clotarius III. hic Ebronium hominem impium & crudelem palatio deſtinat. Clotario poſt quadriennium in fata concedenti, *Ebronius* auxilio factionis ſuæ Theodoricum Clodovæi filium natu minimum, excluſo Childerico Auſtraſiæ rege in regnum Franciæ ſubſtituit, Theodoricus vix anno vertente ob incontinentiam atque ſcelera regno dejectus S. Dionyſii Monaſterio includitur, ſed & Ebronius ob eandem cauſam Luxovii in Burgundiâ Monachum induit. Accerſitur à Francis Childebertus Auſtraſiæ rex, cum Vulphano aulæ magiſtro. Childebertus verò cum eſſet juvenis, & fratrum veſtigiis inſiſteret, multoſque per vim opprimeret, tandem anno regni ſui duodecimo quendam Bodillum nomine, virum nobilem palo alligatum flagris cædi jubet, & ab illo occiditur. Cum enim Bodillus tantam injuriam concoquere non poſſet, Regem Childericum cum uxore gravidâ ad Calam vicum Pariſiorum Anno Chriſti 671 ex inſidiis intercipit & neci dat, Vulphano ejus præfecto ad Auſtraſios elapſo. Hinc Theodoricus monaſterio exemptus in regnum reſtituitur; & Leudeſius Erconbaldi filius aulæ præficitur, ſed dum parùm circumſpectè imperant, ab Ebroino ſupradicto circumveniuntur. Ebroinus enim homo verſutus & in omnem occaſionem intentus anno regni Theodorici VI. cucullam exuit, & collectâ ſceleratorum manu, clam ex aulâ monitus ut reginæ Fredegundis memor eſſet, ſummâ celeritate & hoſtes ſuos opprimit, & regis theſauros intercipit. Hinc regis & regni gubernatione receptâ Leudeſium præfectum aulæ inter colloquendum perfidioſe necat, quamplurimos Epiſcopos in exilium propellit, pleroſque etiam ut animum crudelem vindictâ expleat, jugulari jubet, Leodegarium CLODOVÆVS II. Rex Francorum. CLOTARIVS III. Rex Francorum. EBRONIVS Major domus.

Heduorum Episcopum, quod Leudesium commendaverat, post longa carceris tædia erutis priùs oculis,& toto corpore misere dilaniato,tandem capite mulctat, cum fratrem ejus Guorinum jam anteà lapidibus obruissset: Lambertus autem Tungrorum Episcopus in exilium abire jussus ad Austrasios divertit, eum sequuntur multi alii qui opibus aut potentiâ apud Francos clari impiam Ebroini sævitiam meritò suspectam habebant. Austrasia ergo, Childeberto ad Franciæ regnum evocato, sed à Bodillo ut dictum est necato, Vulphano etiam aulæ Austrasianæ magistro profugo, mortuo, proprio rege carebat. Quare Austrasii ut communi fortunæ mederentur, & Ebroini hostis sui rapinas atque injurias evitarent, duos sibi belli duces creant, fratris inter se patrueles; quorum alter Martinus Cleodulphi filius apud Mosellanos plurimùm poterat, alter Pipinus Ansegiso natus, apud Brabantos & in interiori Austrasiâ opibus præstabat, uterque S. Arnulphi Metensis Episcopi nepos. Hi duo proceres collecto exulum Francicorum, aliorumque magno numero, dum evocati singuli ad Franciæ regem Theodoricum comparere negligunt, in agrum Landunensem faciunt impetum, sed in ipso conatu ab Ebroini copiis celeriter coactis ex improviso funduntur fuganturque. Martinus cum in tutum se recepisset, ab Ebroino sub specie colloquii evocatus, falso juramento ab illo decipitur, & contra datam fidem interficitur. Pipinus Austrasiam repetit ex longinquo ab insidiis scelerati & perjuri hominis se tutiorem fore. Interea verò dum Ebroinus nullum suæ crudelitatis finem facit, vivendi finem subito accipit. Ab Ermenfredo enim Egæ quondam Frãciæ prætorio præfecti genero noctu ex insidiis in lecto suo jugulatur cum prius Theodorici anno sexto sive septimo, quo ut jam diximus cucullam exuit, qui incidit in annum Christi 686. pro sua & conjugis Theodelindæ salute item pro Orationum lucro & Missarum solẽnus ut sunt verba plurimos fundos, agros, casata, mancipia in pagis Nitri (Nutterden) Meti (Meer) Millingen cum basilica Dominæ nostræ Mariæ portionem suam in Hammi sylva (Clever ham) & Donszbruggen ad basilicam D. Petri Apostolorum in loco Rynaren, in pago Dublensi (Duffel) in flumine Rheno, ubi venerabilis Pater & antistes Willibrordus cultos esse perhibetur, donasset. Cæde autem perpetratâ Ermenfredus quem exuere fortunis omnibus Ebroinus statuerat, in Austrasiam ad Pipinum profugit, à quo in tutelam susceptus fortiter contra violentiam defenditur. Franci in locum Ebroini Varatonem aulæ præficiunt, qui cum Austrasiis pacem facit, sed paucis post diebus à Gislemaro filio magistratu deturbatur, qui non diu superstes divinitus punitur, & patri locum suum restituit, sed & is brevi moritur, & Bertarium generum suum in aulæ præfecturâ successorem accipit. Interim Austrasii, amisso Martino rerum suarum arbitrium uni Pipino deferunt. Hic morte Ebroini recreatus exulum Francorum nomine ad Theodoricum regem in Franciam mittit, ut illi patriæ restituantur, sed operâ Bertarii nihil impetrat. Itaq; viribus

Majores domus.

PIPINVS Major domus.

recu-

recuperandum ratus, quod precibus obtinere nequierat, exercitum comparat, ac collatis signis regis Theodorici aciem vincit, ac in fugam conjicit, Bertario mox à suis interfecto, Pipinus Crassus totius Galliæ moderationem rege illi se committente, suscipit, & rerum potitus, cum ob tumultus Slavorum ac Suevorum in Austrasiam revocaretur, Vicarium sui fecit Nortbertum, virum probum & amicum suum, qui Franciæ prætorio quod erat Parisiis, præsideret, filium suum natu maximum ex Plectrude uxore natum, Drogonem nomine Campaniæ Ducem dedit: ipse Austrasiæ, & summæ rerum intentus, Suevis atque Slavis ad obedientiam revocatis adversus Radbodum Frisiæ regem proficiscitur, & eundem Vltrajecto pellit in gratiam Willibrordi & sociorum ejus, qui ex Anglia in Frisiam digressi, Euangelium Christi ibi ante biennium prædicantes, teste Marcellino eorum socio, ejecti erant, eundem Radbodum sub duce Gerlaco contra ipsum Batavoduri moventem vincit & ad Christianismum compellit; sed filium natu maximum Drogonem Campaniæ ducem fato amisit, & Augustæ Mediomatricum in basilicâ Arnulphi sepelivit. Rebus autem secundis elatior factus posthabito DEI metu, Plectrude legitimâ uxore adhuc superstite, ex Alpaide concubinâ, Carolum Martellum genuit, ejus postea in regno successorem: ob quod à Lamberto Trajectensium Episcopo ad Mosam, increpatus, à pellicis fratre Dodone Arausiæ Comite, is Leodici occisus est, qui paulò post cædem perpetratam in furorem actus se ipsum in Mosam fluvium dejecit. Anno 713. Pipinus Crassus etiam Grimoaldum filium natu minorem amittit à Kangario Frisio Radbodi regis Satellite Leodici ante aram Lamberti inter preces trucidatum, cui Theobaldum filium ejus nothum in præfecturâ regni substituit, & filiis legitimis omnibus amissis in arce Fopilia cum Alpaïde concubina, Plectrude Coloniæ existente, Carolum successorem nominavit, quem idcirco Plectrudis, Episcopis licet ad se à marito missis, Coloniæ in vinculis detinuit, è quibus elapsus in Radbodum duxit, sed à Veterano victus, pugnam contra Danielem Dagoberti fratrem, quem monasterio extractum sibi præficiunt, & Chilpericum appellant, ejusque aulæ magistrum Raginfredum instituit, quo victo Coloniam ingressus thesauros patris recipit, & Plectrudem atque Theobaldum in gratiam admittit. Chilpericus Rex Franciæ & præfectus ejus Raginfredus ad Endonem Aquitaniæ Ducem confugiunt, à quo subsidiis instructi, anno 718. iterum superati sunt. Mortuo Chilperico anno 720. Theodoricum Calam, cum ipse non auderet, Pipinus Crassus sibi Franciæ regem constituit, Saxoniam vastat, Alemannos & Bojos subigit, Raginfredum Andegavi capit, Endonem fugat, Saracenos Francia exigit, Frisiam deindè operâ Eliæ Graji invadit, & anno 741. 11. Cal. octobr. mortuo prius vix trimo Theodorico Cala Franciæ rege in fata concessit. Quatuor reliquit filios Carolomannum, Pipinum Brevem, Ægidium Rothomagensem Episcopum, & Griphonē, Carolomannus Austrasiæ

CHILPERICVS II. Francorum Rex.

THEODORICVS CALA Rex Francorum.

Filii PIPINI.

regno

regno præfectus Anno 747. pietatis ſtudio illud deſerit, Romam vadit, & apud montem Soracten aliquamdiu moratus, inde in montem Caſſinum profectus, monachum induit. Pipinus ergo ſolus in Francia rerum potitus eſt. Theodorico verò in regno ſucceſſit ejus frater Chilpericus III. Anno 742. ultimus ex Merovingorum familiâ, quo tanquam inerte in monaſterium Anno 750. truſo, Pipinus ex Majore domus conſilio Pontificis Zachariæ à proceribus Galliæ Rex declaratur, & Romam Burchardo Wirceburgico, & Volrado Capellano miſſis inveſtituram regni obtinuit, adeoque à Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino Auguſtæ Sueſſonum inungitur, atque ſic depoſito domino famulus regnat. Hic Pipinus Nanus, ſive Brevis, à Stephano Pontifice, Zachariæ ſucceſſore contra Longobardos in auxilium vocatus, bis Haiſtulphum Longobardum in Italia vincit, & bona ei ablata Ravennam & Pentapolim, quæ prius Conſtantino Copronymo à Longobardis erepta erant, attribuit. Anno 768. 24 Septembris in fata conceſſit.

CHILPERICVS III. Francorum Rex ultim.

PIPINVS Brevis ex Majore domus Rex Francorum.

Filii & ſucceſſores PIPINI.

Ejus filii duo Carolus & Carolomannus licet malè concordes, univerſum tamen imperium inter ſe pacificè diviſerunt. Erat autem illud diſtinctum in regnum Orientale & Occidentale, quorum hoc Neuſtraſia, illud verò Auſtraſia vulgò audiebat, utrumque Scaldis, Moſa, atque Rhenus nota flumina diſcriminabant. Carolomannus minor natu pro parte ſua Auſtraſiam, & in ea Germaniam ac Belgas accepit. Carolus, qui poſteà ob rerum geſtarum gloriam magnus eſt vocatus, Neuſtriam, inque ea Burgundiam, Narbonam, Aquitaniam, & Lugdunum provincias, cum Moguntiaco, Wormatia & Aquiſgrano urbibus. Diviſione peracta Carolus imperii ſui ſedem Novoduni collocat, Carolomannus Auguſtæ Sueſſionum.

Diviſio regni Francorum.

CAROLVS M. Bella Carolina. I.

Porro Carolus bella geſſit ſequentia, ex iiſque ſemper victor receſſit. Primùm Aquitanicum Rothomagi in Gallia Paſchate celebrato, Anno 769. in Aquitania contra Hunoldum quendam Ducem, reliquias populi à patre Pipino victi contra datam fidem recolligentem, geſtum, in quo Hunoldo Duce, legatiſque Lupi Guaſconiæ Ducis, ad quem confugerat, receptis, caſtro etiam Franco ædificato, feriiſque natalitiis Domini Marcoduri in villa Julia, paſchalibus verò in villa Leodici apud S. Lambertum celebratis, in regnum reverſus eſt, & fratris Carolomanni uxoris ſororem, Deſiderii Longobardorum regis filiam, à matre ipſarum Bertrada perſuaſam anno 770. duxit. Verùm cum Papa Stephanus ob rem Romanam cui Deſiderius vehementer repugnabat, obſiſteret, illa tanquam ad liberorum procreationem inepta, repudiata, Lutgardam Hildebrandi Sueviæ Ducis filiam ſibi copulauit. Poſteà fratre Carolomanno Anno 771. prid. Non. Decembr. in villa Salmontiaca mortuo, & Rhemis cõdito, ejus vidua cum liberis ad Deſiderium patrem in Italiam fugit, ſed Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, atque Ducibus omnibus ad Carolum tranſeuntibus, Stephano Papa anno ſequente mortuo, ab Hadriano ſucceſſore ejus,

ejus, totius Galliæ & Germaniæ Dominus renunciatus est.

Secundum bellum est Saxonicum, quo nullum ab eo gestum à- II.
trocius aut diuturnius: habito enim prius Wormatiæ Anno 772. ordinum & procerum concilio in rebelles Saxones Trans-Albianos, Ostphalos Angarios atque Westphalos exercitum duxit, quorum Westphali Rhenum ac Visurgim contingentes, antiqui Saxones dicebantur, Angarii inter Frisios & Westphalos mediterranea obtinebant. Ostphali qui & Osterlingi inter Visurgim & Albim fluuios considebant; Trans-Albiani vero eam regionem possidebant, quæ nunc Holsatia nuncupatur. Hæ regiones per Satrapas duodecim administratæ, ex iis tempore belli, exercitus dux electus, successu tamen temporis VVidekindus VVestphalis, Bruno Angariis, Hesso Ostphalis, & Albio trans-Albianis, qui nunc Holsati, præfecti atque duces perpetui decreti sunt. Carolus vero suorum copiis contractis Duisburgi in Clivia sedem belli capit, inde primò statim impetu Eresburgum castrum in principio VVestphaliæ situm, naturâ & opere communitum expugnat, & impositio præsidio firmat. Hinc ad Lippiam oppidum progressus clade Variana nobile, statuam Ermensuel dejicit, ac solo æquat, ibique fonte mirabili exercitum reficit. Habuit autem statuâ Irmensuel, in dextra vexillum militare, Rosam, bello, ortu & interitu facili, similem, sinistrâ libram, dubiam pugnantium sortem, & ita dicta fuit, vel quod **Jdermansuel**, h. e. commune perfugium & asylum omnium fuerit, vel quod in memoriam Hermanni seu Harminii Cherusci, qui Quinctilium Varum prostravit, erecta, vel denique quod Hermetis sive Mercurii Martis, Junonis & Apollinis imago fuerit, qui Dii ibi colebantur, unde quoque locus ille **Mersburg**/ id est, castrum Martis, vel **Eresburg** ab herâ Junone ut alii volunt, appellatus est, quem posteà mutato nomine Carolum ab aquila Romani imperii **Arnsburg** appellasse volunt: alii vero istud idolon in **Merseburg** urbe ad Salam in Thuringiâ sitâ, ubi hodie Episcopatus est, collocant: alii etiam non longè à Lupia flumine ad viciniam comitatus VValdeciani inter Paderbornam & Corbachium locum situm fuisse, hodieque **zum Berg** nominatum existimant. Hermannus verò Hamelmannus in antiqua VVestphalia, postquam opiniones istas omnes recensuisset, de oppido in diœcesi Colonienſi olim Mescburgum, nunc Eresburgum appellato intelligit, idque tum ex inscriptione simulachri in Abbatia Corbejensi adhuc extante; *Dux ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor venerantibus*; tum ex annalibus cujusdam Benedictini, quos Hermannus Novariensis comes restituit, probat. Saxones hac repentinâ Francorum victoriâ perturbati cum ad Visurgim convenissent, & obsides duodecim confestim dederunt, & se in potestate imposterûm semper futuros sanctè promiserunt. Carolus verò in Franciam redux in castro Herestallio circa Mosam à Pipinis constructo, Christi natalem & Pascha celebrat.

Tertium bellum Italicum contra Desiderium Longobardorum III.
regem

regem pro Hadriano Pontifice ex concilii sententiâ gessit, & copiis infinitis ex Francia & Germania contractis & Genevam apud Allobroges convenire jussis, Italiam ingreditur, & exercitus partem unam Bernardo Caroli Martelli filio patruo suo tradit, eumque per montem Jovis præcedere ad occupandas Alpium angustias jubet, ipse cum parte altera per Cinisium montem subsequitur; Desiderius contra, exercitu etiam suo comparato transitus Alpium insidet, sed à Carolinis repressus, castra, utensilibus relictis, deseruit, & Papiæ se muris inclusit, filium verò Adalgisum cum Berta Carolomanni viduâ ac liberis Veronam ire jussit. Carolus exẽplo patris Papiam è vestigio obsidione cingit, eamq; Hildegarde uxore & filiis è Francia evocatis, usque ad diem natalis Christi perducit. Natalitiis Christi in castris celebratis sub initium anni 774, obsidionem Bernardo duci prædicto committit, ipse Veronam cum delecta militũ manu contendit, & Adalgiso Desiderii filio Constantinopolim ad Constantinum Copronymum profugo, eam deditione capit, Bertam fratris sui viduam & filios ibi nactos in Franciam mittit & honorificè habet, reliquisque oppidis trans-Padanis non gravatè captis ad Papiæ obsidionem revertitur, sed eâdẽ Bernardo iterum traditâ Romam proficiscitur, & ab Hadriano magnificè exceptus, Paschate celebrato, octo diebus post in castra ad Papiam redit, quam fame & peste exhaustam Desiderius dedere, & se cum uxore & liberis regiaque tota in potestatem Caroli permittere coactus, ejus exemplum omnes Longobardi secuti sunt. Desiderius Anno 774. Leodicum deportatur in exilium, Longobardorum in Italia potentia, cùm annos 206 stetisset, deprimitur, Carolus verò Modoatiæ per Episcopum Mediolanensem redimitur, & Longobardorum rex salutatus, Rempubl. Italiæ constituit, Romæ Patricius Romanus, hoc est, Imperatoris quasi pater adclamatur, & jus per singulas provincias Archiepiscopos, & Episcopos instituendi, Pontificem eligendi, sedemque Apostolicam ordinandi accipit. Hinc ad Italiæ divisionem progressus Apuliam, Peucetiam, & Calabriam Imperatori Constantinopolitano relinquit, Ducatum Beneventanum, in quo tunc Apulia Daunia erat, Agarisо Desiderii genero, Spoletanum Hildebrando, Forojulienſem Rotgando permittit jure feudi, dominio sibi reservato: Exarchatum Ravennatem, Pentapolim, Ducatum Perusinum, Romanum, Tuscum, & Campanum, jure principatus, & ditione excepta Pontifici Romano donat, reliqua ipse sibi nomine regni Longobardici retinet: Ducibus vero & Marchionibus vinculo feudi obligatis censum annuum & fidelitatis juramentum pendere jussit, & omnibus firmatis Papiaque munita, *Francorum atque Longobardorum rex, & Patritius Romanus salutatus est.*

Interea Saxones ejus absentiâ invitati An. 774. secundò rebellant & fidem datam frangunt, Bernburgum evertunt, & Hassiâ vastatâ, Frideslariam diripiunt, cum ob duos juvenes alatos in aëre visos succendere nonposse nt. Carolus igitur ex Italia in Germaniam

movet

movet anno eodē 774, & ubi Engelhemum perveniſſet, exercitum in quatuor partes diviſum in Saxones emittit, & injuriam populo ſuo illatam ſtrenuè vindicat. Anno 775 cum iidem Saxones quieſcere neſcirent, Carolus viciſſim Cariſiaci in Campania Gallicana conventu procerum Franciæ habito, de Saxonum novâ perfidiâ conqueſtus, in eos bellum perpetuum decrevit, donec relicta ſuperſtitione religioni Chriſtianæ nomen darent, & Francis ſe ſubjicerent. Vere igitur appetente Marcoduro ſolvit exercitus, & primo ſtatim impetu caſtellum Sigeburgum è regione Marcoduri in monte ſitum expugnat, & præſidio locato firmat. Inde deſcendens Eresburgum, ab accolis, ne Francis uſui eſſet dejectum, inſtaurat, & relictâ illic militum egregiâ manu diligenter munit. Hinc ad Viſurgim pergit, ubi ad Brunonis montem ingens Saxonum occurrens multitudo ab exercitu ejus cæditur. Quocircà ſine ullâ interjectâ morâ Viſurgim etiam tranſit, & caſtris ad Ovacrum fluvium (nunc Okeram dictum) poſitis, pugnandi copiam Oſtphalis vel Oſterlingis facit. Verum dux illorum Heſſo periculo vicinorum monitus cum populo ſuo in caſtra ſupplex venit, delicti veniam petit, & datis obſidibus, ſe in Caroli poteſtate ſemper fore permittit. Hinc ad Angarios itum, qui item ut ſuperiores cum duce ſuo Brunone in fidem recepti, & aliâ ad Viſurgim VVeſtphalorum fraude detectâ, & ſcelerati facinoris punitis auctoribus, ipſis verò VVeſtphalis in poteſtatem ſuam acceptis, reditum cum exercitu paravit, ſed quia Friſii qui in littore Oceani, & ad oſtia fluviorum Rheni, Amiſii, Viſurgis, atque Albis habitantes, Saxones inferiores audiebant, nondum attigerat, accedente eorum, in ſuperſtitione ethnicâ, pervicacia, & Radbodi II. in pios viros, Euangelii præcones, crudelitate, ex uſu Reipubl. Carolus anno 775.

Quartam expeditionem in Friſios Saxoniæ vicinos ſuſcepit, & duobus cum Radbodo eorum rege præliis congreſſus, cùm victor extitiſſet, eò anguſtiarum Radbodum redegit, ut tertium non experiri auſus, rebus ſuis diffiſus, cum Chriſtianus audire nollet ſolum verterit, & in Daniam fugâ ſe ſubduxerit. Carolus verò hoc modo Friſia potitus, tributo impoſito, legibuſque datis Francicis, & præfecto, quem comitem aut ducem vulgò appellant, conſtituto, in provinciæ formam redegit, utque paganiſmum exuerent poſt Willibrordum aliàs Clementem, & Winofredum aliàs Bonifacium dictos, Epiſcopos Vltrajectinos, Gregorium natione Francum, gente Treverum, prius annis ſedecim centum cœnobitarum in monaſterio Martiniano ibidem Abbatem (inter quos etiam Lullo Archiepiſcopus Moguntinus, Bonifacii ſucceſſor, & Ludgerus primus Monaſterienſis, tunc Mimingardevordenſis epiſcopus fuit) anno 752, in ſede illâ ſuffecit. Cui mortuo anno 774, & in æde Salvatoris Trajecti, vel in monaſterio Suſterenſi, ut quidam volunt, condito, Albericus Anglo-Saxo ſuc- IV.

cessit, qui ut Christianæ civitatis pomaria prorogaret, multos quoque suorum, & inter eos Ludgerum Frisium emisit, qui Daventriæ templum à S. Lebuino constructum, à Saxonibus verò vastatum instauravit, Francos in fide Christi instituit, & corpus S. Lebuini diù quæsitum, sed in somnio tandem monitus, inventum, fano honestavit, apud Frisios idola dejecit, apud Doccomanos primus ab Alberico constitutus præpositus, cum VVillehardus Anglus, qui priùs religionis Christianæ propagandæ studio incensus anno 756 Doccomium venerat, ad Hugermercios & Trentanos abiisset.

V. Quintum Caroli bellum est Forojulienſe quod contra Rotgandum ducem, natione Longobardum, quem præfectum cõstituerat, sed ei rebellaverat, Anno 776 suscepit eumque compescuit.

Hinc celeriter Alpes transvolanti Franciamque repetenti, fama defertur, Saxones iterùm spretis juramentis arma induisse, Eresburgum cæpisse, præsidium ejecisse, deinde & obsedisse Sigebergum, sed eruptione ab obsessis facta à tergo circumventos, & maximam partem aut cæsos, aut ad fontes usque Lippiæ amnis fugatos.

Carolus igitur VVormatiæ procerum conventu indicto, & ex conventu ejus exercitu conflato sine mora in Saxoniam contendit, sed vicissim cum ad Lippiæ fontes venisset, ibi obvios Saxonum quamplurimos suppliciter bellum & pœnam deprecantes, & delictorum veniam petentes habuit, qui ubi idolorum cultum se relicturos, & Christo nomina daturos, in perpetuâ denique ejus fide permansuros, recepissent, in gratiam à Carolo clementer recepti, multique eorum Baptismi sacramentum susceperunt, & datis obsidibus in libertatem restituti sunt. Inde in Galliam regressus Carolus Heristallii ad Mosam fluvium hybernat: exque eo primo vere Anni 777 descendens, Neomagi Pascha celebrat, & cum Saxonum fidem meritò suspectam haberet, Paderbornæ Senatum & populum universum convocat, eosque, solo VVitekindo excepto, qui malè sibi conscius regem veritus ad Sigebertum Daniæ regem, uxoris suæ fratrem, profugerat, comparentes in fidem accepit. Eodem tempore VVihonem Osnabruggensi Ecclesiæ præfecit, ibidemque collegium clericorum, in quo Latinæ atque Græcæ literæ jugiter docerentur, instituit: prius autem quam Neomago in Saxoniam pergeret, in Ecclesiam Ultrajectinam non exiguam exercuit liberalitatem. Nam non tantum antecedētium principum, utpote Anno 698 Pipini Crassi VVillibrordo Trajecti veteri Caroli Martelli ejus filii Fechnæ, Thulæ, Elistæ & Benthemi villarum ac castellorum Anno 732 aut circiter (quas etiam donationes Anno 752 Pipinus Nonus sub Bonifacio in Virmeria palatio ratas habuit) Sub Gregorio confirmavit; sed etjam villam Lisidunam, hodie **Leusden** supra Amersfordiam civitatem ad meridiem, in pago Flechite ad alveum Hemi fluminis

minis situm cum saltibus omnibusque pertinentiis, quemadmodum illa Comes Vigerus jure clientari possederat, & Ecclesia Uberkercka, quæ supra Durostadium est, centum agri perticis & Leccæ portorio, sive trajectus naulo adjecit.

Sextum Caroli bellum est Hispanicum quod anno 778 contra Saracenos rogatu trium regulorum suscepit; in quo Rulandus quidam Milonis ex Bertiâ ejus sorore filius Britannici littoris præfectus à perfidis Vasconibus ex insidiis irruentibus, Eghantus regiæ mensæ præpositus; & Anhelinus palatii comes ceciderunt, quemadmodum in vita Caroli Eginhardus, & Joann. Turpinus Archiepiscopus Rhemensis narrant; Carolus tamen Hispaniæ partem omnem usque ad Iberum fluvium in provinciæ formam, quæ Marca Hispanica nominata fuit, hodie Navarra, redegit. Reversus comperit uxorem Hildegardam gemellos, Lotharium immaturâ morte raptum, & Ludovicum in villa Casinogilo peperisse. VI.

Intereà autem dum Carolus abest in Hispania, Saxones anno 778 quintò tanto impetu se commovere cœperunt, ut omnes Christianos Francorum clientes ad Rhenum usque vastarent, & inter eos Werdam Cæsaris S. Suidberti sepulchro nobilem, & Tuitium in cineres converterent, indeque à Rheno usque ad Salam fluvium intermedia loca, hodiè Cliviam trans-Rhenanam ferro & flamma passim consumerent. Earum rerum nuncio apud Altissiodorum urbem Carolus accepto, ipse quidem Heristellium villam in hyberna concedit, Francos autem & Alemannos in Saxones in pago Hessorum super fluvium Aternam, quem Adranam Tacitus videtur appellare, latitantes, emittit, ipse verò anno 779 Marcoduri apud Gugernos, qui nunc Juliacenses, conventu sui populi more consueto celebrato, eoque finito, Rhenum in loco qui Lippia dictus ad Amisium amnem hodie **Lipperheid**/ cujus nunc caput Hoveniorum Averhuysium cum exercitu transit, deinde copias Saxonum propè Bucholdiam ad Aham fluvium nactus secundo Marte delet, VVestphalos in deditionem accipit. In hoc prælio Hermannus dux Angriæ Ethelhardi filius, Albionis frater cecidit, Bertholdus alter frater post cladem interfectus, VVidekindus niger captus & in Franciam abductus atque baptisatus Ludovicus dictus, Andium comes à Carolo effectus per Hugonem Capetum regum Francorum stirpe propagatâ.

Hinc ad Visurgim castra metatus Angarios & Ostphalos ad obedientiam reversos acceptis obsidibus & fidelitatis juramentis in gratiam recipit.

Anno 780. Carolus Wormatiâ ex hybernis discedens Eresburgum, & indè ad Lippiæ fontem, hinc ad Ovacrum fluvium proficiscitur, & res Saxonum ex animi sententiâ conficit; tum anno sequente Romam contendit, ab Hadriano honorificè susceptus, filiis duobus, Pipino Longobardiæ, & Ludovico

Aquitaniæ regibus renunciatis, in reditu Gisela à Thoma Archiepiscopo Mediolani baptisata VVormatiam redit, ibique Thassilonis Bavariæ ducis adventum ad fidelitatis juramentum præstandum expectat. Hoc eodem anno VVittebergam à VVitekindo Saxone, Magdeburgum verò & Halberstadium à Carolo condita aliqui affirmant.

Anno 782. post ejus ad Lippiæ fontes discessum VVitekindus Saxonum ductor ex Daniâ redux arma in Francos resumit, contrà Adalgisus cubicularius, VVolradus Comes palatii & Gerlo stabularius missi, omissis Sorabis, qui hodiè Misnenses, cum ut Theodoricus Regis Caroli propinquus Ripuariorum subitariò collecti exercitus dux, ut locum prius explorent castrorum Saxonum, moneret, illi legato relicto, cum intellexissent ad montem Sunthal in ditione Brunswicensi circa Manderam operã Saxones subsistere, Visurgim transeunt & in eos irruunt, sed cęduntur, quam injuriam ulturus Carolus 4500. uno die Verdæ decollari jussit.

An. 783. prid. Cal. May. Hildegardis regina Caroli uxor è vita migrat: illi cũ justa persolvisset Carolus, iterũ in Saxones, qui ad Dietmoldã oppidum non procul à saltu Teutoburgensi, ubi Arminius Q. Vari legiones antehac ceciderat, consederant, ducit & inde Paderbornam petens, cum Westphalos ad Rasam fluvium iterũ coire intellexisset, post totius tridui pugnã invocato DEI auxilio vincit, eorumq; infinitam multitudinem in Flandriam, qui liberi hodieq; dicti, deportari jussit, & Orientem versus progressus victoriæ signa ultrà Visurgim usque ad Albim extendit, & victor redux Tastradam Rudolphi Comitis filiam natione Francam uxorẽ secundam accipit: sed Bertradam matrem 4. Id. Jul. fato amittit, DEO lætitiam cum mœrore benigniter temperante. Tum filium Carolum in Saxonum exercitum mittit, qui ipse quoque victor ad patrem rediit. Witekindus autem Saxo Frisiam ingressus anno 784. multas Ecclesias combussit, DEI servos, & inter illos quoque S. Ludgerum, qui Cassinum ad Divi Benedicti monasterium abiit & S. Willehardum in monasterium VVillibrordi, apud Absternacum cõcessit, ejecit: eodẽ tempore 21 Augusti Alberico Episcopo Vltrajectino, cui an. 777 7. Id Iulii. Leccam Carolus cõcesserat, mortuo, Theodardus Frisius suffectus est. Witekindum autem & Albionẽ an. 785. præmiis allicere sategit, & datis obsidibus cum Amaluino domestico suo Attiniacum invitavit, ibiq; eos in gratiam & fidem cum tota Saxonum gente octennio sine belli tumultu suscepit. VVitekindus igitur & Albio tandẽ indomitum spiritum deponentes colla Carolo submittunt, & sacro lavacro propè Paterbornam tincti in fide deinceps ejus perstiterunt, cæterisque pacis auctores fuerunt. Imò VVitekindus zelo Christianæ religionis motus Herimberto Episcopo Mindensi partem arcis suæ pro Ecclesiâ concessit, locumq; monstravit ubi templũ cathedrale ædificari possit. Ludgerum etiã Frisium prius in exiliũ ejectum, primum Miningradẽsem (nũc Monasterienſem) Episcopum, charissimũ habuit, ejusq;

consi-

consilio etiam in Angarica egregium templum constructit, eique crucem auream donavit, ubi adhuc tale ejus extat Epitaphium:

Ossa viri fortis unius fors nescia mortis
Hic tumulus claudit, Euge bone, *spiritus audit*,
Omnes mundantur hunc regem qui venerantur,
Agros hic morbis cœli rex sanat & orbis.

Hoc templum posteà in urbem Hervordiensem cum reliquiis Witikindæis translatum est. Filius verò V Vitikindi Vigebertus collegium V Vildeshusense erexit: atq; nunc est quod V Vitekindo ejusque posteris non solum avita bona manserint, sed etiam dignitas Ducalis, Saxoniæ accesserit; imò reliqua domus ejus excellentiâ cum summâ fide Caroli posteris adhærens, instar hederæ una cum iis ad id potentiæ fastigium evecta sit, ut simul & affinitatem promeruerit & in ipsum imperii axioma successerit.

Septimum Caroli bellum est *Britannicum*, quæ insula Olimi Albion dicta quòd undique montibus albicantibus cincta est, hodie Britannia à populo Cimbro appellatur. VII.

Octavum bellum est Beneventanum Anno 786. 23. Aprilis Paschate Attiniaci celebrato, in Aragisum, regis quondam Desiderii generum susceptum, qui filium primò Rumoldum anno 787. Romam, deindè quoque alterum Grimoldum obsides ad Carolum misit. Romæ S. Ludgerum jam antè à Joanne Flacco sive Alcuino præceptore suo sibi commendatum, Carolus vidit, cui Lotusam in Brabantia monasterium concessit, & tandem in Marchiâ Westphalicâ ad Ruram amnem Werthinensi cœnobio constructo, eique ob Vandalos Helmstedio adjuncto, Episcopus Monasterienſis Anno 791. inauguratus est. Frater ejus Hildegrinus priùs, nempe Anno 785. Salingestadij, quod oppidum vulgò Oistetwicum appellatur, Episcopus constitutus est. Româ Cassinum profectus Carolus S. Benedictum donatiis amplissimis honoravit, ab eoque regressus Anno 787. prædicto, Romæ cum Hadriano Paschа celebravit, ibidemque Thassilonis Bojariæ ducis legatos de pace proponentes audiit, verum cum de modo mandatum sibi neutiquam datum dicerent, Carolus instinctu Pontificis in Thassilonem ab eo excommunicatum movet, quod VIII.

Nonum bellum Carolinum est, in quo triplici exercitu sub Pipino Italico in Tridentinam vallem adducto, Francis Orientalibus, & Saxonibus ad Danubium accedentibus, & ipso Carolo rege ad Lechum flumen, quod Alemanniam à Bojariis dividit, considente, Thassilo Theodone filio & duodecim aliis obsidibus datis veniam precatus, eandem impetravit. IX.

Intereà verò dum adhuc in Italia bæreret Carolus in Græcia ab Irene & Constantino ejus filio mense Octobri Anno 787. Concilium VII. Oecumenicum, Nicenum II. dictum, à 350. Episcopis Papæ legatis præsidentibus pro imaginibus est habitum, contra quod posteà à Carolo Francofurti ad Mœnum & filio Ludovico Anno 794. rursus coacta est Synodus, & quatuor

libris editis idem refutatum, adeò ut in Germania usque ad Friderici Barbarossæ tempora imagines non obtinuerint.

Porro Thassilone in fidem recepto, Carolus Moguntiam rediit, & in villa Engelheim hybernans ibidem Anno 788. Pascha peregit, & post illud cum in generali procerum conventu ibidem celebrato Thassilo de conspiratione cum Hunnis accusatus, in eos movit, quod

X. Bellum Hunnæum est Caroli in ordine decimum.

XI. Undecimum succedit Calabricum, contrà Constantinum Irenis filium, qui Rotrudem filiam Caroli natu maximam missis legatis petierat, & ob negatam eam, Carolum bello impetentem, & sub Adalgiso Regis Desiderii filio exercitum in Calabriam exponentem, hoc anno 788. gestum; Eodem anno S. Willehadus primus Bremensis Episcopus à Carolo, diplomate in palatio Nemetensi dato constitutus est, ex quo diplomate etiam constare potest, Episcopos illius ævi non subditorum dominos, sed tantum pastores fuisse.

XII. Duodecimum Caroli bellum fuit Anno 789. contra Wilcos, Slavicæ gentis populum, quos Dragovito rege Francis variis incursionibus molestos ad Albim duobus pontibus junctis vicit, & in fidem recepit. Anno 790. Wormatiæ hæsit, & Hunnorum qui Pannoniam tenebant, legatos audivit, sed quia semel à Thassilone ad prædam exciti Bojarios vexarant, Carolus Tiberii Augustam nunc Ratisbonam cum Saxonibus, Francis, & Frisiis, Theodorico Marchione Bojariæ, & Meginfredo cubiculario ducibus movet, & post tridui jejunium, religionis Christianæ hostes in fugam vertit. Eodem anno 791. S. Ludgerus primus Mimigardefordensis pastor in VVestphalia constitutus est, qui locus ob monasterium ibidem ab ipso constructum, Monasterium dictus est. Cœperat autem jam antea monasterium virorum condere in Marchia VVestphalica ad fluvium Ruram, quod hodiè VVerthinense appellatur, magnificis ædificiis & bibliothecâ insigni clarum. Huic posteà Helmstadium ob VVandalos à Carolo adjectum est. Academia quoque Parisiensis circa hoc tempus à Carolo, ab Alcuino, & Rabano Mauro, inducto, fundata, quod Joannes Mailrosius & Claudius Clemens Ven. Bedæ discipuli, qui cum aliis mercatoribus Anglis eo venerant, *Sapientiam venalem se habere*, in foro proclamassent.

Anno 794. Concilium Francofurti Rex Carolus contra imagines coëgit.

An. 795. Moguntia habito procerum concilio ob ducem Obotritorum, qui nunc Megapolitani, Bizonem occisum, in Saxones ducit, eorumque 3000. occidit, & Hadrianum Papam die 26 Decembr. mortuum deflet, cui Leo IV. successit, qui anno 799 à Romanis violatus ad Carolum in Germaniam Paderbornam venit, & Romam reductus est.

Anno 796. Bellum Hunnicum Pipinus Caroli filius confecit.

Ann

Anno 797. Carolus Saxonibus universis in deditionem acceptis Heristallium ad Visurgim condit: sed cum Godeschalcum legatum ejus ad Sigefridum Daniæ Regem contra jus gentium intercepissent, & justitiæ ministros occidissent, eos compescuit, an. 798.

Anno 800. Romam cogitans ad Galliæ littora vadit, classem in Normannos instruit, in Turonibus ad sepulchrum S. Martini divertit, ibique uxorem Lutgardam ex morbo amittit, & Aquisgranum regressus, filium Pipinum in Beneventanos ire jubet, quem secutus Romæ à Leone Carolus *Augustus coronatus, Magnus, Pacificus, & Imp. Rom. salutatus, eique vita & victoria acclamata*: Pipinus Rex Italiæ inungitur.

Anno 801. Legato Persico audito Vercellis substitit.

Anno 802. cum Irene Imperatrice unitus, cum illud non ferret Nicephorus, illâ in Lesbum deportatâ legatos suos anno 803, ad Carolum mittit, quibus fœdere inito dimissis Saxones & Francos reconciliat. Eodem tempore **Vehm** & **Freygedingh** ad coërcendos VVestphalos constituit, quo reus deprehensus per occultos Scabinos ubicunque loci repertus supplicio affectus, quod Fridericus & Maximilianus Cæsares postea reformarunt.

Anno 803. S. Suibertus canonicatus à Leone IV. præsente Carolo & Episcopo Colonien sium Hildebaldo.

Anno 804. Saxones trans-Albiani & Vemodiani Frisii in Flandriam transferuntur, & sic bello Saxonico finis impositus.

Anno eodem S. VViho alias Vito sive Vitus, qui an. 781. Osnabrugensis Ecclesiæ Episcopus à Carolo constitutus, de donatione nemoris, & linguæ Græcæ atque Latinæ professione diploma accepit.

Anno 805. Zecho Bohemiæ dux à Caroli filio trucidatur.

Anno 806. Saraceni ab eodem in Italia reprimuntur.

Eodem anno conventu Francorum in villa Theodonis habito, imperium inter tres filios divi dit, & Frisiam cum Francia, Burgundia, Neustria, Thuringia, & Saxonia Carolo; Ludovico Aquitaniam; Pipino Italiam assignat; conventu finito Mosella Rhenum ingressus Neomagum descendit, indéque Aquisgranum redit.

Anno 807. Legatum regis Persiæ audivit, quo tempore etiam Caroli filii res Ecclesiasticas in ditionibus suis emendant. Eodem etiam anno VVitekindus M. Vernechmi filius, Diederici nepos, Sighardi Angriæ Ducis pronepos, à Gerolpho Sueviæ duce cæsus, cadaver ejus Angriæ sepultum, postea tamen Paderbornâ translatum est, successit ei Vigbertus, qui ex Sindacillâ Adgilli II. Frisii filia Brunonem & Valbertum genuit.

Anno 808. Godefridus Daniæ rex fœdus cum Carolo initum rumpit, & Frisios invadit per Olaum, qui ab illis victus, anno 809. apud præfectum eorum se excusavit, anno vero 810. Frisios denuò vexavit & tributarios reddidit, contra quos Carolus ad Lippenhemum Cliviæ emporium transmissis copiis movit.

Anno 809. S. Ludgerus in villa Billerbecka mortuus in cœnobio

VVerthinensi conditur.

Anno 811. Imp. Constantini legatos Aquisgrani dimittit, suosque addit.

Anno 812. Conventu publico pro more habito Bernardum ex Pipino filio nepotem, Wallone patrui filio socio addito, in Saracenos in Italia grassantes, mittit.

Anno 813. finibus imperii Occidentalis ad mare superum Siponto, ad inferum verò Neapoli constitutis, à Leone IV. Papâ, & Carolo rege approbatis, legatos Rex Constantinus ad pacem in eundem mittit.

Eodemque anno curis ingravescens & ætate Ludovico filio successore nominato, omnibusque etiam in Franciâ pro Ecclesiâ Moguntiæ Rhemis, Thuroni, Cabillonii, Arelati conciliis celebratis postquam Saraceni Vaticanum spoliassent, annò 814. moritur, Aquisgrani conditus; Succesit Lodovicus natus anno 778, & anno 797. Hermingardæ, Nigrami comitis Aquitaniæ filiæ copulatus. Hic anno 810 Vascanos domuit, anno 813. à patre coronatus, anno 814. Saxonibus & Frisiis libertatem restituit, anno 816. mortuo Leone IV. à Stephano IV. successore ejus Rhemis coronatus 12. Cal Septembr. & Augustus appellatus, anno 817. triduo ante Pascha finito sacro Aquisgrani domum rediturus, ruinâ porticus antiquæ atque putridæ fere opprimitur, sed intra vicesimum diem sanitati à medicis restitutus Neomagum proficiscitur, & venationi indulget, inde Aquisgranum revertitur, & conventu populi habito Lotharium filiorum natu maximum Imperatorem dicit & regni consortem, cæteros verò reges nominatos Ludovicum quidem Bojariæ, Pipinum vero Aquitaniæ præficit. Ludovicus cum uxore Hemma an. 821. eo profectus Reginoburgii habitare & regnare cœpit, teste Joan. Aventino Bojorum historico. Bernardus igitur Pipini filius Caroli Martelli nepos, Italiæ rex, suam dignitatem imminutam ratus, adversus patruum instinctu Valonis propinqui sui, & aliorum PP. novis rebus studet, Alpium angustias occupat, & præsidiis firmat, sed detectâ conjuratione Majestatis reus damnatus, & occæcatus, inque monasterium detrusus triduo post, anno 818. 17. Aprilis moritur, nec contentus solâ Bernhardi morte etiam Dragonem Theodoricum, & Hugonem fratres naturales tondere S. Adelbertum Corbejæ Abbatem propinquum Bernardi filium Valonis fratrem in insulam deportari. Dehinc in Britannos proficiscitur indeque regressus Andegavi Irmgardim uxorem 3. Octob. amittit, & Heristallum eâ sepultâ repetit, & Aquisgranum in hyberna pergit, conventu ob ordinis Ecclesiastici reformationem habito, tum procerum voto Iuditham Welphi filiam, Isibrandi ex Ermentrude, duodecim filiorum uno partu matre, neptem, secundam superinducit. Anno vero 821. Kal. May. Imp. Lodovicus divisionem regni factam Neomagi in conventu promulgat: Lothario primogenito Erungardim Hugonis comitis filiam sollenni apparatu Aquisgrani jungit. Anno 822. Attiniaci in

LVDOVICVS PIVS.

conventu

conventu tribus fratribus naturalibus & propinquis reconciliatur, ob Bernhardum occisum sponte sibi pœnitentiam injungit, & Adelhardum Valachi fratrem Corbejam novam in Saxoniâ condere jubet, eodem anno Lotharius filius à Paschali Papa Romæ coronatus, ipse compendii jejunium ob prodigia anno 823 indixit. Anno 824. mense Iunio ex Iuditha uxore nascitur ejus filius Carolus posteà Calvus appellatus, anno 825. Synodum Parisiis ob imagines indicit, in quâ eas *adorationis superstitione remota memoria & amoris causa retinendas* decretum. Pace cum Godofredi liberis confirmata, Harioldus Daniæ rex Moguntiam venit ad S. Albanum cum omnibus suis baptisatus, cum quo in Daniam socio Gaudberto Anscarius Frisius Vltrajecti in scholâ Gregorii Episcopi III. institutus, indeque Corbejam Saxoniæ delatus, anno 826 profectus multos ad Christi fidem convertit, & ab illis ad Suedos porro migravit, anno 827 Sarraceni ductore Euphemo Siciliæ præfecto, qui ob raptam monialem ad illos transfugerat; Siciliam, Calabriam, & Appuliam occupant. Et anno 828. ex Hispania Galliam infestant, anno 829 Imperator VVormatiæ conventu habito Lotharium filium in Italiam mittit, Bernhardum Septimaniæ comitem cubiculo suo præficit, eique filium Carolum Calvum in manus dat, & secundas in imperio partes agere jubet; qui cum anno 830 potestate hac abuteretur, proceres Galliæ imprimis Ecclesiastici, ubi Pipino Aquitaniæ regi consuetudinem stupri Bernhardi cum Iuditha noverca persuasissent, contra ipsum insurgunt, illumque cum fratribus Conrado & Rudolpho attonsis in monasterium S. Radegundis detrudunt, & Pipino in Aquitaniam servandos mittunt, quæ Lotharius filius primogenitus adprobavit, Germani autem Imperatorem ab adversa factione liberant, Hildevio S. Dionisii Abbate Paderbornam, Valone Corbejam relegatis, reliquis cõspirationis sociis dimissis, Iuditha sorore cum fratribus, venia priùs ab ipsa petita revocatis, quæ levitas simul & lenitas Imperatoris cucullo quam sceptro aptior damnosa fuit, eumq; in contẽptum adduxit, cum enim Carolo filio (cum Eothario pactus) primam Rhætiam, Alemanniam atque Burgundiam attribuisset, Lotharius ab Hugone socero, fratre etiam Pipino cui Aquitania erepta erat, excitatus contra patrem insurgit, & Gregorio IV. Pontifice adstipulante, patrem in potestatem accipit, uxorem novercam ab eo abducit, & in Italiam relegat, Carolum filium in monasterium detrudit, & tandem patre in monasterium Dionysii relato, solus rerum potitur. Ludovicus autem procerum hortatuan. 834 imperium iterùm capessit, & quia Lotharius in Italia antiquum obtinet, in eum movere constituit, sed à Normannis Frisiam; Durostadium, Antwerpiam, & VVittam Emporium ad Mosam tum celebre vastantibus, retractus est. Eodem tempore, anno nimirum 832. Hildegrinus, S. Ludgeri frater, Salingenstedensis, posteà Oisterviciensis, nunc Halberstadiensis Episcopus anno 785. à Carolo M. præfectus moritur. S. Ansgarius Hamburgensium ad Albim

consti-

constituitur, Archiepiscopus, ut cunctis illis vicinis Danorum, Suecorum, Slavorum nationibus Euangelium annunciet, & doctrina atque moribus præsit, à Drogone Metensi Episcopo consecratus addito socio Ebone Archiepiscopo Rhemensi, Anno 833 à Ludovico Imperatore ob ingenium & eruditionem sedi Romanæ præfecto, sed conjurationem anno 835 cum filiis deprecante, restituto, qui tamen Gaudebertum submisit, Simonem vocatum, Suedorum Apostolum. Anno 836 reliquis conjurationis sociis peste extinctis Rixfrido Ludovicus B. Fridericum Adelensem Frisium suffecit, qui eum incestus accusavit, ob quod à Iuditha Imperatrice odio habitus internecino, Frisiam nihilominus anno 838 cum socio Odulpho ab Arrianismo purgans, Odulphus à sicariis duobus à Iuditha submissis interemptus est, postea etiam Fridericus in sacrario, eodem anno 18 Iulii occisus Vltrajecti, hoc eodem anno obiit Pipinus Aquitaniæ rex relictis Pipino & Carolo filiis impuberibus. Ludovicum vero Bavariæ regem ut privignum oderat Iuditha: Lotharium igitur Italiæ regem Carolo Calvo filio tutorem dat, regem Neustriæ seu Franciæ orientalis à patre designatum, quod à meridie à Mosa jacet, Lothario confert, & nepoti Pipino obsequiorem vitam iratus, Carolo Aquitaniam quoque addidit, tandem Lothario insignibus imperii traditis, Ludovico injuria remissa in præsentia Drogonis Episcopi Metensis thesauro privato distributo, Francofurto secundo Mœno in insulam Rheni propè Engelheim deportatus Cal. Iul. anno 840 ætatis 64, è vitâ migrat, Metis in basilica S. Arnulphi conditus. Ludovico Pio Imperatore mortuo, etsi priùs filiis imperium diviserat, Lothario natu maximo Italiam cum Imperatoris titulo, Pipino, Pipini secundò geniti filio Aquitaniam, Ludovico tertiò genito Bojariam, Carolo Calvo ex secundâ uxore Iuditha VVelphi filiâ nato Franciam assignando, illi tamen ob iniquitatem, ut putarunt, divisionis, discordes facti, de familia herciscunda certarunt, imò Lotharius tanquam natu maximus literis in Germaniam & Galliam missis totum imperium ad se trahere conatus est, & primò impetu in militem fratris Ludovici Moguntiæ facto eum disturbat, & Francofurtum tendens fratrem primò profligat, verum ab illo animo resumpto ita repellitur, ut pactis induciis discesserit, & in Carolum fratrem minorem arma converterit, Ludovicus vero Rheni dextram ripam interea præsidio firmat, quod intelligens Lotharius ab insectatione Caroli regreditur, & anno 841 Wormatiæ Rhenum transiens Ludovicum Franconia pellit, & in Bojariam reverti cogit, qui Carolo fratri conjunctus simul bellum contra Lotharium gerit, & ad 3. Id. May Adelberto comite Metensi, Austrasiæ duce, omnium discordiarum inter fratres incensore sublato, primum bellum deprecantur, sed cum is propositi pertinax nihil æqui responderet, eum ad 7 Cal. Iulii. hora 2. in agro Alcedorensi juxta villam Fontenatam luctuoso & toti ferè imperio exitiabili prælio, in quo totius Franciæ nobilitas, & omnium regnorum quasi robur

occu-

occubuit, vincunt, castris exuunt, & Aquisgranum fugere compellunt; cadaveribus autem utrimque cæsorum terræ commendatis, à fratris etiam ulteriori persecutione abstinentes, victoriâ Deo de eâ gratiis actis, modestè utuntur. Lotharius autem imperii avidus, Saxonibus ut in suas partes transirent, libertate religionis ethnicæ permissa, Normannis in Christianorum cervices inductis, ut eorũ operâ fratres debellaret, & Frisia quoque Translavicana dativo regi, ut ejus auxiliis sublevaretur, anno 842 donata, diversis expeditionibus binos fratres divexavit, qui ob id Argentinæ juramento interposito arctius contra eum uniti sunt, donec eo ad mitiorem sententiam redeunte, Anno 843 Verduni per 120 arbitros Lothario Imperatoris & Augusti nomen, cum Italia, Gallia, Belgica, Celtica, Narbonensi & Seguinis: Ludovico Germania magna; Carolo Gallia Belgica secunda, cum Gallia Lugdunensi seu Celtica usque ad Mosam, quæ hodie Francia occidentalis, ejusque caput Lutetia: Pipino Aquitania attributa. A Lothario regnum ejus Lotharingia dicta, cujus filium Ludovicum Sergius Papa, Gregorii IV. successor Id. April. anno 844 Romæ Italiæ regem consecrat. Verum cum Carolus Calvus in fratris filium Pipinum moveret Normanni Sequanam fluvium classe ingressi Parisios, Frisios, Hamburgenses spoliant anno 845. Anno 846 Giselbertus Aquitaniæ præfectus filiam Lothariæ imperatoris rapuit. Anno 847 Otgario Archiepiscopo Moguntino mortuo, Rabanus Maurus succedit, qui cum Vilfrido aliàs Strabone S. Galli Abbate & Rudolpho monacho Fuldensi hoc seculo floret, & anno prædicto 847 Rabanus jussu Lodovici regis Germaniæ, Moguntinæ Synodum habet, in quâ vivendi ratio sacerdotibus præscripta. Anno sequenti ibidem alius conventus contra Godeschalcum de prædestinatione institutus est. Anno 849 Leo V. in munienda Roma à Lothario & Ludovico fratribus adjutus. Anno 850 Hieronymus Anglus Euangelium apud Hollandos Nortinos annunciare cœpit, à Normannis imprimis Vltrajecti tum grassantibus, occisus, ob quos coercendos à Carolo Calvo rege Galliæ Rupertus Witekindi filius Dux Andium inter Legerim & Sequanam constitutus. Anno 851 Ermingardis regina, Lotharii uxor Ludovico, Lothario, atque Carolo relictis liberis moritur. Anno 852 nova jubente Ludovico Germaniæ rege Moguntiæ Synodus celebrata. Carolus autem Calvus Pipinum fratris sui Pipini filium capit, & anno 853 monasterio includit. Contra hunc Ludovicus Germaniæ rex anno 854 movet. Lotharius vero Imperator Anno 855 ubi filiis, Ludovico Italiam cum imperatoris titulo, Lothario regnum Austrasiæ, quod tunc Lotharingia audiebat, Carolo Burgundiam Provinciamque tribuisset, delicta juventutis recolens deposita Cæsarie monachum istius more induit, & Prumiam monasterium Treverensis diœcesis ingreditur, nec diu post, videlicet ad 27 Septembr. vitam deserit. Anno 856 moritur Rabanus, Anno 857 Ludovicus rex cum

LOTHARIVS III.

Lotha-

Lothario nepote apud Rheni & Moſellæ confluentem colloquitur. Idem Lotharius anno 858. 4. non. Januar. in monaſterio Prumienſi Eccleſiæ Vltrajectinæ ſub Hungero Epiſcopo Bergam monaſterium in Maſo ſitum donat, quo tempore etiam Normanni & Dani in Hollandia graſſati. Eodem anno Ludovicus rex Forchemi cum proceribus aliquot habito colloquio Vlmæ conventum indicit, & legatos ibi Ludovici Italiæ regis audit. Indè Francofurti Paſchalia celebrat, & Nicolaus M. Benedicti ſucceſſor Hamburgenſem & Bremenſem Epiſcopatus in Archiepiſcopatum jungi mandat, eique Anſcharium variè jactatum præficit. Carolus Calvus mortuo Carolo Provinciæ rege, nepote, excluſo fratre Lothario, regnum armis occupare contendit, ſed Lotharius quondam Lodovici fratris dux eum à propoſito diſpulit, & cum eodem regnum benignè diviſit. Ludovicus Germaniæ rex tres exercitus, ſub Carolomanno filio in Slavos, ſub Ludovico filio in Obotritos, & Traculpho in Serabos ducit. Indè contra Carolum fratrem in Galliam ducit, qui ex acie fugit: ideoque anno 859 expeditionis hujus pœnitentiâ ductus, Anno 860. Ludovicus, Carolus, atque Lotharius fratres Confluentiæ uniti ſunt. Anno 861. 862. & 863. Ludovicus filium Carolomannum proditionis ſuſpectum habet, calumniis apud ipſum delatum, qui tamen ſeſe purgavit. Eodem anno 863 Carolus Calvus in Britannos movit, ab illis victus; ſuperiore vero 862. Balduinus Ferreus Halerbecæ comes, & Flandriæ Saltuarius, Iuditha Caroli Calvi filia non invitâ raptâ, à patre oppugnatus, cum bis eum ſuperaſſet, excommunicatus, ſed ſupplex factus ac deprecatus, à Nicolao Pontifice in gratiam recipitur, comes regni Francici, & Flandriæ Marchio efficitur, Anno 863 primus Flandriæ comes contra Danos & Normannos efficitur. Eodem anno Carolum Calvum apud vicum Pladellæ Theodorico fratri Valgeri principis Dani, & Sigeberti Aquitaniæ Ducis filio, à Machtilde Hoganonis comitis Xantenſis ſorore, Sigeberti conjuge commendato Hollandiam donaſſe volunt, & contra Burggravium Leydenſem & Falckenburgi Dominum jugum ejus excutientes, defendiſſe, ſed melius id Carolo ſimplici anno 923 tribuitur. Porrò eodem anno 863 Carolus Calvus repudiatâ incæſtus prætextu uxore Tietbergâ Waldradam concubinam operâ Guntharii Colonienſis, & Tutgandi Treverenſis Archiepiſcoporum ducit, concilio Metis in urbe Mediomatricum, & deindè Aquiſgrani habito. Idcirco Tietbergæ fratres hanc tam enormem contumeliam Romam ad Nicolaum Papam deferunt, qui anno 864. legatos qui in rei veritatem inquirant, in Galliam mittit, ſed hi muneribus corrupti Archiepiſcopos ſecùm Romam invitant, ubi Pontifex illis depoſitis, Metenſem & Aquiſgranenſem Synodum damnat, & Carolo fulmen excommunicationis minatus Waldradam omittere, & Tietbergam recipere juſſit. Hic interea cum Britonibus decertabat, & contra eos ſecum fortiter pugnantem Robertum Witekindi filiũ, Ducem Andium, Anno 864 conſtituit,

LVDOVICVS II.

Ioh. à Leydis Carm. Harl. in Chrõ. mag. Holl. an. 1517. edito.

Ioh. de Beka in Epiſc. Vltraject. & Comitib. Holl. VVilh.

Heda præpoſ. Arn. in hiſt. Vltraject.

quo

quo anno etiam Anscharius Frisius Archiepiscopus, & anno sequenti Rudolphus Monachus Fuldensis mortui. Arsenius legatus Nicolai Papæ inter Ludovicum & Carolum fratres & Fotaram fratris filiam Anno 867 pacem componere studuit. Anno 866 convocata Synodo ad Tietbergæ receptionem Lotharium constrinxit, quam tamen, ipso digresso blanditiis ejus captus recepit, Tietberga vero ad Carolum Calvum fugiente VValdrada pellex coronatione privatur: hæc à fratre Hucberto Abbate defensa est, qui à Conrado Rudolphi postea Burgundiæ regis patre, Hugonis Abbatis filio, & VVitekindi Saxonis nepote ad Terbam victus est. Carolus Calvus Salomonem Britanniæ regem Herispii victorem in clientelam suscepit. Ludovicus vero Ludovici Germanici filius ob ejus in fratrem Carolomanni beneficentiam in patrem conjurat, quod statim ab Episcopis compositum. Anno 867 Bulgari legati de Christi fide suscepta Ludovico regi Ratisponæ nunciant. Eodem anno Normannos Galliam circa Ligerim vastantes, Ranulphus Aquitaniæ Dux, & Robertus Andium comes reprimere tentant, sed ab iis cæsi sunt. Contra Saracenos Beneventum occupantes Ludovici Imperatoris frater Lotharius ex Burgundionibus subsidium mittit, & postquam Romæ Adriano Nicolai successori gratulatus esset, Anno 868 Placentiæ in reditu peste correptus 8 Augusti è vitâ migrat. Carolus Calvus ergò Ludovico fratre in Italia cum Saracenis luctante, & Ludovico Germaniæ rege ægrotante, occasioni serviens, Lotharii regnum Anno 899 occupat, & in Regem Australiæ Metis ab Archiepiscopo Rhemensi ungitur & coronatur. Ea re vulgata Ludovicus cum Papa ad fratrem legatos mittit, quos audiit quidem, nihilominus tamen ad Alsatiam quoque occupandam contendit, Aquisgrani nativitatem Domini celebrans Anno 870 Neomagum & indè Compendium abit, ex quo Attiniacum rediit, ibique regni Lotharici inter Ludovicum & Carolum divisio facta est: Vasdani autem non hic Ludovicus frater Caroli, sed Lotharius rex Franciæ, Ludovici Transmarini filius Theodorico II. Comiti Hollandiæ Anno 969 donavit. Divisioni autem factæ Hadrianus II. Papa, instinctu Imperatoris Italici Ludovici contradicens, Lotharii hæreditatem vi occupatam eidem Ludovico restitui jussit, quam ejus importunam insolentiam ægrè ferentes duo reges fratres in proposito persistunt. Caroli autem Calvi filius Carolomannus sacris à patre initiatus, quia contrà ejus voluntatem ordinem hunc deseruerat, anno hoc 870 ex decreto Episcoporum oculorum acie privatur, & Corbejam in monasterium mittitur. Carolus etiam ejus frater cum Albino inter aulicos famoso equite in tenebris congressus, ab eo ignotus oppressus est, adeoque solum Ludovicum cognomento Balbum habuit hæredem. Ludovicus verò rex Germaniæ inter tres itidem filios,

Carolomannum, Ludovicum, & Carolum Craſſum, qui prius Anno 871 diſcordes, Anno 872 præſente exercitu diviſionem inſtituit, & anno 873 Francofurti hybernat. Anno verò 874 per Alpes Noricas in Italiam profectus apud Veronam cum Imp. Ludovico & Joh. VIII. Pontifice colloquium habet, inde reverſus, Forchemi cum Carolomanno & Ludovico filiis verſatur. Inibi legatos Ricentobaldi Moraviæ regis, qui priùs defecerat, ſed à Carolomanno filio devictus, pacem petebat, audit & abſolvit. Hinc Francofurtum, deindè Aquiſgranum, & tandem Leodicum contendit, Francofurtum verò iterùm rediens, ibi natalem Domini celebrat, & hybernat, ubi Hemma Hiſpanienſis, uxor ejus paralyſi afflicta, uſum loquendi amittit. Indè reverſus Anno 875 ad Cal. Jun. Tiburiis conventum populi agit, in quo ſeditio inter Francos & Saxones orta, prudentiâ Ludovici junioris ſedatur. Hinc menſe Auguſto Ludovicus Italiæ rex & Imperator excedit è vitâ, Mediolani in baſilicâ D. Ambroſii humatus, Angelberga uxor ejus apud Brixiam monialium conſortio ſe jungit. Ideò contra Comites Tuſculanos Papa ad Carolum Calvum legatos mittit, qui cum exercitu in Italiam venit, Sed illi Ludovicus Germaniæ rex ſub Carolomanno filio ſe opponit; quo domum regreſſo Carolus Calvus Imperator Auguſtus Romæ à Papa renunciatus, & Papiæ coronâ regiâ ab Archiepiſcopo cinctus. Ludovici autem Germaniæ regis uxor Hemma Ratiſponæ moritur, ad S. Emeranum mart. condita. Et dum inter ipſum & Carolum fratrem legati ultrò citróque commeant, Ludovicus Francofurti in palatio 5. Cal. Septembr. Anno 876. vitâ defungitur. Carolus igitur Calvus omnia regna occupare nititur, ſed à Ludovico Ludovici regis filio repulſus, & à Deo punitus eſt, adeoque filii Ludovici Carolomannus, Ludovicus, & Carolus Craſſus regnum paternum inter ſe pacificè dividunt. Ludovicus rex Germaniæ Anno 877 Francofurti comitia agit, Carolomannus Bojariæ rex contra patruum Carolum Craſſum in Italiam movet, ſed Carolus territus antequam Alpes tranſcendit ex potione Zedekiæ Iudæi pridie Non. Octob. vitam & ambita hujus mundi imperia deſerit, cadaver Vercellis, oſſa ſeptennio poſt ad S. Dionyſium in Galliam delata ſunt, & ſic Carolomannus regnum Italiæ Longobardicum adit, & triennium deinceps obtinet; in Gallia patri Carolo Calvo Ludovicus Balbus ſuccedit, ab Hincmaro Rhemenſi Compendii coronatus. Is Anno 878 Francofurti ad Ludovicum Franciæ orientalis regem legatos dirigit, & à Joh. IV. Papa in Tricaſſibus Galliæ Synodo habitâ imperator creatus, & coronâ redimitus Saracenos Italia expellit, ſed Anno 879 ex Anſgarda concubina Ludovicum & Carolomannum, uxorem etiam Adelheidim gravidam relinquens 10 Aprilis Compendii vita exceſſit, eoque mortuo Italia cum imperio Carolomanno ceſſit, qui illud in fratrem Carolum Craſſum tranſtulit, paralyſi laborans, &

Regino Abb. Prun.

Anno

Anno 879. 7. Non. April. ex ea mortuus, Ludovicus autem fratri juniori Bojariam, Arnulpho filio notho Tarentanum tribuit.

Ludovicus autem Rex Germaniæ, audita Balbi morte Galliam turbat, sed datâ alterâ parte regni Lothariani, adeoque etiam Frisia, placatus in Germaniam redit.

Carolus Crassus mortuo fratre Carolomanno Italiæ regnum occupat, & Anno 880 desinente, à Joh. IX. Papa in Vaticano Imperator coronatur.

Hoc eodem anno Balduinus Ferreus Flandriæ Comes post 39. imperii annum mortuus, eique filius Balduinus Calvus successit.

Idem annus Saxoniæ populo valdè funestus fuit: nam Carolomanno mortuo, ejusque fratribus binis in Italiâ & Bojaria absentibus, Normanni ex Juttia Albi superata in Saxonia rapinis & incendiis omnia vastant: his Bruno & Tanquardus fratres Saxoniæ Duces cum duodecim Comitibus, & tribus Episcopis VVerdensi, Mindensi, & Hildesheimio, magnoque Christianorum exercitu circa Ebbekesdorpam in ditione Luneburgensi occurrunt, sed omnes à Normannis internecione deleti sunt, & cadaveribus diù insepultis tandem omnes in unum acervum congesti, sequentibus temporibus conditi, & pro martyribus habiti sunt.

Bruno verò & Tanquardus hujus expeditionis auctores Ludolphi Saxonis erant filii Anno 861 Brunswici restauratores & ampliatores, qui Vigbertum patrem, & Witekindum M. avum agnoscebat. VVigbertus enim VVitekindi filius ex Sindacilla Radbodi regis Frisiorum filia Brunonem & VValbertum Angriæ duces genuit, inque oppido Bremensis diœcesis VVildeshuysen collegium erexit, in eo sepultus princeps Christianæ religionis amantissimus. VValbertus autem patris vestigiis inhærens collegium illud à patre inchoatum perfecit, & sine prole masculâ decedens apud illum humatus est. At Bruno fratri VValberto succedens ex Susanna Suevica Ludolphum Saxoniæ Orientalis ducem Anno 859 mortuum: & hic vicissim ex Oda filia Ducis Franciæ Orientalis tres filios Brunonem, Tanquardum, & Ottonem, quatuor item filias, quarum tres ex ordine Gandersheimensi monasterio Anno 853 à patre condito præfuerunt, quarta Lutgardis, Ludovici Imperatoris, Arnulphi filii uxor fuit. Brunone ergo & Tanquardo cæsis frater eorum Otto cognomento M. pater Henrici aucupis succedit.

Normanni uerò hac tam quæstuosa victoriâ non contenti Anno 881 vicina Frisiæ littora legunt, carpunt, & devastant, tandemque in Nortwicam Transmasanæ Frisiæ partem excursionem faciunt, sed à Frisiis hortatu Remberti Episcopi Bremensis animatis 10377 eorum cæsi sunt. Neomago verò occupato & munito bellum instaurant, & novem millibus eorum equitibus à Balbo licet cæsis, primo impetu Leodicum urbem, Trajectum

caſtrum,& Tungros civitatem,vicinis locis depopulatis, exurunt: ſecunda egreſſione in Ripuarios effuſi, Coloniam, Bonnam, cum Tulpiaco & Noveſio caſtellis incendio perdunt. Inde monaſteria Prumiam, Indam, Malmandurium, Stabulam, exſpoliant, ex palatio Aquenſi ſtabulum equorum faciunt, clericis & monachis Moguntiam fugatis. Ludovicus Germaniæ rex ſecundus, dum exercitum ſuum occurrere jubet, Anno 882. 13. Cal. Febr. è terrâ in cœlum migrat, uxorem habuit Lutgardam Ethiconis VVelphi filiam ex qua filium cognominem genuit Ludovicum, qui Ratiſponæ ex feneſtrâ decidens, cervice fracta miſerabiliter interiit. Poſt patris autem Ludovici interitum, Normanni iterum Treveros occupant, & diruunt, inde in Mediomatricos movent, & Epiſcopum cum copiis ſternunt. His Carolus Craſſus omnium regnorum in Germania hæres, ex Italia in Franciam redux Anno 883 conventu VVormatiæ indicto exercitum ſuum oppoſuit, & in Haſlaa eos obſidione concluſit, ſed tempeſtate utrimque exercitus fractus nihil memoriâ dignum efficit, Carolomannus vero venatum profectus, ab apro, vel ut aliqui volunt, à ſatellite incautius feriente, vulneratus Anno 884, paulò poſt moritur: adeoque Italia, Gallia, Germania, & ſimul quoque Friſia ad unum Carolum Craſſum pervenerunt. Et cum Hugo Lotharii filius naturalis res novas in regno Lotharii moliretur anno 885, cum illo tranſegit; Normannos vero cum Duce ipſorum Godefrido operâ Friſiorum ex inſidiis adortos apud Batavos profligavit, & hinc Friſiis privilegia ſua conſecravit prout latius hæc perſequitur Bernhardus Furmerius Ann. Friſiorum Triade III. Cum vero imperium à Francis ad Saxones tranſiiſſet, idq; præcipue non authoritate Pontificis Romani, ſed libera electione, & ex voluntate Conradi I. Frãconiæ Ducis Imp; cui idẽ beneficiũ Otto M. Dux Saxoniæ ſenior (huic enim diadema ante ipſum oblatum fuerat) præſtiterat, hinc ab ipſo ad Henricum Aucupẽ Ottonis filiũ An. 920, & ab eo ad Nepotẽ, & abnepotes Ottones tres, I. II. III. A tertio vero an. 1000 ad Henricum II. Bavarum Claudum & ſanctũ: ab eo iterum ad Conradum II. Franconiæ Ducem, & dehinc ad ejus filium Henricum III. nigrum Henricum IV. & V. Nepotem & abnepotem, & ab hoc viciſſim ad Lotharium II. Saxonem An. 1126 ſucceſſione temporis non interrupta derivatum fuit, qui Impp. Germanici poſt reges Francorum Comites & Principes omnes, de quibus jam acturi, in dignitatem partim collocarunt, partim in eadem confirmarunt. Ottonis primi, ut hoc addamus, mentio eſt in bello Birtenico, qui hodie pagus eſt ad Sanctorum oppidũ contiguus, ubi olim Trajana Colonia ſtetit, poſtea vero Ordinis Ciſtercienſis monaſterium Veſtalium nobilium ædificatum eſt, Furſtenbergium dictum, jam deſtructum ſolis binis turribus editioribus reliquis. Hic Imperator iſte vere Chriſtianus in genua procumbens fuſis ardentibus ad Deum precibus de hoſtibus qui ſuperato è regione Rheno ipſum

in

insequebantur, memorabili victoriâ triumphavit, Ticinense teste. Vt vero redeat unde digressa est oratio, & qua ratione Clivia, Julia, Geldria, à regibus Francorum ad Dynastas indeque Comites tandemque Duces pervenerit, palam fiat, ex superioribus tenendũ est, Reges Francorum jam inde à Dagoberto primo, & Clothario ejus Patre omnẽ regni curam in aulæ magistros transferre solitos cum ipsi se domi occultarent, & totos crapulæ ac Veneti dederent, nunquã prodeũtes in publicum nisi Kal. Maji carpento bobus tracto vecti, ut à populo velut Dii ex machina apparẽtes, dona & munera caperent. Hinc illorum Magistri in publico noti & illustres, omnia pro potestate regia agere, bellum & pacẽ dare, leges & jura cõdere, & omnẽ Remp. pro arbitrio gerere. Ea re factum ut domus Landesia creſceret, quæ Pipinos atq; Carolos dedit viros strenuos ac frugi, qui reges Solio ejecerunt; ut suo exemplo posteros admoneãt, quam periculosum sit, in unam domum totius regni beneficia congerere. Nec solum ignavia, & vitæ dissolutio reges depressit, & præfectos eorum extulit, sed & religionis in magistris studium & sacri Ordinis præsertim Romani perpetuus cultus illos ad summos honorum apices pedetentim evexit. Indulgẽtia N. Clotarii II. primum lapidem fundamento regni Francici subtraxit: alterum subduxit Dagoberti regis immodica scortatio: ruinam juverunt aulæ præfecti, qui Regum suorum mores imitati Rempub. negligenter habuerunt. Ipsi deniq; Papæ Romani utpote Zacharias, i.e. Stephanus II tanquã scil. boni, Harmostæ regnum à vero Domino in servum Pipinum transferentes, Hadrianus I. An. 774 Carolum M. Romani imperii patritium, Leo vero IV. An. 800 Imperatorem, salutantes cum successores licet non requisiti, inungentes, totum everterunt: & ab iisdem pro gratitudine Ravennam cum Pentapoli aliisq; oppidis Constantino Copronymo à Longobardis erepta, contra illud Christi Luc. 22. Reges gentium dominantur, vos autẽ non sic; acceperunt. Horum majorum domus cum magna esset authoritas & potentia, illi pro lubitu etiã præsides comites & magistratus ubiq; constituerunt, iisque ob fidem servitiaque insignia regno Francorum præstita, paulatim præfecturas quas administrabant, hæreditario jure ad posteros transferendi potestatem fecerunt. Unde Cliviis, Geldris, reliquisque Dynastis imperii origo est, de quibus jam portò in parte secunda Annalium nostrorum, differemus. Series Imperatorum Germanicorum, ut eam paucis hic attexamus, talis est. Illorum qui post Lotharium dignitatem Cæsaream administrarunt: Eamvero dignitatem iisdem Imp. Germanicorum successio & authoritas adprobavit, auxit, & continuavit.

Post Lotharium Saxonem Anno 1138 acroama imperii Romani gessit Conradus III. Henrici IV. Sorore genitus.

Hunc secutus Fredericus I. d. Barbarossa fratre Conradi Frederico Suevo genitus Anno 1152.

Iste filium Henricum ejus nominis VI. adhuc puerum Moguntiæ gladio accinxit, suum Anno 1190 Successorem.

Ille iterum Philippum filium ejus nominis II. adhuc infantem successorem designavit Imperatorem post fata ejus anno 1198, factum: Cujus tamen rivalis fuit Otto ejus nominis IV. Henrici Leonis Saxonis filius, imò Diademate post mortem Competitoris Anno 1208 potitus, sed à suis desertus illud Frederico II. Barbarossæ nepoti Anno 1218 vicissim linquere coactus est.

Qui vicissim filium Conradum nominis IV. Regem Romanorum inauguravit suum Anno 1250 successorem, competitore Henrico Thuringiæ, & Hessiæ Lādgravio Ludovici fratre. Post Conradi obitum, nepote Conradino necato, Wilhelmus Hollandiæ Comes, Richardus Anglus, & Alphonsus Aragonius, de imperio contenderunt, sed illud unus post alterum tantisper administravit, dum ipsis successivè mortuis, Anno 1273 Rudolphus Habsburgicus, ceu novum Germaniæ sydus cœpit illucescere, à quo moderna familia Austriaca, Cæsaream dignitatem justa serie usque in hodiernum tempus continuat, primò licet per Adolphum Nassovium Anno 1292 interrupta: quo Anno 1298 ab Alberto Rudolphi filio, occiso, idem eodem anno statim successit, post cujus fata Henricus Lutzenburgius ejus nominis VII. Anno 1308. & post istum Anno 1318 Ludovicus Bavarus ejus nominis IV. iterum Augustum acroama ad se derivarunt. Postremus etiam cum Friderico Austriaco, de eodem certavit donec hoc victo, Victore vero Bavaro mortuo Anno 1347 Carolus IV. Johannis Bohemiæ Regis filius, & Henrici VII. Lutzēburgici Imperatoris Nepos, imperii Sceptrum nactus est. Hic illud Anno 1378 primo ad filium primogenitum Wenceslaum derivavit: quo ob summam inertiam exautorato, Robertus Palatinus istud Anno 1400 accepit, quo defuncto, secundus Caroli filius Sigismundus iterum imperium Anno 1411 nactus est. Hunc Anno 1438 vicissim gener Albertus Austriacus ejus nominis II. excepit. Istum Fridericus III. necessarius, & ex fratre Ernesto nepos an. 1440: Illum filius Maximilianus I. An. 1493: Hunc Carolus V. ex filio Philippo nepos anno 1519: Istum Ferdinandus I. frater anno 1558: Hunc filius Maximilianus II. An. 1564. & illum denique ejus bini filii, atq; inter se fratres Rudolphus II. Anno 1576: Matthias I. Anno 1612 secuti sunt: postremo defuncto Anno 1619 Ferdinandus II. Patre Carolo Austriaco Ferdinandi I. Cæsaris filio natus successit, qui hoc Anno 1637 inter vivos esse desiit.

ANNA-

ANNALIVM PARS SECVNDA,

Seu

Clivia-Julio-Montia, &c.

Modernæ, membris suis in genere & specie distinctæ.

POSTQVAM ergò de Juliorum, Clivorum, Geldrorum, Marckensium, Ravenspergensium populorum origine parte primâ dictum est, reliquum est, ut quâ ratione à regibus Francorum & Imperatoribus Germanicis ad Dynastas seu Toparchas, inde Comites, Marchiones, tandemque Duces provinciæ istæ pervenerint, primùm in genere adjiciamus; deinde membratim eorum seriem, nomina, & res domi, foris, pace, bello gestas, perstringamus.

Origo Principum in genere.

Vbi ante omnia notandum quæ de Vrsinorum antiqua familia Romana, quasi ex illa Comites & Duces hi oriundi, vulgo in omnibus fermè chronicis editis & manuscriptis adferuntur, frivola esse; nam præterquam quod Vrsini ex antiqua principum Saxoniæ stirpe prognati inter Albim & Visurgim sedes suas habuerūt, exque iis quidam in Italiam ad Theodosium juniorem se conferentes Vrsinorum principum titulum consecuti sunt, etiam ab iisdem Vrsinis Romanis deducit Principes Anhaltinos Ernestus Brotusius, & Bernhard. Furmer. Annal. Fris. lib. 3. cap 5. Duces Megapolitanos innominati scriptores apud Crantzium in Vandalia, comites Lippienses Bernhardus Wittius in manuscripto: sicut ad Columnenses Romanos comites Zolleros, hodie Burggravios Noribergenses, & Marchiones Brandenburgicos, Joannes Cernitius Registrator Berolinensis, Marchiones Hochbergios, Franciscus Irenicus; Comites Oldenburgicos, Joannes Schiphower referunt: Decentius ergo & longè honestius erit, principes nostros viros ex patriis regionibus, ex quibus primum oriundi, divitiis & auctoritate indigenæ nobiles paulatim succrevere, quam ex longè remotis oris arcessere, vide Crantzium in metropoli & Vandalia, Peucerum in Chronico Philippico Carionis, Cyriacum Spangenbergh in Chron. Hennebergico, & Herm. Hamelman. præfat. Chron. Oldenb Certè Annales Pithocani in vitâ Ludovici

Pii ad Annum 815 totius Saxoniæ, & inter hos etiam Montanos, Marcanos, & Ravensburgicos comites enumerant: Clivenſes autem, Geldri, Julii, quia ſub Conſtantino Magno, deinde regibus Francorum Toparchæ conſtituti, paulatim comitatus hos ab iiſdem impetrarunt, illorum origo inde petenda venit. Nam Conſtantinus Magnus quidem ſede imperii in Orientem tranſlata, ut dominia, agros, fundos, omniaque quæ in Galliis veterani Comites & Duces belli pro ſtipendiis poſſidebant, perpetuo ad eorum heredes tranſirent, conceſſit. Eædem poſſeſſiones deinde Romanis poſtmodum his provinciis pulſis & ejectis, beneficio regum Francorum, & ob illorum ſocordiam, majorum domus benevolentiâ ab iiſdem ad ſucceſſores, interdum etiam ad alios principes, derivatæ ſunt.

Origo Principum Clivenſium.

In ſpecie vero quod Clivenſes utpote omnium antiquiores attinet, Ioannes Lowerman, Iclus, & principis Guilielmi, Cliviæ, Juliæ, Montium Ducis, quondam conſiliarius, eorum proſapiam, à Theodorico quodam ejuſque parente ſeu cognato Dalthone Turgovio deducit, qui ob ſervitia regno Franciæ ſub regibus Dagoberto & Sigisberto, præſtita, hic quidem Comitatu Turgoviæ, & Advocatia Eccleſiæ Conſtantienſis, ille verò præfectura, Clivia, & Neomagia donati ſint.

Theodoricus hic unicam reliquiſſe filiam *Beatricem* dicitur, quæ defuncto parente in caſtro Neomagio morabatur; ad quam Annales Clivii, nobilem equitem Heliam de Grail ex paradyſo terreſtri oriundum, navigio à cygno aureo torque inſigni, protracto, veniſſe, & Beatricem ſibi deſponſaſſe, tradunt; cumque contra prohibitionem conjunx arctius de familiâ mariti pernoſcendâ inſtitiſſet, Heliam ad Rhenum regreſſum, & cygnum cum nave rurſus diſparuiſſe; quæ res, inquit Ioannes Turck Regiſtrator Clivenſis, majoribus noſtris ita complacuit, ut cygnum generis ſui monumentum in turribus, palatiis, tapetis, ſtatuis, ſigillis, aliiſque rebus appoſuerint, non aliter quam Romani de Romulo & Remo, Longobardi de Agilmundo rege ſuo, Franci de ſuâ Meluſyna Syrenes commenti ſunt: quidam verò, & Martinus Del Rio illuſione magica id contigiſſe, & liberos ab incubo prognatos, quod vetuſtas de Merlino in Anglia quoque credidit, proferre audent. Aliis verò metamorphoſis hæc incredibilis & fabula viſa, quorum ſententia veritati magis conſentanea eſt. Cum enim Chriſtiana religio non ſolum in univerſa Gallia, ſed & in his oris, & proximis Millingenſi & Rienarienſi pagis uſu recepta fuerit, quis hominem Chriſtianum extra ordinem, operâ maligni ſpiritus naſci, ejuſque ſucceſſores & poſteros per annos ſeptingentos continua ſucceſſione ab eo derivari poſſe exiſtimet? Pighius ergo in Hercule ſuo Prodicio exiſtimat Heliam hunc ex familia Romana Æliorum fuiſſe, quod Ælius Gracilis, ſecundùm Tacitum, Annal. l. 13. in Gallias miſſus, beneficio legis Flaviæ Conſtantinæ poſſeſſiones veteres hæreditario jure ſibi fortè delatas, aditurus, navigio in has partes venerit, & navim

vim ejus non vivo cygno protractam; sed simulachrum Veneris cygnum in prorâ, pro fælici symbolo habuisse positum, quod nunquam mergitur undis; adeoque Hymenæum; Comumque festivos Deos hanc fabulam condidisse, eamque nuptialis agonis, ludicrum argumentum heroico-matrimonio subministrasse.

At frustrà certè tanto molimine hanc è familiis Romanis conatur deducere Pighius, cum sexcentis ante Heliam annis Romani hinc ejecti, eorumque possessiones direptæ, nec posteà ullum unquam tutum habuerint accessum, multo minus jus pro aditione relictæ alicujus hæreditatis eis competere poterat, præsertim cum in præclaro illo Franciæ regno heroum magnorum semper virtus enituerit: Adde quod Tacitus historiam suam de Ælio Gracili temporibus Trajani Anno Christi 100. creati conscripsisse dicatur; noster verò Helias post sexcentos annos à nato Salvatore tandem huc appulit: proinde verius esse putat Ioannes Turcus Registrator Clivensis Theodoricum illum præfecturâ Cliviæ beneficio Francorum donatum, & Heliam ex Helvetiis sive oppido Cleve, hodiè Clavenna, vel è castro nunc monasterio Paradyso in finibus Turgoviæ, vel denique terrestri paradyso, quasi utero matris oriundum secundo Rheno pro ineundo hoc conjugio, navigio sub signo cygni, ceu Centaurio magno, quod dicitur, vectum, venisse: Et cum in bello contra Saracenos in societate Caroli Martelli periisset, quemadmodum de Romulo & Arturo Britanniæ rege quoque fingitur, eum disparuisse, sparsum sit; Accedit quod involucris his mythologicis antiquitatem & splendorem familiæ docere scriptores voluerunt. Turco adstipulatur Petrus à Streithagen Canonicus Hinsbergensis in Ducatu Iulio: Is enim postquam in schematibus suis quatuor, Anno 1629 editis, & serenissimo Principi *VVolfgango VVilhelmo*, Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, Montium Duci &c. inscriptis, opinionem Pighii Canonici Santensis iisdem rationibus quibus Turcus redarguisset, originem prosapiæ Cliviacæ ad Eliam Grajum refert, qui inter necis Iustiniani Imp. Anno 711. quo Clivenses comites initium habuerunt; factæ, auctores, Philippici ejus successoris Dux belli fuit, & ob occisum prius in matris sinu à Iustiniano filium, ipse vicissim caput Imperatori amputatum ad Philippicum transmisit, sed eo ob impietatem iterum depositio, Elias subitâ mutatione perculsus, & fugitivus factus ad Carolum Martellum virtute bellica ubique terrarum clarum pervenit, cujus posteri, quod Grajus passim vocaretur, cognomentum Grail effinxerunt. Ita Streithagenus qui hanc suam opinionem ex eo quoque confirmat, quod Eliam à Theodosio III. vel IV. qui Anastasium Philippico substitutum immediate secutus est, in Comitem Clivensem evectum existimat, qui quemadmodum inter suos fortiter olim pugnaverat, ita inter Francos constitutus antiquæ virtutis documenta non omisit, utpote quod Dagoberto Francorum regi in coërcendis Wildensibus, qui hodie sunt Trajectenses inferiores, adjumento fuit; hi siquidem

dem à Julio Cæsare Britanniâ cum Slavis expulsi, regionem maritimam usque ad Batavorum fines occuparunt. Præterea Frisios & Sicambros, alioſque vicinos populos perpetuis excursionibus vexarunt, munitissimam arcem, dictam Wildenburgiam ex qua accolarum vim depellerent, ædificantes. Dagobertus igitur ut supra quoque annotavimus ab Elia adjutus ipsorum vires contrivit, & arce deletâ, Trajectum urbem munitissimam ad Rhenum pro regionis defensione constituit, quæ ad differentiam superioris ad Mosam Trajectum ad Rhenum itemque inferius dicta est. Eundem quoque Eliam Carolum Martellum è captivitate Noverca Plectrudis liberasse, & cõtra Raginfredum magistrum Palatii sub Rege Chilperico fideliter defendisse: contra Radbodum item Frisiæ tyrannum & Saracenos constanter adjuvisse, author est idem Streithagenus. In quâ etiam extremâ expeditione eum in civitate Narbonensi Anno Christi 734 diem suum extremum obiisse scribit.

Ægidius Gelenius Canonicus Col. ad S. Andream in historia S. Engelberti Archiepiscopi Col. Anno 1633 evulgatâ, ex Cardinale Baronio ad annum 711 addit, Eliam hunc forte fuisse illum Spatharium nobilem, in Græcia illustrem virum, quippe de quo etjam legatur, eum Justinianum Rhinotmetum capite truncasse, & Philippo Monothelita post unius anni & sex circiter mensium spatium, imperium, oculis orbato, atque in exilium relegato, sub Anastasio Optimo Principe ejus successore apud exteros in exilio vixisse, & vitæ reliquæ subsidia quærentem ea in Beatricis, Theodorici ultimi Clivorum præfecti, filiæ, matrimonio inveniſſe. Sed omnes tamen has conjecturas esse, nec aliam quam hæ fidem habere solent mereri benè monet. Ideoque alii verius & rectius à Theisterbandinis Dynastis, de quibus infra, prosapiã Clivensem derivant. Clivensibus Montium & Marcæ Westphalicæ Principes succedunt: quorum originem, licet alii quoque fabulas contaminarint, quæ etiam causa est, quod per annos complures familia hæc illustris bina apud Historicos est obscurior: Hoc nihilominus ex certioribus evidens, utriusque hujus familiæ fratres, Hermannum & Adolphum Ubiorum Comites & Advocatos Turtienses circa annum Christi 967 conditores esse. De Hermanni posteris nihil memoriæ proditum. Adolphus, Adolphum Olberhardum filios genuit, qui purpureâ rosâ, ut vetusta habent monumenta, à patre acceptâ, favore Impp. subnixi præter avitum veteris Montis ad fluvium Duenam versus Rhenum & Cl. Aug. Agripp. Coloniam conditum à patre traditum, aliud quoque ad Lenam fluvium in **Wolfeck** terra inculta, montosa, & nemorosa, inditio avis intersecantium strepitum fugatæ, inque sinu alterius fratrum utpote futuri Domini, bono omine perfugium quærentis ædificarunt, & munierunt, quod quia Montis Aquilii (**Arensberg**) Dynastiæ Westphaliæ antiquissimæ Comiti, quæ ab Anno 660 Guntherum, & ab An. 935 Ottonem, à Friderico vero Godefridi

filio

filio, ejusque uxore Bavara Henrici Crassi sorore, Ottonis filia, longa serie Principes suos numerat, Vicinius, linguâ gentis Altenae dictum est. Hæc duo castra fratres hi cum terris circumjacentibus conjunctim possederunt, donec Eberhardus ex bello Brabantino redux conscientiæ stimulis excitatus, peregrino habitu, in monasterii Morimundensis Anno 1114 juxta Abbatem Ursperg. in vita Ottonis III. Imp. fundati, prædio seu villa scrophus, seu porcorum pastor factus à duobus militibus patriis eo profectis, ex cicatrice faciei agnitus, & ab Abbate in Monachũ ordinis Cisterciensis tonsus est: Idem postea fratrem Adolphum Montium & Altenæ Comitem visitans, ut ex arce veteris montis simile ordinis ejusdẽ monasterium conderet, impetravit, quod Anno 1133 factum est. Comitatus vero Montium & Altenæ Adolphi nepotes iterum inter se diviserunt: Eberhardo enim Altenanus Engelberto Montanus obtigit. Engelbertus rursus Adolphum IV. genuit: & Engelbertum Col. Archiepiscopum, qui sine hærede mortui sorori Margarethæ Henrico Limburgio nuptæ Montium hæreditatem reliquerunt.

Ex hac Adolphus Limburgius ejus nominis V. prodiit, qui rosa purpurea abjecta arma Limburgia Leonem scilicet coronatum rubrũ in albo solo induit, & ex Margaretha Iulia Adolphũ & Wilhelmum, mutuos successores, Conradum Episcopum Monasteriensem, & Henricum Windecciæ Dominum procreavit, sed cum illi ambo nullâ relictâ prole excederent, Adolpho, ex fratre Henrico cum Agnete Marchica nepoti Comitatum Montis reliquerunt, Adolphus autem, cum filii ejus bini, Adolphus & Wilhelmus sibi obstreperi facti, ante ipsum sine liberis, divina vindicta eos prosequente, diem suum obirent, per filiam Margaretham Ottoni Ravensburgio Comiti copulatam, Comitatum Montis tradidit, qui utroque Comitatu fæliciter conjuncto, per filiam itidem suam & hæredem unicam Margaretham, Gerhardo Iulio Wilhelmi filio binos eosdem Comitatus in dotem resignavit, ideoque is hoc conjugio Iulium, Montanum, & Ravensburgium Comitatus univit, Gerhardi posteri Lud. IV. Caroli IV. & Wenceslai Impp. beneficio & auctoritate pro Comitibus Marchiones, & mox pro Marchionibus imperii Duces esse cæperunt.

Porrò Eberhardus alter Adolphi filius Engelberti Montani frater, familiam Marcanam ad Adolphum V. produxit, qui post Ottonem Theodoricum, & Ioannem fratres, Comites Clivenses, stirpis hujus vetustissimæ ultimos, hæredes masculos, Comitatum Clivium, ex conjugio Margarethæ Comitis Theodorici IX. filia & hærede accepit, & Marcano conjunxit, & ex Margaretha hac præter Engelbertum & Theodoricum inter utrumque medium Adolphum progenuit, qui Monasteriensi & Colonienſi Episcopatibus relictis, acceptâ Margaretha Gerhardi, in Comitem Clivium inauguratus, & postmodum filius ejus, itidem Adolphus in Concilio Constantiensi Anno 1417 à Sigismundo Imperatore in Ducem evectus est.

Iulia

Origo Principum Iuliæ.

Julia provincia sivè à Julii Cæsaris castris aut stativis, sive à Julia Agrippina nomen sortiatur, Romanæ est originis: Arce autem priori deletâ, postmodum Guilielmus Clivius, aliam totius regionis Metropolin, & propugnaculum construxit, in cujus ruderibus multa antiquitatis monumenta, sicut etiam in vicinis pagis Altropio & Patterensi eruta sunt, inter quæ Cornelii Taciti, & Sexti Pilati Epitaphia celebrantur.

Principum qui ei præfuerunt originem alii aliter recensent, sicut in ipsorum Historia Membro 3 uberius commemorabimus.

Ex Wilhelmi qui sub Henrico III. Imperatore Anno 1050 militavit, posteris, Wilhelmus Marchio Iuliæ, & non longe post Dux ejus factus primus, Wilhelmum II, successorem habuit, qui ob Mariam Reinholdi primi Geldriæ Ducis filiam, uxorem suam, Reinholdo & Eduardo filiis ejus, suis vero affinibus sine hæredibus mortuis, Ducatum quoque Geldriæ, & Comitatum Zutphaniæ familiæ suæ intulit, & ad VVilhelmum & Reinholdum filios, successores derivavit; sed cum & illi ambo nullam prolem relinquerent, VVilhelmi primi Montium Ducis filio Adolpho & nepote Roberto succedentibus, aut sine hæredibus extinctis, duorum Ducatuum Julii & Montani, & Comitatus Ravensburgii hæreditas ad unum Gerhardum, Adolphi, ex fratre VVilhelmo Ravensbergio Comite, nepotem pervenit, cui quia ob Ducatum Geldrium à patruis magnis ad se transmissum, Arnholdus Egmondanus litem movit, eum Carolo Burgundo vendidit, quod ipsius posteris aditum ad Geldriam attulit; Gerhardus verò Iulium & Montanum Ducatus cum Comitatu Ravensburgio, & jure provinciæ Geldriæ ad filium VVilhelmum vicissim propagavit, qui omnes provincias has unicæ suæ filiæ, Ioanni III. Duci Clivio, & Comiti Marcano in conjugem datæ pro dote concessit, isque Iulium, Montanum & Clivium Ducatus, cum Comitatibus Marcano & Ravensburgio auspicato hoc conjugio copulavit.

Origo Principum Geldriæ.

Geldriam ut hoc attexamus, quod attinet, ejus originem alii à Gelduba Romanorum deducunt, sed quia illa in Ubiis sita fuit, ut parte primâ dictum, hinc alii Geldris Principibus Wichardum & Ludolphum de Pont originem dedisse memorant, qui apud Gugernos venenato locis illis animali hominibus & bestiis infesto, summa caliditate occiso, à voce animalis **Gelre**/vel potius à flavo terræ circumjacentis colore arci ibidem constructæ nomen imposuerunt, cujus fabulæ mythologiam in historia Geldria plenius explicabimus. Præfuerunt provinciæ octo Dynastæ seu Toparchæ, Advocati & Præfecti, & totidem Comites atque Duces, ex quibus Otto Nassovius VValrami filius, ducta primùm Adelheide Wichardi ultimi Geldriæ Dynastæ filia Comes Geldriæ factus, deinde post mortem ejus, Sophia, VVichmanni ultimi Zutphaniæ Comitis filia, secundâ conjuge accepta, utrumque Comitatum conjunxit. Reinholdi verò ex Ottonis Nassovii familia ejus nominis primi, Geldriæ vero & Zutphaniæ Comitis octavi & ultimi,

filius

filius cognomen, à Ludovico Cæsare, Anno 1339 Dux Geldriæ salutatus, Reinholdum & Eduardum filios successores edidit, qui sine hæredibus obeuntes, per Mariam sororem Wilhelmo II. Juliæ Duci, ut jam diximus, Ducatus binos cum Comitatu, reclamante licet Mechtilde primogenitâ reliquerunt.

Ravensbergiis Comitibus Hermannus de Caluele, nobilis Saxo originem dedit, qui, juxta Crantz in Metropoli lib. 1. cap. 32. & Saxonia lib. 5. cap. 15, ex Ottonis Saxoniæ & Angariæ Ducis filiabus quatuor, unam duxit, quæ Ottonem & Henricum comites Ravensbergios mutuos successores illi genuit. Ex Henrico Ludovicus ortus, cujus filius Otto Margaretham Comitis Montani filiam & hæredem uxorem habuit, ex quo conjugio unica tantum filia itidem Margaretha nata, uxor fuit Gerhardi Julii, VVilhelmi filii, ut jam sæpius indicatum est. A quibus parentibus VVilhelmus primus Montium Dux prognatus, viciſſim Adolphum Juliæ & Montium Ducem Robertum Pad. Episcopum, & VVilhelmum Ravensbergium Comitem edidit, cujus uxor Adelheidis Tecklenburgia, Adolpho mariti fratre & Roberto ejus filio unico sine hæredibus excedentibus, Gerhardum filium in utroque Julio & Montano Ducatu, & Comitatu Ravensbergio successorem ei genuit, à quo VVilhelmus, utriusque Ducatus & Comitatus quoque hæres ortus, utrumque etiam (ut in circulum genealogia historica redeat) per filiam Mariam ad Iohannem III. Cliviæ Ducem, & Comitem Marchiæ transmisit, prout hæc omnia ex tabula Genealogica generali, quam hic subjecimus, apparent.

Origo Comitum Ravensbergiorum.

Ex his vero omnibus liquido constare potest, fœminas jam inde à multis ætatibus, in omnibus his provinciis, deficientibus hæredibus masculis, successisse.

DE RHENO.

QUia verò omnes has provincias fluvius totius Europæ nobiliſſimus, *Rhenus*, partim alluit, partim medius intersecat, ejus cursum, quâ Ducatus hos, &, Comitatus ampliſſimos respicit, cum fluminibus eum ingredientibus, easdemque provincias perlabentibus ex Bernhardi Molleri descriptione quinque libris comprehensa, paucis indigetabimus.

Rhenus ergò à summis Alpibus, quibus continenti satis vertice, ceu earum cornu mons Adrilas annectitur, hodieque Gothardi nomine clariſſimus est, ortus, eque duobus in Helvetia fontibus natus, ubi eam pertransiit, Rauracum oppidum alluit, Elsatiam & Rhinoviam præteriit, proximè Rhenanas, & longè Montanas tabernas assecutus est, à dextris Nicro accepto, Manhemiâ VVormatiam, Germersheimium & Oppenheimium defertur; è regione verò Moguntiæ Mœno hausto, & in Ringoviæ tractu Nabi absorpta oppidum Bingium contingit, inde Naidâ fluvio iterum digesto, ubi turrim Hattonis murium morte famoſiſſimam circumfluxit, & ad Palatium Rhenanum insulam effecit, eidem ad sini-

ſtram VVeſalia altior ſeu ſuperior apparet, ubi Rhenus gyratus montem Lurley altiſſimum & reſonantem admodum, ad dextram reſpicit, in qua parte etiam arx Catzenelenbogenſis & Geversbuſia conſtructæ: à ſiniſtris oppidum S. Goari habet, ibique per crebras charybdes, aquas multas amittere creditur. Ab eadem parte arx **Rheinfels** / quaſi Rheni rupes, ſita. Longius verò ad dextram Dorenburgum; Velmichium verò oppidum proximius ibidem. Ad lævam Hirtznovæam, & Paltzichium: ad dextram ſupra Bomhoveam duas arces, Campes pagum, ad lævam eodem ſitu Bodobrigam habet, ex qua Oeſterſpey, Brubachiam arcem & pagum, **Oberlanſtein** oppidum, arcem Lanecum, & pagum **Niederlanſtein** à dextris adit, ibidemque Loganam flumen vulgo Lanum dictum excipit: à ſiniſtris verò VVeſterſpey, Rheni pagum, & regale quoque ſolum, & arcem Capellam reſpicit, indeque nova inſula facta, & Cleri pago à dextris alluto, Confluentiæ cum Moſella ad lævam miſcetur.

Ita Moſellæ Rhenus commixtus ad latus dextrum arcem **Ehrenbreitſtein**/ monte receptam altiſſimo, & ripis ſuis imminentem exhibet, ad lęvam pagus eſt parvus D. Sebaſtiani **Engers** appellatus, ab ejus verò dextris oppidum **Engers**, ubi Rhenum quoque Veda fluvius influit, à quo inſulam faciens Vrmelum pagum, & turrim **Platzenbozn** læva, Erliceum dextrâ habet Is aliam regionem & fluvium Natham vel Netham nec non Antoniacum oppidum, ubi fluvius ille in Rhenum ſe exonerat ab eoque rigatum q. ad Natham ſitum, dicitur, læva præterit, à dextris Ludeſdorpiam margine porrectam ripali, & arcem **Hamerſtein / Oberhamerſtein/ Niederhamerſtein/ Broel/** & **Huningum** pagos, Arqueldum caſtrum; à ſiniſtris arces Rhinæciam monte poſitam, itemque oppidum Briſichium habet. Dum verò continuo in Corum greſſu labitur, ad lævam Aarum fluvium ab Arvilla fuſum, fontes item ſaluberrimos, qui ex montibus quorum uni arx **Landescron** incumbit, alter juxta Sinſichium ſitus, ſcaturiunt, excipit: indeque Linſeam ad dextram alluit, & Erpeliam pagum eadem præterit, ad lævam verò Rhinomagin oppoſitam & montem Bernalem habet, & Vincolio atque Huvano pagis à dextris Vonthremia relictis, inſulaque effecta cœnobio virginum celebri, longius, ad lævam ſeptem montes, quorum quatuor tantum habitabiles, & caſtris ſuis notabiles ſunt, monſtrat, & tandem Bonnam ad lævam exhibet, è cujus regione Genoſiam fuiſſe auctor eſt Florus, & pontem quoque qua Rhenus tranſitur, ibidem extitiſſe memoriâ proditum, ſed jam nec Genoſiæ nec pontis reliquiæ ſuperſunt. Bonna deſcendendo Rhenus læva monaſterium habet virginum, Filichium dictum, Veſlingium municipium, & à ripa remotiùs Guttorpum pagum, dextra Lulſtorpiam arcem cum pago alluit; ſupra hanc Sigena à dextris Rhenum influit; de quo ſicut etiam Sulza, Achera, Broela fluminibus qua Sigenæ junguntur in provincia Montana copioſius. In inſula,

quæ

quæ conjunctione duorum fluviorum efficitur, propugnaculum papalis mitræ, seu Valli Belgici, An. 1621 ab ordinibus confœderati Belgii constructum est: Rhenus verò à sinistris D. Materni pagum, & eâdem parte Cl. Agrippinæ Coloniam, eque ejus regione Tuitium commonstrat. Idem Rhenus Colonia descendendo à dextris Mollemium municipium habet, à sinistris verò longa prope ripam insula facta, infra eam & eodem latere Neliam pagum proximè Marconium exhibet · à dextris vero Duneum fluvium excipit, & prætereà Langeam à sinistris, Hittorpum à dextris possidet, eadem parte Viperam fluvium accipit, de quo sicut etiam Duneo in provincia Montana. Illo accepto à dextris Rhindorpiâ, Monhemium, & pagum Cœli spiritum, à sinistris VVoringiam, Reipubl. Colonien sis prælio nobilem, Suntinam, Olsenum, Grimelinckhusium pagos habet: eadem parte Erweto fluvio, & altero quoque qui Fletus dicitur supra Novesium acceptis, longe lateque diffusus pagum Saxeum à dextris cõtingit, ibidemque Dussela fluvio novæ provinciæ Montanæ arrepto, Dusseldorpium ex eo appellatum, Ducum Montanorum sedem alluit: inde secundo cursu Cæsaris insulam à sinistris monstrat, Trajani, ut putatur, Cæsaris Coloniam: Ab ea eodem quoque tractu Gelduba, præclarum quondam Romanorum oppidum, jam vilis pagus **Gelb** dictus è regione arcis Linnensis: Dum verò Rhenus continuo cursu ibi dilabitur, & Cruisburgum à dextris præterit, insulam facit exiguam, ex quâ à dextris VVitleriam, à sinistris oppidum Ordingum, altam Butbergam, Frimorsheimium Mörsani Principis arcem in insula: à dextris iterum Angerordum arcem, & fluvium quoque provinciæ itidem Montanæ Angeram, qui ei ibidem influit, habet: à sinistris pagum Eimericum aspicit, Asciburgium verò, mutato sæpius alveo ex dextra in sinistram fundit, ubi veteris alvei vestigia locis passim paludosis cernuntur, ab altera verò parte Duisburgum anteà Rheno proximum, jam verò ab eo remotius, exhibet, Clodii Criniti Imperatoris Francici sede nobile; inde Rurordam eodem tractu alluit, à fluvio Rura qui ibi Rhenum ingreditur dictam, de qua in provincia Marcana. Huic commixtus à dextris Emserum amnem prætereà adit, cum quo eadem parte arcem Knipeniam & VValtzenium; à læva Alenium pagos habet, inde Orsenium, Berichium, nec non Burichium eòdem tractu subit, à dextris iterum Vesaliam inferiorem alluit, ibique Lupiam flumen digerit, de quo similiter in provinciâ Marcanâ.

A Vesalia Rhenus Lupiæ conjunctus postquam à sinistris oppidum à sanctis Martyribus Santense dictum, ubi Julius Cæsar ponte Rhenum clausisse fertur, à dextris Rhesiam & Embricam exhibuit, relictis à sinistris Griethâ, & Griethusio oppidis, imprimis Cliviæ totius Metropoli, paulo longiùs, in tria cornua sese exonerat, quorum primum Valis, secundum Issala, tertium Lecca. Valis initium est hiatus

vulpis, aliàs **Vossegath**/ubi propugnaculum Batavicum Gravewardanum, ab auctore Schenckianum dictum, & telonium Ducis Clivorum duplex situm est. Vbi Valis à sinistris immensæ altitudinis cornu effuso, ad Zephyrum prolapsus à sinistris Neomagum, à dextris Telium, & Valis atque Mosellæ insulam, inque ea oppidum Bommelium ad Valis sinistram monstrat: Ad cujus finem Arx est Leonina rupes appellata: de quibus in provincia Geldria uberius dicetur.

Fluxum autem Rheni cum fluminibus omnibus ingredientibus ita descripsit Bernhardus Mollerus.

Ignea nubifero mons vertice suspicit astra,
Itala Gallorum terminat arva jugis.
Quod nitido vertex niteat candore profusus,
Alpibus albedo nomina jure dedit.
Ad tria protenso stadiorum millia monti,
Infera cum supero cernitur unda mari.
Mons subit hic, inter, quo non subit altior Alpeis,
Nobile, mons, summa, nomen ab Alpe capit.
Posteritas nomen tribuit mutata Gotardo
Quod valido tutor monte Gotardus agat.
Mons velut in cornu summa divertit ab Alpe,
Qui reducem solis spectat Adula diem.
Hi fluvio montes passim latantur oborto
Irriguis passim saxa rigantur aquis.
Scire juvat Rheni fonteis? hac nascitur ora,
Redditur & gemino Rhenus ab amne duplex.
Posterior dextrâ Rhenus prospectat oriri
Anterior lævâ spectat obire jubar.
Hic magis ad Zephyrum Boreali visitur Arctо
Solis in exortum prospicit ille Notho.
Vnicus ante duplex gemino coit agmine Rhenus
Solis ad exortum ductile flectit iter.
Hic ubi jam Rhenus coiit, vix Curia mille
Rhata quater passus inde remota jacet.
Excipit à dextris longa vi flumina Rhenus,
Rhæticon hac gelido flumina monte parit.
Latius hinc itur, Rhinacum pergitur, undas
Inde Brigantini pergit inire maris.
Sed prius ac lapsu vastum prorumpat in æquor,
Prævalido Rhenus ponte fluenta tegit.
In pelago Rhenus nescit mutare colorem,
Turgidus in nocuo separat amne lacum.
Quem subigit, Losanna jugis subigitque Geneva
Dividitur Rhodani nonne Lemannus aqua.
Inde Brigantino diversus ab æquore fertur
Rhenus in occasum turbine raptus abit.

Vlterius

Vlterius Rhenum simulac Scaphusia misit,
Sub laceros agitur monte remissa scrobeis.
Mutat iter Rhenus nec enim persistit eodem
Tramite nubiferi cedit in arva Nothi.
Reddidit ex undis simulac se talibus auctam,
Vr perit, Vr lævo Rhenus & amne tegit.
Inferius lævâ (Glath dicitur) accipit amnem,
Illius ex gemino nascitur unda lacu.
Hinc Arolæ fluctus Limagi sortitur, & Vrsa
Rhenus & exempto stringitur orbe locus.
Rhenus habet dextra Vutam, mox cornua Sluta
Moenia Dungeni flumine Vuta secat.
Helveticam dextra Rhenus prospectat Eremum
Quod nunc Hercinium dicitur esse nemus.
Vrbs nemorum tutela subit vicina fluentis
Rhene tuis, dextrum gaudet adepta latus.
In Rheni dextram misit, quoscunque sinistra
Rauraces hæc nitida continet urbe sitos.
Accolit illustris lævam Rhinfeldia Rheni,
Incipit hinc fluvio latior esse via.
Excipit ad lævam resonantis brachia Farræ
Rhenus & Ergetio plenior amne tumet.
Hic Augusta latet Rheni sortita sinistram
Rauracis, ex domina visitur urbe parum.
Sustulit Hunnorum virtus, quod reddere nescit
Si tamen est virtus sternere cuncta solo,
En quinquaginta stadiis Basileia videtur
Relliquiis illam constat abisse tuis.
Excipit ad lævam Birsacidos agmina Lymphæ
Rhenus & ad dextram flumina Wesis agit.
Inde Neuenburgum bisex ad millia passum
Brisgæas dextram mittit obire latus.
Hæc sua Brisacum sustollit mœnia parte,
Culmina Burcani gurgite Rhenus obit.
Træsus & unito sociat dum flumine labra
Eltisius, dextrâ cedit uterque manu.
Hic subit Elsacum procul alluit ille Friburgas
Præcipiti volitans fertur uterque fuga.
Et quæ Sequam cis Elsatia partibus extat
Obviat, hanc lævo Rhenus ab orbe videt.
Imbibit à dextris quod dat Schutrenia flumen
Gurgite Cinticus flumina lassus agit.
Ellus adest, Alsam reliqui dixisse feruntur
Et latus ad lævum turbine mittit aquas.
Singojæ fontem latebris educit amœnis
Ex rigua Vogesi Valle flumenta capit.
Non procul Elsacis Olruncam digerit, isto
Masonidem constat fata bibisse vado.

vulgo Bir Teiber.

Thurus ad Enshemum læviore nec Ombacus unda
Ad rubeas Ello conciliantur aquas.
Phacidos hinc undam Colmaria mancipat Ello
Mœnia Sletſtadii fluctifer Ellus adit.
Mœnia Benfeldi declivior alluit Ellus
Auctior ad Rhenum ductile flectit iter.
Excipit ad lævam ſinuoſi flumina Pruſis,
Pruſis ab occiduo defluit orbe ſatus.
Alluit argento qua nomina mutuat, urbem,
Compita vicatim prapete lambit aqua.
Hinc quinquaginta ſtadiis Scuttera fluentum
Quod removet, Rheni labra ſubire dedit.
Inde decem paſſus deſcendunt flumina Rheni
Mille, videt Sornam Rhenus adeſſe ſibi.
Qui latias adiit fluvio ſimul atque Tabernas
Ante pharetrati fragmina montis abit.
Rennichis occurrit, qui nomine nominat urbem
Rennichiam, Rheni flumen adauget aquis.
Vrbs procul à Rheno, Zephyri declinat ad oras
Nomen Hagenoja rebus adepta ſuit.
Ardua provolvit reſonantis flumina Maltæ
Flumina puniceo longius acta pede.
Cum ſubigit læva Benhemia margine ripa
Thermiacas l'ōge dextra relinquit aquas (Warggraben Baden)
Rhenus Saletium delibat mœnia gentis,
Saletus Rheni læva ſubitur aquis.
Infra Raſtadium defertur flumine Murgus,
Raſtadium dextra Rhenus abeſſe videt.
Sex ſimulac greſſu ſuperavit millia paſſûm
Flumina Lutteri cominus ire videt.
Dum ſua confini Lutterus nomina Caſtro
Mancipat, hunc Rheni gurgite læva tegit.
Comiter æquato procedit flumine Rhenus
Mœnia Numburgi comiter alta ferit.
Suſpicit excurſu Mulburgi culmina dextro,
Culmina Mulburgi longius amne ſita.
Rhenanas alia ſpectat regione Tabernas (Rheinzabern)
Rhenus adhuc reſtat ſigna videre loci.
Vlterius Fortuna dedit reſtare Tabernas (Berghzabern)
Solis ad occaſum nomina montis habent.
Obviat adverſo Serecanum limite Rheni
Dextera Serecanum fluminis ora quatit.
Germarsheima latus Rheni ſortita ſiniſtrum
Parva tamen geſtit dote ſuperba loci.
Hinc latus ad dextrum ſubit Vdenhemia, Rhenus
Quattuor ut paſſûm millia carpſit iter.
Altius ad lævam Nemeti ſtant fluminis ora
Imperium Iuris Speira rigore tenet.

Cratia

Cratia Rhenani dextram mox fluminis intrat,
Cratia Cregeis nomine signat humum.
Nobilis adducit Manheimia Neccharin, Istri
Neccharis ad gelidum nascitur unda caput.
Rhenus ut obtutu Lampseni mœnia liquit,
Sceptriferis Rheni gaudet adesse labris
Postea Lorsensis spectantur culmina claustri,
Culmina Laureßi nomine dextra gerit.
Limite Vangioneis Vormatia continet amplo,
Vangioneis Rheni læva venustat aquis.
Erspaca Winhemo simulac effluxit ab urbe
Suscipit hunc dextra Rhenus & ire dolet.
Protinus occurrunt Stœnarum mœnia Rheno
Mœnia Stœnarum nomine clara suo.
Cærula Herushenum prælibat dextera Rheni
Vilia Stochstadii fluctibus arva quatit.
Ad pia Virginii spatiatur mœnia Ruffi
Rhenus, & ad lævum sustinet illa latus.
Hæc licet urbs, veluti reor Oppenheimia fertur,
Est tamen, ex Ruffi nomine clara Ducis.
Vt stadiis centum discessit mansio Ruffi
Arduus in Rheni flumina Mogus abit.
Qui modo tantus aqua tot aquarum molibus egit
Mogus iter Rheni gestit inire labra.
Nobilis adverso Moguntia flumine Mogi
Gaudet, aquis Rheni, gaudet, amica situ.
Vrbs abit ad lævam Rheni, sed flumine Mogus
Cymbifero dextrum gestit inire latus.
Vilia Morsena fœcundat culmina pagi,
Nabis, & Altzhemi culmina rectus adit.
Inde duplex viridi subit Ingelsheimia tractu
Distant perminimo pagus & aula situ.
Cærulet dextram Geisheimia fluminis ornat
Inde Rodesheimi tecta subire vides.
Ast latus ad lævum spectatur Bingia, centum
Et stadiis bissex urbe remota Meni.
Nais ibi fertur ripa donatus utraque
Arcibus, innocuo perforat amne solum.
Mons subit ad lævam, Roberti nomine gaudet,
Cœnobii nitido claret honore locus.
Intercepta procul medio stat flumine turris
Insula dividuo cingitur arcta lacu.
Horrida sed mures tribuerunt nomina turri,
Mure sub ultori fata quod Hatto tulit.
Altius Erveldum medio stat vertice montis,
Ad fluvii dextram castra jacere vides.
Possidet exili lævam qui culmine vicus
Bingiaci nomen præstat inane specus.

Hasmanf.

Haſmanshuſiados pagum tutatur arenæ
Rhenus aquæ dextram tecta ſubire facit.
Arx tenui ſedem gyro Vasberga coronat
Contiguis arcem læva venuſtat aquis.
Dum legio Rheni decorat Trajana ſiniſtram
Paſſus mille retro Bingia quinque fugit.
Pagum it Heimbacum, læve ſtat fluminis area
Dextro Corichium fluminis ore ſedet.
Cardine Dembacum lævo fert culmina, dextram
Corichii geſtit parva ſubire domus.
Mille quater paſſus ſimulac Trajana recedunt
Culmina, Bachracum gurgite læva ferit.
Dicitur hæc Bacchi ſedes, fert montibus arcem,
Inſidet oppiduli mœnibus ipſa ſui.
Proxima contiguo diffunditur inſula tractu,
Inſula ſpumarum molibus acta fremit.
Illa Palatinæ generoſum ſuſtinet arcis
Nomen, & excelſo mœnia colle levat.
Pagus & arx dextro Coveanum margine ſurgit,
Verticis hæc apicem poſſidet ille pedem.
Altior ex templo Veſalia ſubjacet arci
Solis ad occaſum flumine Rhenus abit.
Mons ſubit ad Rheni dextram, deſpectat in undas
Sub latebris Echo quem reſonare facit.
Deſerit Arcturum dextro qui ſimile Rhenus
Nunc iterum Cori regna frementis adit.
Eminus à dextro Mellenſia cardine Rhenum
Eminus Hortarii ſeſſio regis habet. (die Herich)
Arx ſimul apparet Cattorum nomine clara
Meliboco, nitidum monte levata caput.
A lare Bachraci deſcendit turbine Rhenus
Mille ſimul paſſus octo peregit iter.
Pagus ibi nomen fertur ſortita Goâri,
Et domus & dextram poſſidet illa latus
Oppidulum læva petitur regione Goarum
Hic celerem mergit crebra Charybdis aquam.
Arx venit, à Rheni ſortitur nomina rupe
Fluminis ad lævam vertice montis agit.
Caſtra Dorumburgi Rheno ſemota parumper
Suſpicit ad dextrum ſurgere nauta latus.
Velmichium dextrâ Rhenus lambente ſalutat,
Culmine quod nitido mœnia pene replet.
Hirſnaam Rheni properat ſpectare ſiniſtra
Paltſichium Rheni læva videre parat.
Supra Bornhoveam modico ſtant limite bina
Caſtra, tenent dextram monte levata latus.
Dum ſolito pergit curſu laſſare fluenta
Bodobrigam læva Rhenus obire parat. Obvias

Obviat exili Spejanum culmine duplex
Et fluvio pagum Rhenus utrumque ferit
Arx & pagus habet Brubachia nomine dextram,
Obtinet hic planum, montibus ille sedet.
Visitur has sedes etiam dum Regia parte
Bina Lani rupes, rupe recepta subit.
Edita Lanstæni fœcundat jugera castri
Inde viles Rheni gaudet inire Lanus,
Inde Capella subit pagus, subit arxque Capella
Monte stat arx plano pagus in orbe, cubat.
Insula Nonnarum circumdatur agmine Rheni
Clericos ad dextram culmina pagus habet.

Loca quæ sequuntur post Rheni & Mosellæ confluentes ad Julios Montanos, Clivos, Geldros, Diœcæsi Col. excepta maximam partem pertinent.

Castra Lani Rhenus simul atque recolligit, illa
Quinque retro passus mille remota videt.
Dum fluvio præceps agitur torrente Mosella
Irrigua scindens fronte Mosella solum.
Vrbs subit undarum confluxu nomina duxit (Cobelentz)
Quin etiam lævo fluminis orbe sita.
Arx fluvii dextram trajecto despicit amne
Nubifero montis suspicienda jugo. (Ehrenbreitstein)
Cassicum tractu poteris spectare sinistro
Prodita Castelli nomine Castra vocor.
Engaria tractum duplicis lustrare sinistra
Rhenus avet, pagum propter utrumque fugit.
Vrbs subit Engaria celeberrima dotibus ævi
Vrbis in amplexum dextera vadit aquæ.
Hac igitur Rhenus cedit tellure, Seenam
Linquit eam Rheni dextra videre nequit.
Qua levis orbifluo circumdatur Insula fluctu
Vrmelium dextra Rhenus inane ferit.
Non procul hinc turris stat eodem condita tractu
Lingua Latinorum nomen inire nequit. (Platzenbozn)
Erliceum Rhenus pagi commendat honore
Ephalicis Rheni læva videtur agris
Arduus exegit passum sex millia cursu
Engario postquam Rhenus abivit agro.
Antenacum læva properans defertur opimum
Vrbs Antoniatum, dicier arce debet.
Sunt gemini, celsa montis convalle, lacusque
Vnda nec exundans littore semper agit.
Alter ad Abbatis claustrum dat serpere stagna (Zum Laick)
Alter ad Vlmenum serpere stagna facit.
Hic Manderscheidiæ ditionem respicis ora
Proxima Meinfeldo respicit ille juga.

Margine porrectum fert Ludesdorpia Rheni
Culmen, & ad dextrum murmura grata latus.
Malleus & Saxum tribuerunt nomina Castro (Hamerstein)
Monte stat ad dextram fluminis istud agit.
Et duo mox ejus Pagi sunt nominis infra
Altius hic, infra sustinet illa lareis.
Arx subit ad lævam Broiellia fluminis extat
Pagus & hoc dextram nomine pauper habet.
Obviat excelso Rhinacia vertice surgens
Fluminis ad lævum præsidet illa latus.
Arduus Huningum dextro fert margine Rhenus
Brisichium læva mittit abire manu.
Advenit arx dextris, Argfeldum nomine fertur
Rhenus adhuc cori regna frementis adit.
Aarus Arvilla rapitur descendit ad Arva
Sinsichii, Solem spectat abire mari
Fontem monte capit, monte profunditur imo
Arx etiam regni monte corona sedet.
Et quas Sinsichium juxta se parturit undas
Excipit, ac medica defluit uber aqua.
Hi ferrugineo fontes torrente medentur
Sulphureo partim labra sapore rigant.
Sinsichium dextra discedit nobile ripâ
Læva mons celebri nobilis aree patet.
Aarus exili devolvitur agmine, Rheni
Nobilis in lævum volvitur unda latus.
Antenaco centum stadiis vergente retrorsum
Fluminis in rigui Linsea parte jacet.
Hic tibi Rhinomagis jacet, hic Erpellia, dextrum
Accolit hac, lævum possidet illa latus.
Obtinet arx lævam Bernali condita monte
Vincolium dextra Rhenus inerme ferit.
Obtinet agresti Wintremia culmine lævam
Insula Cœnobium virginis inde facit.
Præterit Huvanum tardo nov tramite Rhenus
Et latus ad dextrum culmina stare videt.
Stant procul à dextro septeni limite montes
Altius in quorum vertice Castra sedent.
Vertice Blancburgum lapidoso mœnia præbet
Hac hominum cura tecta periisse vetant.
Tres steterant, versa totidem tellure premuntur
Arces, quod supereſt temporis ira rapit.
Dissita retrorsum stadiis it Linsea centum,
Hinc, ubi præcelebris nomine Bonna jacet.
Oppositam fertur spectare Genosia Bonnam
Oppositum nescit Bonna videre locum.
Hinc tibi Vilichium, Lulstorpia cernitur illinc
Amne locum jungi Rhenus utrumque vetat. Obviat

Obviat ad lævam Weſtingia, gurgite Rheni
Diſſita Guttorpum longius arva colit.
Fluvina paulatim meditatur jungere Rheno
Qui nitido terras amne Sigena rigat.
Eminus aſpectat Rhadorum cedere turreis
Rhenus & ad dextram culmina ſtare videt.
Vt ſex & totidem diſceſſit millia paſſum
Bonna, tua ſolium laudis Agrippa venit.
Vbia tranſmiſſo dicuntur flumine caſtra
Teutonis oppoſito cernitur orbe plaga
Rhenus is, ad dextram Mulheimia fluminis extas
Exiguo vicum ſignat honore locus.
Fluminis ad lævam protendit Nielia fauceis
Hac & Marcknichium culmina parte levat.
Duncus educit Dunano flumina ſaltu
Fluminis hunc Rheni dextera jungit aquis.
Langea conſpicitur ſtans margine Langea lævo
Fluminis. Hittorpum dextera vile gerit.
Vipera Vipfurdo fœcundans gramina vallis
Hunc domitis Rheni dextra recondit aquis.
Inferius paulo fertur Rhindorpia Rheni
Pagus amat Rheni dextra vocare locum.
Occupat adverſo Worringia margine Rhenum
Cæſareas humili ridet honore domos.
Monhemium pagi quamvis vileſcat honore.
Dextra tamen Rheni geſtit adire labra.
Duromagum cedit veluti Sonſæa ſiniſtris
Vlpia nec legio conſtitit inde procul.
Pagus habet dextram coeli quem ſpiritus ornat
Nomine, quem cæli ſpiritus ornet ope.
Fluminis Olſenum lævo ſubſiſtit in ore
Et Grimelinchuſium læva maritat aquis
Ervetus oblongo rimatus flumine terra
Hunc ſubito Rhenus læva furore bibit.
Ore ſuper Saxum dextro Spumoſus oberrat
Rhenus, adhuc Saxi nomina tractus habet.
Rheno tractus adeſt removetur Nuſſia Rheno
Hic facies Rheni lata repellit humum.
Diruta cernuntur veteris veſtigia Rheni
Claſſis ubi ſtabat, terra refundit agros.
Annulus excelſo murorum vertice pendet
Quo ſolitus Cymbam nauta ligare fuit.
Duſſela defertur proprii ſub nominis urbem
Excipit hunc Rheni dextera flumen amat.
Vrbs eſt, Cæſareo deducit ab hoſpite nomen
Si non Cæſareo nomen ab enſe capit.
Trajani fuerat quandoque Colonia Divi,
Tunc urbs jam lacera rudera ſedis habet.

In miseris pauper latitat Gelduba ruinis,
Eminus ad lævam fluminis illa stetit.
Dicitur arctato Gelbis jam nomine firma
Contigua pagum parte Liana videt.
Longius abscedit Cruisburgo dextera Rheni
Hic ex dividuis Insula surgit aquis.
Possidet angusto Witleria culmine dextrum
Margo sed Ordingæ mœnia lævus habet.
Præterit oblongo Budbergum flumine Rhenus
Et latus ad lævum cernere tecta potest.
Inde Frimersenum, Morsani sustinet inde
Præsidium, læva spectat utrumque manu.
Arce sub Angrorda provolvitur Angera, dextram
Alveolo Rheni liberiore subit.
Emmericum læva Rheni tellure levatur
Insula disiecto protinus amne venit.
Moenia Duisburgi dempto jam flumine spernit
Rhenus & offenso degener amne fugit.
Hassiacis fontem simulac eduxit Abnebis
Altisonus Rhenum Rura fatigat aquis.
Mœnia pulchellæ Rurorthæ defluit urbis
Angulus hæc Ruræ nomina ferre potest.
Attrahit à dextris Emseri cornua, dextro
Limite Cnipeni mœnia Rhenus habet.
Alsumium lævo prospectat amabile, dextro
V Valsumium cornu Rhenus inane ferit.
Orsovii sedeis læva metitur, eadem
Berichium lustrat, Burichiumque fugit.
Illud in extremo spectatur margine Rheni
Longius hoc Rheno deviat, arva colens.
Eminus augusto Vesalia culmine surgit,
Fluminis ad dextram Lippia flumen habet.
Millia quinque fugit simulac Vesalia passum
Retro subit Xanti Troja fugatur aquis.
Vrbs sex mille retro Xanti dum Trojaca passus,
Linquitur ad dextram Reesia spectat aquas.
Dissidet à Rheno stadiis Calcaria septem
Et tribus, hanc Rheni cernere læva nequit.
Reesia mille decem retro dum passibus egit,
Quæ subit à dextris, Embrica, nempe subit.
Embrica Grathusam stadiis dum submovet octo
Submovet hanc stadiis, quattuor atque decem:
Quæ patulo vulpis nomen deduxit hiatu
Insula dividuo protinus amne venit.
Dividitur Rhenus, fluvio disjuncta bicorni
Pignora fert fluvio pignoris ista loco.
Solis ad occasum defertur gurgite Valis
Et prior est natu Valis ut amne minor.

Valis ubi Rheno vadit disjectus, eadem
Parte telonarum tecta jacere vides.
Septem Noviomago discedit millia passûm
Noviomagum læva Valis abire videt.
Valis habet dextram, sed jam Lendina fluentis
Succubuit, Valis mersa furore latet.
Noviomago centum stadiis labente retrorsum
Teïlium ripæ Valis adesse facit.
Teilio Valis Mosam cedente salutat
Vt quatuor passus mille peregit iter.
Mutua junxerunt simulac amplexibus ora
Insula dissolvi protinus ora videt.
Insula finitur medio dum limite Valis
Mœnia Bommeli gurgite læva quatit.
Latius advecta subigit dum Najade fluctus
Imperio Mosam deficiente capit.
Rhenus ab insultu Cori divertit ad arctum
Eltenium dextra linquit utrumque manu.
Parte Sevenahrum dextra prospectat abire
Longius Acrtanum cedere læva videt.
Solis ad occasum declinat flumine Rhenus
Angerium læva spectat abesse manu.
Hinc reperit Corum, fossa dissectus hianti,
Lævus ad Hussenia mœnia Rhenus agit.
Lævus & advecto Malburgum præterit amne
Isala seducto protinus amne cadit.
Partibus Arnhemum veneratur nobile dextris
Præstant Cæsarea mœnia nomen avis.
Solis ab occasu partim curvatur in austros
Eldenium læva spectat abire manu.
Fluminis exornat Vaganum dextera Rheni,
Quando decem passus mille peregit iter.
Hoc sedium læva simulat accessit eundo
Flumine curvatur flexilis instar aquæ.
Dicta suo spectat jam nomina mœnia Rhenus,
Vichia prælustri nobilis amne sita est,
Lecca cadit Rheno tenui sed egentior amne,
Quæ tulerat, Rheno flumina dante tulit.
Parte Cuilenburgum læva spectatur, eadem
Obveniens ripam parte Vianda colit,
Vt stadiis centum fertur liquisse Viandam
Ceu meruit, pelagi Lecca subintrat aquas.
Alluit adverso Dordraci mœnia fluctu.
Mœnia Dordraci prapete clausa mari.
Vichia Trajecto concedit florida Rhenum
Nobile Trajecti visitur esse decus.
Parte facit dextra Vechtam, rimatur agellos
Et tenui Vechtam fossa liquore vehit.

Flumine Marſenum Breucklonium flumina lingit
Vechta, ſub Arctoi labitur arva poli.
Parvula dextrorſum deducit ab æquoris unda
Flumina, Veſopus parvulus inde ſubit.
Candida Mudeni poſtquam ſub mœnia ceſſit
Æquoreis flumen conciliatur aquis.
Iſala feſtinat proprii ſub nominis arcem
Candida Montforti candidus arva facit.
Solis ab occaſu nitido decurrit, ad Auſtrum
Iſelimundana ſubruit arce fretum.
Vix cernenda manent veteris veſtigia foſſæ
Vix tenui Rhenum foſſa liquore vehit.
Vordina ſuccurrit Rheno non adjicit undas
Sed famulis Rheni gaudet adeſſe labris.
Rhenum Leda capit, Ledæo pulchrior ore
Leda platearum labe remota nitet.
Leda dat extremum Catvico flumina Rheni
Rhenus, in Oceani deſluit ager aquas.

VNITA-

VNITARVM

Cliviæ, Juliæ, Montiæ, Marchiæ, & Ravenſburgiæ provinciarum modernarum

MEMBRVM PRIMVM,

De Provincia Cliuia eſuſque Comitibus 27.

CIRCVLO ſucceſſionis in his provinciis mutuæ genealogico generatim oſtenſo, ac præterea Rheni, & qui illum influunt, Fluviorum curſu, qua ditiones eaſdem perlabuntur monſtrato, ſequitur ut ſingularum membra ſeorſim cum Principibus ſuis, juxta ſeriem Romanorum Imperatorum, ſub quibus præfuerunt, perſequamur.

Vbi Clivia tanquam omnium antiquiſſima primo luſtranda venit.

Situs Provincia Cliuenſis.

Hæc autem, ut ſitum ante omnia deſcribamus, ad Orientem finitur Ducatu Montano; ad occaſum eſt Geldriæ, & Brabantiæ pars cum tractu Leodienſi; Auſtrum verſus eſt Colonienſis Archiepiſcopatus. Ad Septentrionem obverſum ſibi habet Comitatum Zutphanium, cum tractu Tranſiſulano, & Inſula Batavorum.

Provincia ab oppido, Oppidum à re appellationem ſortitur, quia in Clivo conditum, Principum quoque ſuorum ſedem continet. Nam primitus anguſtioribus ſpatiis ditionem ſuam comprehendit, ſed poſtea tum matrimonio, tum bellis, tum emptione quoque adaucta Marchiâ accedente Ducatus titulo mirum in modum locupletata fuit.

Fluvii Provincia Cliuenſis.

Præter fluvios inſignes Moſam, & qui eum influunt Ruram Orientalem, atque Nierſam, mediam Provinciam interſecat nobiliſſimus Rhenus, quem alia quoque multa flumina utpote Rura occidentalis, ad Caſtrum & oppidum Rurorthanum, & Lupia ad Weſaliam occupant, de quorum curſu partim dictum eſt, partim inferius ſuo loco in ſingulis Proivnciis indicabitur.

Ex ſecatione vero Rheni pars Provinciæ Cliviacæ in ora Gallica, ſeu Francica, pars in ora Germanica, Saxonica, & VVeſtphalica exiſtit.

Vrbes, Oppida, & Municipia Provincia Clivensis.

In ora Gallica Civitates sunt Clivia metropolis, Calcaria, Santena, Gochia, Sonsbeca, Udena, Orsovia, Bouwrichia, Grietha, Griethusia, Gennepia, Cranenburgia, & Hussena Batavica.

VVoezium, Kervenheimium, & VVienendalium, municipia sunt suis tamen privilegiis gaudentia.

In ora Germanica numerat urbes VVesaliam, Duisburgiam, Embricam, Reesam, Sevenariam, Isselburgiam, Dinslaciam, Schebeciam, Holtenam.

Municipia addit Ringelbergium, & Rurorthanum.

Ex urbibus capitales sive principales quæ ad Comitia vocantur, inque iis suffragium habent, sunt: CLIVIA SUBLIMIS: VESALIA HOSPITALIS: EMMERICA DECORA: CALCARIA CIVILIS: DUISBURGIA CELEBRIS: SANTENA ANTIQUA: & RESA UBER: de quorum omnium origine, incrementis, immunitatibus, collegiis, templis, variisque mutationibus, ubi quæ sequuntur subjunximus, Epithetorum nostrorum, quibus illas indigetavimus, rationē carmine, quod singulis destinavimus Encomiastico, includemus.

Clivopolis Origo.

Clivorum oppidi origo est eadem, quæ castri, à quo Dynastæ ejusdem ditionis, tum Comites, tum Duces denominantur; quia enim illud in Clivo quem Rhenus olim præterfluxit conditum Clivense cum integra Provincia appellatum fuit. Ex castro hoc elegantissimæ structuræ, inprimis vero ex turri super omnes eminente Cygnæa, in ipsam urbem inque subjectos ei agros, & amnes, sylvas, segetes, amænissimus patet prospectus. De illius antiquitate variam duorum virorum clarissimorum sententiam in antiqua nostra Clivia percensuimus, cui hîc sequentia addimus. Oppidum nimirum Clivorum metropolitanum ob Principes suos, qui castrum illud inhabitarunt mage magisque cultum, tandem etiam (quod mediastina porta edocet) medietate sua dupliciter auctum fuisse.

Privilegia.

Privilegia magna & multa paulatim à suis Principibus impetravit. Inprimis verò à Theodorico ejus nominis VIII. Clivorum Comite in ordine 24, ejusque filiis tribus, Ottone, Theodorico, & Johanne, qui Oppido sibi charissimo, de electione Magistratus liberâ, Dominicâ Misericordias Domini à civibus faciunda Teloniorum suorum omnium immunitate, & judicio ejusque processu, egregia beneficia consecrarunt. Filiorum Theodorici VIII, postremus, imo hujus prosapiæ ultimus Johannes, ipsa novi ineuntis anni 1348 festivitate, eidem de hæreditatis successione adeunda, Teloniorum, Arrestorum, & exactionum immunitate, juramento prætoris, & censu privilegia concessit.

Præsentibus Ottone Clivio præposito S. Gereonis Coloniæ Theodorico de Hoemen, Domino de Cranenburgh, consanguineis suis, Arnholdo Herculeo, Eberhardo Vlftano, Alberto Eylio, Friderico Hœnepelio, VVilhelmo Gentio, Rolando Hagdornio, Iohanne Ossenbruchio, Theodorico Brynio, Henrico Romliano, Eberhardo VVisselio, militibus: Theodorico Lochorstio, Swedero Sebrugensi, & Henrico Gruithusio armigeris.

Post fata vero hujus Joannis, cum Adolphus Marcanus, Adolpho

pho Marcano, & Margareta Clivensi fratris ejus Theodorici IX, filia, natus Cæsaris Caroli IV. & provincialium favore Anno 1368 sibi succederet, is Provinciæ metropolin arctius adhuc sibi devinciendam ratus, partem sylvæ Imperialis ad urbem sitæ Anno 1370 donavit.

Templum. Ecclesiam collegiatam in hanc metropolin Monreberga Anno 1341 deduxit Theodoricus IX. dictus pius: structuram vero templi, ab ipso inchoatam, ex filia Margareta Nepos Adolphus Marcanus jam nominatus, magis expolivit, hujus verò filius cognomen primus Clivorum Dux magnifice consummavit.

Monasteria. In eandem hanc metropolin Reformatæ religionis cives oratorium An. 1618, Augustæ confessionis socii Anno 1620. collocarunt. Monasteria etiã habet Minorum Fratrum Franciscanorum, itemque Monialium quorum illud à Theodorico nominis VIII. Comite Clivorum 24 structum est.

Mutationes Clivopolis. Porro variis mutationibus hæc Clivopolis subjecta fuit. Anno 1372 integram fere vorax flamma absumpsit. Anno 1397 ad illam in saltu vicino Adolphus I. Clivorum Dux de VVilhelmo I. Montium Duce affine triumphavit. In bello civili Principum possidentium, qui Johanni Wilhelmo Anno 1609 mortuo ex familia Electorali Brandenburgica, & Palatina Neoburgica successerunt modo ab hoc, modo ab illo occupata, tandem etiam Anno 1624 in arce & Cancellaria incommoda multa perpessa est; inprimis vicini propugnaculi Batavici Grevewerdeni invasionis ab Hispanis Anno 1635 factæ, & ab Ordinibus confœderati Belgii Anno 1636 iterum recuperati, damna magna sensit.

Vesalia Origo. VVesalia urbium Clivensium ocellus merito appellatur. De ejus origine sicut in antiqua nostra Clivia annotavimus, varię sunt autorum sententiæ. Adrianus Junius vel Alyzonam, vel Alyziam, Quintilii Vari legionum cœde, nobilem, esse autumat: alii à Vitellio Varrone, inferioris Teutoniæ legato, de quo Tacitus, deducunt: alii à Phesula celebri in Italia Colonia: omnium optimè antiquitus Lippiomundam appellatam dicit Hermannus Novæ aræ, & VIpiorum Comes, ab ostio Lupiæ, qui ibi in Rhenum se exonerat; vide ejus Commentariolum de Gallia Belgica, quod nomen in Vesalium à sylva vicina mustelaria postea transiit, juxta versus ex Ecclesia Collegiata Ducatus Clivensis VVisselensi erutos:

Wilark campanam Augustini primitus audit
Hinc sylva in vicum se mustelaria claudit
Wesaliæ muris data privilegia juris.

Prius enim vicus nobilissimus ad confluentes Rheni & Lupiæ collocatus fuit, trans quem cœnobium quod à situ suo Averdorff Transpagum, quasi dicas transpaganum vocatum, Anno 1125 Godefridus, & Otto Comites Cappenbergenses fratres Vestalibus nobilibus ordinem Præmonstratensem amplexis, ædificarunt: deinde ob loci commoditatem Civitas inde excrevit, mage magisque ab habitatoribus suis circa varias merces advehendas simul atque

avehendas ibidem occupatis, sic amplificata ut ædificiorum splendore, opibus, dignitate, & Civium frequētia inter Clivēnses prima & præcipua hodie censeatur: Ioh. Angelus Werdenhagen lctus in tractatibus suis 4. de Rebuspublicis Hanseaticis parte speciali 4. affirmat Ottonem III. Imp. Anno 1095 inter 90 Imperiales, Westaliam quoque numerasse; tum in anno Imp. magnopere errans, cum Annalibus Clivensibus manuscriptis contradicens; qui tradunt Anno 1252 à Theodoro Luifio Dynasta Dinslacensi, qui huc usque fines territorii suivante hac extendit, privilegia sua primum accepisse; A Rudolpho verò Habsburgico Romanorum Imp. Neptem Margaretham Eberhardi filiam Theodoricus nominis VIII. Comes Cliviæ 24 secundo matrimonio sibi copularat, inter Imperii urbes connumerata, eidemque cum Duisburgo, & præfecturis Ringelbergia, atque Crainenburgia Anno 1290, quod contra Imperii hostes fæliciter militasset, concessa fuit. His Anno 1495 à Max. I. Imp. in Comitiis Wormaciensibus præsentibus Imperii Ordd. approbatis, ab hoc tempore Westalia non tantum inter Imperiales, sed Hanseaticas quoque lecta fuit.

Privilegia Reipubl. Vestaliēsis.

Prius autem Theodoricus modo dictus Octava Margarethæ, anno 1277 eidem privilegia de tributis citra voluntatē Civium non pendendis, successione in hæreditate, exemptione civium ab aliis Provinciæ Clivensis judiciis, delictorum læsionis, vel homicidii à Civibus designatorum punitione, servitiis Principi debitis, Teloniorum, immunitate, censu, post mortem, bonis emphyteuticis, & latonicis panis; & cereviſiæ coctionis controversia inter cives à solo Consule judicanda & libera Magistratus electione, concessit ejusque filii tres partim rata habuerunt, partim auxerunt.

Otto enim filiorum primus ipsa Nicolai Anno 1308 suborta, de privilegio Electionis Magistratus liberæ controversia, eam sic definivit, ex tota communitate 18 vel 20 cives honoratiores evocati electioni præsint; Magister civium, & Burgensis cum Scabinis de tributo decernant; operis novi molitio; vel veteris instauratio, redituumque urbis obligatio fidejussoria civibus prius indicentur, fraternitates denique omnes, & conventicula, sub certa pœna abrogentur, Theodoricus secundo-genitus post fratris obitum die Lunæ post Gregorii Anno 1311 eidem, præsentibus Bonone à Strunckede, Theodoro dicto **Koertloff** à Malden, Wesselo de Boezelaer, Jordane & Wiggero de munimento Equestris dignitatis viris, de prætore & libertate civium cum militibus & militaribus eâdem, indultum, largitus est.

Idem eodem Anno Sabbathi post S. Servatii festum, novam litem, de frumentorum venditione, & an hujus quoque mercatores ad Magistratum & Scabinatum Imperialē Tremoniensi Reipubl. subjectum, qui **Dehm Schepen** dicuntur, vocandi, composuit.

Idem ipsa Simonis & Judæ Anno 1316. de bonorum, vectigalium ad cives pertinentium immunitate & mensuris rerum liquidarum Colonienſibus conformandis, disposuit.

Idem

Idem feria 6. post decollationem Joannis Baptistę Anno 1318 de impunitate homicidarum, furum, raptorum; & proscriptorum Sabbathi, hebdomadariis, & annuis nundinarum diebus privilegium datum ob multiplicem abusum revocavit, quod Magistratus suo sigillo adprobavit.

Idem Mercurii post Epiphaniam Anno 1319 de rusticorum in pagis ad judicium VVesalienſe Dominica ante festum Lamberti, celebrandum vulgo Hepmail dictum, appellatione, privilegium dedit, eique aliud de Pannorum Laneorum textura Gochensi simile addidit. Hortos etiam civium ab omnibus decimis exemit: Clivenses alios ob debita & damna ad Iudicium VVesalienſe evocandi potestatem fecit; omnia delicta quibus se offenderant, remisit, cuncta denique antecessorum privilegia, confirmavit.

Idem Vigilia S. Petri ad Cathedram Anno 1332. offensis omnibus civibus VVesalienſibus dimissis; privilegiisque iterum confirmatis, ut nullus civium pro alterius delicto, vel debito moneatur vel examinetur, voluit.

Idem die Lunæ post festum Ægidii; Anno 1335 ad interceſſionem affinis sui Gerhardi Vierneburgii Seelandiæ Comitis, præsentibus quoque VVilhelmo Reef. Equite, & præfecto Trans-Rhenano, Theodorico Palmert Scholastico Zephlicensi, & Rieckwieno à Birten Saecllano aulico; delictis omnibus vicissim remissis, communitateque extra sylvam mustelariam sibi reservata paludes Fluirenensem, alias Veſtveidt dictam, Magelsamerinam & Glacialem se non divisurum; sed in usum civium relicturum integras, promisit.

Idem denique Jovis post circumcisionem Domini Anno 1346. præter privilegiorum omnium ac consuetudinum approbationem injurias omnes verbales, ut vocant, & reales à consule tantum judicandas indulsit.

Johannes vero utriusq; frater & Theodorici VIII. filiorum 3. & ultimus, & Comes Cliviæ 27. proxima Margarethæ Anno 1347. fratri Theodorico IX. succedens; omnibus prioribus antecessorum suorum indultis civitati VVesalienſi confirmatis; Præfectum eodem quo Princeps juramento sibi obstringendum, nullam quoque se ibi aulam administraturum, bona vero levioribus navibus impoſita à telonis immunia, militumque bonis conformiter æstimata, cuncta in Telonio Linnensi libera prætorem denique à se constituendum neque civem, neque Scabinum fore, promisit.

Idem Lunæ post Martini festum Anno 1353 controversiam inter ipsum & urbem VVesalienſem ita composuit, ut remissa neglecti telonii pœnâ, cives numeratis Principi 950 scutatis antiquis, loco horum pignoris Telonium Bouricense (quod antea infra saltum Teutoburgicum collocatum, jam autē eo translatum erat) haberent, ejusque reditibus ad annuam pensionem illorum 950 Scutatorum fruerentur, & interea dum summa restitueretur, immunitate telonii gauderent.

Anno

Anno 1358. menſe Junio Theodoricus dictus Luyff nominis II. comes Clivenſis junior & Saræpontanus libertatem fori hebdomadarii à patre & fratre Theodoricis acceptam urbi confirmavit.

Iohannes vero iterum Martis poſt Matthiæ Apoſtoli An. 1359 Scabinatu hæreditario urbis abrogato electionem Magiſtratus duodecim viris ex 4 ejus quadrantibus ternis, Dominica reminiſcere faciendam, impoſuit, de quo tamen paulo aliter Ioannes ejus nominis II. Dux Clivorum 3. Anno 1514 diſpoſuit, ut infra commemorabitur.

Idem eodem anno Lunæ poſt 11 mille virg. die omnium rerum vendibilium cenſum oppido tribuit. Idem denique ipſa Philippi & Iacobi Anno 1366, ſi quæ controverſia inter ſe & civitatem ſuboriretur, via juris ordinaria decidendam promiſit.

Cæterum extincta poſt obitum hujus Ioannis Anno 1368 familia Cliviæ maſculina, Adolphi Marcani ex Margaretha Clivica, Theodorici nominis IX. gnata, primogenitus filius Engelbertus, ejuſque frater Theodoricus, in vigilia Annuntiationis Mariæ, non tantum priora omnia indulta confirmarunt, idemque de fratre Adolpho qui in integro Comitatu Clivio oppidis VVeſalienſi & Duisburgio demptis ſucceſſerat, eodem anno proximo poſt Philippi & Iacobi feſtum ſabbatho receperunt, ſed etiam belli tempore non plus quam Hammonam, VVeſaliam quoque depenſuram, homicidam etiam ibi & non alibi cognitione juris ordinaria puniendum: In teloniis denique non plus civitati, quam Avo Theodorico factum, pendendum promiſerunt. Specialiter vero Theodoricus Marcanus Anno 1378 feſto Viti civibus VVeſalienſibus quod in comitatu Marcano non arreſtandi monetâ etiam ſuâ uti debeant, conceſſit.

Idem feſto Nativitatis Mariæ Anno 1384. mulctis omnibus remiſſis, Lanificii privilegia & cenſus cereviſiarii reditus Magiſtratui contulit.

Engelbertus etiam particulariter, 6. poſt Dominicam Lætare die Anno 1386, dimidietatem telonii Bouricenſis remiſit, quod Theodoricus ejus frater eodem Anno ipſa Victoris ratum habuit.

Theodoricus porrò feriâ 3. poſt Dominicam Miſericordias Domini Anno 1391 quia ei Magiſtratus paſcuum Oyæ attexendorum veniam indulſerat, piſcationem in eadem inſula liberam conceſſit.

Idem in feſto Petri ad Cathedram An. 1395 civibus ære alieno gravatis paludes Fluirinenſem Magelſamerinam, & paſcua armentaria liberè uſurpanda, indulſit, & ubi ſementem in iiſdem feciſſent, à decimis ſibi pendendis, immunes eſſe voluit.

Idem denique feſto decollationis Iohan. Bapt. Anno 1402 gravamen telonii quem **vp vnd afſchlags toll** vocant, abrogavit.

Poſt hujus vero mortem Anno 1404 feriâ 4 proxima poſt Matthæi Apoſtoli feſtivitatem, Adolphus ejus frater primus Cliviæ

Dux

Dux hæc omnia privilegia nõ tantum confirmavit, sed etiam aliud de immunitate civium Wesalienſium in teloniis & jure piſcandi addidit, Anno 1418 ipſa circumciſionis Domini cum omnibus Ducatus ſui oppidis inprimis Weſalia arctius unitus iiſdem ipſa Petri Apoſtoli, anno 1419 mortificationem bonorum Eccleſiaſticorum abrogavit, prout in hiſtoria ejus indicabimus. Idem Adolphus primus Cliviæ Dux ipſa Petri Apoſtoli anno 1430 urbi VVeſalienſi libertatem in foro publico cives non arreſtandi dedit, modumque judicialis citationis agnitionis manus & executionis præſcripſit. Et quia Hermannus à Loith prefectus Ringelbergius, in libero foro civem VVeſalienſem Rutgerum Buſchaſ/ceu latronem comprehendi juſſerat, illud neutiquam privilegiis ipſorum præjudicaturum promiſit.

Ioannes Adolphi primogenitus II, Cliviæ Dux eidem Reipublicæ privilegia ſua ipsâ omnium animarum anno 1444. iterumque anno 1448 ipſa Remigii confirmavit, anno 1446 ipſa VVillibrordi ſe ob bellum Suſatenſe ſine conſenſu Provinciæ totius Cliviæ, & Dinſlacenſis Dynaſtiæ, inprimis VVeſaliæ non tranſacturum promiſit. Anno 1450 Veneris poſt Paſcha diſſidium de electione Scabinorum à 12 viris, coram quibus rationes octiduo ante electionem reddendæ ſint, facienda compoſuit. Anno & menſe iiſdem, quia cives ad fratri ſuo Adolpho hæreditatis portionem aſſignandam, itemque Brederodio 3500 aureos reſiduos, ob Gennepam exſolvendos; 1000 aureos contribuerant, illud privilegiis non præjudicaturum publice declaravit, anno 1459 Sab. poſt Marci de terminis Reipublicæ, impedimento electionis Scabinorum, ratione proceſſus contra Magiſtratum, reditibus intra annum ſolvendis, & modo Executionis definivit, anno 1467 Veſpera Severini de libertate publici fori 7 ante, totidemque poſt feſtum celebrandi leges tulit, anno 1473 Dominica poſt Epiph. eidem de immunitatis ſuæ in Teloniis ſigno præſcripſit.

Filius ejus Joannes II Dux Cliviæ 3. anno 1482, Lunæ poſt Matthæi Apoſtoli, priora privilegia unionemque omnium Cliviæ civitatum approbavit, & Iovis poſt Lamberti diem, ejuſdem anni quod cives ſibi contra Geldros fidelem operam præſtiterãt 5000 aureos ex telonio Lobithano urbi oppignoravit, eamque in teloniis immunem fore edixit, anno 1486 Veſpera Sacramenti ab omnibus Ducatus Cliviæ arreſtis Weſaliam exemit. An. 1489 Mercurii poſt Exaudi unio urbium, ob Oeconomiam Ioannis Ducis inita eſt, quæ Lunæ poſt Reminiſcere, anno 1501 ab ipſa approbata, anno 1493 Iudicii in curiam tranſlationem, anno 1502 cenſum cereviſiarium ſoli urbi ſolvendum conceſſit, anno 1514 Hæreditario Scabinatu abrogato, liberam Scabinos à civibus ſingulis annis eligendi poteſtatem fecit, de juramento Prætoris &c. diſpoſuit.

Anno vero præcedente 1513 VVeſalienſes cives armorum, telonium à VVilhelmo ab Horſt Præfecto Dinſlacenſi in oris Lupiæ locatum diruerunt.

Hujus

Hujus Ioannis filius Joannes III. vespera Laurentii anno 1525 urbis V Vesalienſis privilegia rata habuit, anno 1529 Reſpublica V Vesalienſis Lupiæ fluvii alluviem civitatis antea ſuæ muros pertingentem aggeribus, & ripis ruptis amiſit, ſed anno ſeq. 1530 eundem maximis impenſis, & laboribus in priſtinum locum reduxit.

Huic denique Reipublicæ V Vilhelmus Ioannis filius Dux Cliviæ V. 14. Decemb. anno 1539, itemque anno 1548 & 1549 ejuſq; filius Ioannes V Vilhelmus anno 1595 privilegia ſua confirmarunt.

Templa & Monaſteria in urbe Veſaliensi.

Templa duo eximia urbanum, & ſuburbanum, Monaſteria Dominicanorum, Auguſtinianorum, & Canonicorum irregularium, cum domo commendatoria Iohannitica, cœnobio Averdorpenſi Veſtalium nobilium, & altero Monialium, ex quo Gymnaſium bonarum literarum ſtructum eſt, ambitu ſuo complectitur.

Mutationes Reipub. Veſaliensis.

Anno 1354 ipſa Donati ſive 7 Auguſti ſub Ioanne Comite Clivię 27 incendio cum conventu Dominicanorum pene tota abſumpta.

Curia verò inſignis poſt hanc conflagrationem magnificè anno 1390 ſub conſulatu Thomæ Steckii inſtaurata eſt.

Anno 1506 ſummum templum hac quâ cernitur auguſtiori formâ expolitum, ut verſus indicant muris ejus inſcripti.

Da requiem cunctis Deus hic & ubique ſepultis.

Vt ſint in requie propter tua vulnera quinque.

Anno 1593. 11 Ianuarii, turris prælta hujus templi fulmine tacta integra periit, reliqua mole non parum quoque flammis læſa: quæ omnia anno 1594 & ſequentibus S.P.Q. Veſalienſis ſumptibus iterum inſtaurata ſunt.

Anno 1586 diram cladem à Parmenſi paſſa: ab Admirantio Aragonio anno 1599 centum mille thaleris & aliquot centenis frumenti modiis emuncta, etiam Eccleſiæ mutationem ſubiit: ab hac tamen, hoſtibus Panico terrore ſponte fugientibus, mox iterum divino beneficio liberata eſt.

Anno 1614 ab Hiſpanis Duce Ambroſio Spinola occupata, poſt mutationem novam templorum contra fidem datam anno 1628 inſtitutam, anno 1629 exactis annis occupationis plus minus 15, mirabiliter iterum, 19 Auguſti aſſerta fuit.

Emmerica Origo.

Emmericam Aſchiburgum olim appellatam Cornelius Marlianus & Althamerus exiſtimant, quos Bertius in Germaniæ urbibus refutat. Et rectè quidem. Nam Aſchiburgum, ut porro commemorabimus, è regione Duisburgi in comitatu Moerſano ſitum eſt, vicinumque Pagum vulgo **Hohen Emmerich** habet.

Hinc igitur alii à Rheni propinquitate nomenclaturam ejus derivant, vel quia, ſicut poeta canit:

Hic ſitulas tumidis Rhenus adimplet aquis.

Vel quod ad ipſum hunc fluvium ceu ſitula exhauſtum, urbi ædificandæ ſpatium amplum relictum eſt, quod tamen hodie, ita viciſſim aquis obtectum, ut aggeribus multo ſumptu appoſitis, coercendum ſit. Alii denique, & quidem rectius appellationem à familia nobili deducunt, quæ tres in gentiliciis inſignibus ſitulas exhibuit,

hibuit, easque ad Hottomanianam prosapiam, unde hodieq; Plateæ in hac urbe nomen est, retulit.

Hoc de ea certum quod oppido extruendo Ecclesia ibidem collegiata occasionem dederit: Anno 700 vel circiter à S. Willibrordo Episcopo Ultrajectino in memoriam Martini Turonensis Episcopi fundata, quamvis initio præter templum eique contiguas Canonicorum, Primò regularium jam vero irregularium habitationes quinque tantum civium præcipuorum ædes ibidem extiterint, quarum duæ Asswienium & Swalvenburgium castra: ex quibus postremum hodie Steniorum est, qui idcirco hodieque hirundines in armis suis gentilitiis gestãt, adhuc commonstrantur, donec Præpositus Ecclesiæ Otto, & Decanus Gerhardus Lucius, cum toto Capitulo quia vicini Domini Montanus, & Wischius ipsis in redditibus accipiendis molesti erant, anno 1233 Ottonem ejus nominis III. Geldriæ & Zuitphaniæ Comitem, in Tutorem, seu Advocatum suum acceperunt, qui eodem anno 2 Cal Julii Embricensi oppido, privilegia Zuitphanis similia dedit, & postquam ab Henrico Montium vicinorum domino jus quod ipse intra suum territorium, & jurisdictionem Embricenam prætendebat, crastina Palmarum, anno 1237 consecutus esset, 5 Cal. Septembris, anno 1247 consensu Friderici II. ejus filii Henr. VI. Imp. eam ulterius munivit, murisque, fossis, ac turribus instructam urbem magnificam ex ea effecit, quæ intra celebriores Hanseaticas quoque recensetur; Otto ad filium Reinholdum I. & hic ad Reinholdum II. primum Geldriæ Ducem jus urbis derivárunt: quorum hic die Veneris post Bonifacii anno 1330, de pascuis, jure civium, loco patibuli prope Dynastiam Montium, facinorosorum apprehensione judici sistenda, executione rei judicatæ, immunitate telonii, nummo viali, eidem largitus est: præsentibus Gwalthero Keppelio, Ottone Haltio, Eberhardo Vlftano, & Johanne Brynio, equestris dignitatis viris; ejus vero filius Reinholdus III. anno 1355 urbem hanc Iohanni Clivorum Comiti primo pro 2107 scutatis obligavit, soror autem Mechtildis anno 1372 ipsa Matthiæ Adolpho Marcano Comiti Cliviæ 28 & ultimo 1800 scutatorum pignus auxit, donec Reinholdus Juliæ, & Geldriæ Dux utriusque ex sorore Nepos in pugna saltus Clivii anno 1379 ab Adolpho I. Cliviæ Duce captus arctiùs obligatam anno 1402 vespera Siciliæ, eidem integram vendidit; Adolphus hic anno 1448 ad Johannem I hic anno 1481 ad Iohannem II. & ille anno 1521 ad Iohannem III. & iste denique anno 1539 ad Wilhelmum; omnes Clivorum Duces propagarunt. Adolphus anno 1403 in teloniis Hussleno, Lobithano, & Bouricensi immunitatem ei concessit. Iohannes II. anno 1482 omnes homines, & bona ab utraque Rheni parte Parochiæ Embricensi, in Ecclesiasticis, in politicis prætori, pactis nuptialibus, & testamentariis exceptis; subjecit, anno 1485 judicium diebus Lunæ singulis septimanis, ob debita, & damna civibus liberè administrandum, ad revocationem concessit an. 1490

Privilegia.

electio-

electionem Scabinorum urbi pro 7000 florenis reliquit, quam postea tamen revocavit, & ob multas causas se amplius non indulturum edixit. Quod filius Ioannes III. anno 1522 civibus cum Magistratu suo dissidentibus per aliquot cataphractos in ordinem redactis, & quibusdam eorum capitis supplicio affectis, reliquis vero in gratiam receptis, confirmavit. Imo hujus quoque filius Wilhelmus novũ dissidium ipsus in urbem, anno 1539 veniens cõposuit. Idem anno 1565 ubi prætenso juri suo intra territorium suum, & fossam Emmericenam Wilhelmus Montium Comes renuntiasset, limites utrimque constituit.

Templa. Templa habet Respublica hæc bina egregia, Collegiatum S. Martini de quo dictum, & Aldegundinum civium, ejus fundamenta anno 1483 jacta sunt.

Monasteria. Monasteria recenset Monachorum cruciferorum, & Fratrum Gregorianorum; Vestalium verò conventus Majorem & Minorem, quorum hunc alias Mariæ campum dictum, anno 1592 Iesuitæ occuparunt, domum denique Scholasticam in medio foro majori erectam continet. *Mutationes.* Mutationibus diversis obnoxia fuit.

Nam in bello Belgico anno 1598 modo Hispanorum modo Ordd. præsidia admittere coacta est. Anno 1614 Mauritius Nassovius eam occupavit, & fortiter munitam præsidio suo imposito hactenus defendit, frater ejus & successor Fridericus Henricus.

In eandem anno 1592 Patres Iesuitæ introducti sunt, qui licet bis anno nimirum dicto, itemque anno 1629 iterum hinc ejecti adhuc tamen sedem ibidem continuant.

Templorum omnium sicut etiam Monasteriorum hîc an. 1628 jussu Ordd. Belgii instituta est reformatio, quia eadem contra pacta Vesaliæ prius facta erat.

Calcaria Origo. Calcaria ab insula eodem nomine appellata, & ad Rheni brachium sita, porta Ostiaria (Mundtporte) hodieque teste, nomen suum sortitur, cui oppidum anno 1230 sub Theodorico ejus nominis quinto Clivorum Comite in ordine 21, inædificari cœptum, anno 1320 sub Theodorico nominis IX. Clivorum Comite in ordine 26 vires acquisivit: donec Ioannes Comes Clivensis 27 & hujus prosapiæ ultimus, ipsa Margarethæ anno 1347 diplomate insigni, eidem privilegia partim à majoribus accepta, confirmavit, partim nova largitus est: præsentibus Ottone Clivio præposito S. Gereonis Colonienſi, Theodorico ab Horn, Domino in Cranenburgh, nepotibus, Friderico ab Honnepel, Elberto ab Eyll, VVilhelmo à Genth, Eberhardo à VVischel, Ottone à Boetselaer, VVichero à monumento hodie Wormpter/ & Joanne ab Offenbrug, Equestris dignitatis viris. Anno 1368 ab Adolpho Marcano cum is in Cliviacam provinciam ob matrem Margaretham Theodorici IX. Comitis Clivensis 26, Ioannis fratris, filiam & hæredem, succederet, non tantum priorum à Clivensibus Comitibus acceptarum immunitatum confirmationem, ipsa conceptionis Mariæ adepta, verum earundem quoque augmentum, utpote liberam Magistratus

gistratus sui & Prætoris electionem, judiciorum processum, similesque leges multas consecuta est: præsentibus Engelberto Marcano Adolphi fratre, Conrado Saffenbergio, Gumbrechto Alpenio præfecto Colonienſe, Henrico Bestio, Theodorico à Monumēto, Joan. Budelio in Dorrwaldt/Theodorico Limburgio, & Theod. Vennio Equestris dignitatis viris: quæ Adolphus I. Clivorū Dux, Adolphi jam nominati filius & successor, die Veneris post conceptionem Mariæ, an. 1401 libertate teloniorū Clivensium auxit. Omnia verò hujus filius Joannes Clivorū Dux secundus, die Veneris post Valentini memoriā, an. 1449 præsentibus Elberto Alpenio præfecto provinciali Clivense, Ottone à Wylac Marcschalco, Matthia ab Eyll Archicamerario, Eberhardo à Tyl, aliisq; rata habuit. Cujus filius cognomento Joannes, tertius Clivorū Dux, eidē civitati, cellens illud hebdomadarium forum singulis septimanis diebus Jovis, vel cum festum incidit, priori vel postero die frequentandum, anno 1486 concessit.

Templi parochialis turris prælta lōge lateq; conspicua est. Monasterium Dominicanorum in hāc urbē egregium Ioannes Clivorum Dux secundus, an. 1464 collocavit: Monachi etiam atq; Vestales Arboris Marianæ Ordinis Brigittini non longe ab urbe siti, cœnobii sui Coloniam huc quoq; deduxerunt, è quorum regione Moniales habitationem suam antiquam etiam continuant. *Templa & Monasteria.*

An. 1392 civitas à Reesensibus tunc adhuc Episc. Col. parentibus fermè occupata fuisset, nisi hi à civibus ad arma provocantibus portā, quam expugnarant, Hanzelerina iterum ejecti essent. *Mutationes.*

Anno 1409 conflagravit.

An. 1464 cum hyems aspera glacie dissolutā maximā ditioni Clivensi inundationem adferret, in hac quoque urbe turris ac porta Hanzelerina aquarum impetu dejectæ sunt.

An. 1598 à milite Hispano sub Admirantio Arragonio tormentorum bellicorum globis petita, atque expugnata fuit, versibus his portæ Ostiariæ inscriptis testibus:

Mille & quingentos post & bis quattuor annos,
Lustris quando novem des quoque lustra novem.
Ante diem Christi, peperit quo virgo Maria,
Vrbis ab Hispano tanta ruina fuit.

HoC prIor eXCIDII sVVs, Vt natalIs IesV
IngrVIt, abregIs CaLCarIa MILIte sensIt.

Tuiscīburgum, communiter Duisburgum, ut à Drusiburgo Comitatus Zutphaniæ oppido distinguatur, à Druso, cum Rheni brachium in Salam amnem corrivaret appellatum, unde etiam Drusifortium non longe à VVesalia positum, dictum ajunt, ab aliis Teutoburgum, itē Teutopolis vocata, à Tuiscone nepote Noachi, sicut etiam Tuitium à Regione Cl. Aug. Agrippinæ Coloniæ denominatum, antiquæ Germaniæ illustre oppidum, regium & imperiāle, ad ripam fluminis olim Rheni inter Ruram & Angram amnes, è regione Aschiburgi, ab Ascena Gomeri filio, & Iapheti nepote, anno mundi 1820, ante Christum natum 2150, ut volunt. *Tuiscoburgi origo.*

conditi, sed ab Attila destructi olim celebris loci nunc obscuti, & tenuis Viculi in Sicambrorum finibus apud vel prope Vbios siti, Germanorum adversus Romanos, qui tum in Gallia rerum potiebantur, primitus fuit præsidium: donec Vbios Thuringi ex Suevis oriundi occuparunt, & postquam à Tiberio Cæsare tota gens Sicambrorum partim exciſa, partim alio translata, Franci gens origine Germana in vacuis Bructerorum sedibus viciniſq; locis consedere. Ab oppido etiam vicino saltui, qui longe lateque per Germaniam protenditur & alteri das hohe Waldt dicto, nomen, cuique multæ partes sylvarum Montensium Angermundam usque, imo apud Ratingam & Erckradiam ultra pontem denique Cattovicenum connectuntur, ex quibus lapides effodiendi potestatem Lotharius Romanorum Rex, Duisburgensibus, ut jam dicemus, fecit, Magistrumque toti saltus, vel ut tum appellatur Foresto, anno 1129 Waleramum Limburgi Ducem præfecit. Longe tamen alius hic locus est, ut supra indicavimus ab illo tractu in quo legiones Quintilii Vari cæsæ sunt, prout in antiqua nostra Clivia prolixius explicavimus. Hic verò Clodius Crinitus vel Comatus Francorum Rex post Pharamundum II. Anno 431 primum castrum constituxit, ex quo paulatim urbs in sedem regiam excrevit, ex eaque post decennium missis exploratoribus in Gallias cum exercitu, ut supra quoque annotatum est, movit, iisque occupatis imperium accepit, & ad posteros tantisper derivavit, donec à Francis ad Germanos Imperio iterum devoluto, Duisburgum ad eosdem quoque rediit.

Privilegia imperialia. Hinc Imperatores Germanici Lotharius Saxo, anno 1124 Indict. 7. 8. id. Martii, urbi nemoris usum in lignis, & lapidibus concessit testibus præsentibus Sieghardo Mindensi, Theidhardo Osnab. Egberto Monast. Andræa Traject. Ottone Halberst. Episcopis: VValramo Duce Limburgio nemoris magistro, Gerhardo Longo, Geldriæ, Arnholdo Cliviæ, Hermanno Talverlagiæ, Hermanno Salmæ, Ottone Rienecciæ, Florentio Hollandiæ, Gerhardo Hochstedæ, Bernhardo Hildesheimiæ, Godefrido, & Hermanno Cuyckiæ, Adolpho Montium Comitibus, & Militibus Rochio, Theod. de Aquis, Engelberto de Hamerstein, Genzelino, & Meinhardo de Noviomago; ex oppido verò Ellenhardo Prætore, Engero VVolthero Lunoldo Regnero, reliquisque testibus concessit.

Conradus Imp. anno 1145 domos circa Palatium, & curiam regalem hodie vff der Burgh ædificari voluit, inprimis quia ad mercatum Francofurtano similem loci commoditas inserviebat, cui idcircò Arnhaldus Archiepiscopus Moguntinus anno 1155 Ind. II. præsentibus Anshelmo Havelsb. Episcopo, Lamberto VVerthinense Abbate, Adolpho Montium, Roberto Græverad, Hermanno Hardenbergio, Marquardo Grumbach/Gisone Hittenb. Tib. Mileb. Hercult., aliisque de mercium varum immunitate privilegium largitus est, itemque aliud Fridericus Barbarossa in telo-

in telonio Vltrajectino, anno 1166. Ind. 14. 5. Cal. Jan. contra Godefridum à Rhenen Episcopum oppidanis indulsit. Præter hæc testantur scriptores rerum Flandricarum, anno 1173 de Philippo Alsatio Flandriæ Comite, quod à Friderico I. Imp. de pannis à suis Duisburgi & Coloniæ pro eodem vectigali vendendis, privilegium impetrarit.

Ob hoc privilegium inter Henricum VI. Friderici I. dicti Ænobarbi filium, & Philippum Heinsbergium Archipræsulem Col. anno 1184. simultas exorta est, Mercatoribus quibusdam Duisburgensibus in Diœcæsi Col. nudatis, quos cum restitui juberet Rex Henricus, tãdem Moguntiæ ipsi reconciliatus est. Episcopus Alb. Crantz, Sax. lib. 6. cap. 48. A Siegfrido denique VVesterburgio Archiepiscopo Col. festivitate Margaretæ Virginis, anno 1286. De telonii Novesiensis libertate, & à Republica Argentinense, anno 1418 ipsa Sixti novum de mercibus accepit.

De hujus urbis proprietate inter Regem Henricum & Episcopum Colonienſem jam dictum Siegfridum VVesterburgicum, anno 1285 controversia fuit, quam propter Otto IV. Imp. 6. non. Febr. Indictione 5. anno 1213 omnia civium bona ab exactione exemit, quod VVilhelmus Imp. anno 1247 Ind. 5 præsentibus Conrado Hochstedeno, Archiepiscopo Colonienſe, Theodorico Cliviæ, Ottone Geldriæ, VVilhelmo Juliæ, VValramo Limburgio, Adolpho ejusque filiis duobus Marchiæ Comitibus, Arnholdo Diestio, VVilhelmo Grunebergio, Henrico Vennio, Gisberto Amstelio, Nicolao Persingio, & Ogyro Dynastis confirmavit, aliudque de nemoris proprietate, ex eoque lignis, & lapidibus excidendis insuper addidit. Alb. quoque Imp. anno 1298, ind. 11. 5. Cal. Septembris præsentibus Wiegboldo Col. Bormundo Treviro Archiepiscopis, Conr. Argent. Henr. Constant, Ludolpho Brixiensi Episcopis, Theodorico Cliviæ, & Gerhardo Juliæ Comitibus, privilegium Aquensi Reipub. simile jus pascuum, & arbitrium Plebiscitorum adjecit, anno 1213. 6. non. Febr. Ind. 1, eidem urbi appellationem, sive provocationem ad judicium Santense, vel aliud Colonienſe abrogavit, & Aquisgranum tantum faciendum mandavit.

Fuit ergo Teutopolis libera & Imperialis Respublica, quæ tamen postea primum quidem tutelæ nomine Ducibus Limburgiis, & Comitibus Montensibus subjecta fuit. Henricus enim dictus senior Dux Limburgius Advocatus, seu tutor Duisburgensis fuit, qui anno 1221 obiit, & in Ecclesia Radensi ordinis S. Augustini conditus est. VValramus vero Dux Limburgius, & Comes Montensis, cum Cunigunde uxore nemoris partem dictam **Ostenbruch** cum tribus mansis adjacentibus, anno 1277 die vinculorum Petri tribus tantum solidis quotannis à civibus in festo Martini pendendis sibi reservatis, & feria 6. ante festum Bernh anno 1278 agros novos, vulgo **das Nitwlandt** / à Porta Swalena perpetuo possidenda concessit. Ab ejus morte possessio ad Reinholdum

Geldrum Irmgardi filiæ, & hæredi suæ unicæ copulatum pervenit, à quo feria 4. ante Annunc. Mariæ, anno 1278 privilegia Reipublicæ confirmata sunt.

Translatio ad Cliviã.

Deinde Rudolphus I. Habsburgicus Rom. Imp. 12 Cal. Martii indictione 3, Erphordiæ urbi privilegiis, anno 1290 confirmatis eandem cum Cranenburgia Theodorico ejus nominis VIII. Comiti Clivio 24 Viduo neptę sua Eberhardi filia, Margareta in conjugem data, Loco dotis pro 2000 marcis argenteis oppignoravit iisque 400 marcas argenti ex telonio Bowricensi addidit simul quoque Imperii Comitem, & in vicinis imperialibus Duisburgo oppidis, Neomagi, Daventriæ usque in Ravenszwerdt uracium Imperii constituit: præsentibus VVernhero Præposito S. Gereonis, Unichbaldo de Alpen Decano, Theodoro de monumento Bernh. de Strunkede, & Wilhelmo Proyt militibus. Hoc pignus Duisbergense iterum Margaretha Habsburgica Theodorici vidua & cum ea Theodoricus IX. ejus filius, Agneti filiæ, & sorori suę Adolpho Montium Comite copulatæ, anno 1312 feria 6. post diem Paschatos in dotem obtulerunt, Theodoricus vero nominis IX. Comes Cliviæ 26, anno 1325 præterea à Ludovico IV. Bavaro Imp. totius VVestphaliæ Vicarius declaratus eidemque pignoris reluitio concessa est, idem Ludovicus, Monaci 1. Septemb. anno 1347 Joanni Comiti Cliviæ 27 fratri Theodorici, integrum oppidum cum telonio pro 20 mille marcis argenti in pignus tradidit; cui summæ Carolus IV. Imp. 11 Cal. Martii, Indict. 2. anno 1347 adhuc 10 mille marcas argenti Coloniæ adjecit; Privilegia denique Reipublicæ omnia rata habuit, eaque proxima Dominica post Mich. anno 1352 repetiit.

Quia verò in Joanne hoc Clivio Comite stirps masculina ejus prosapiæ, an. 1368 desiit, Duisburgensis civitatis tutela & pignus ad familiam Marcanam per conjugium Adolphi & Margarethæ Theodorici IX. filiæ devenit, cujus Nepos Engelbertus Marcæ VVestphalicæ Comes, Duisburgense pignus adeptus, anno 1369 in vigilia Paschatos privilegia ejus omnia approbavit, ibidemque filiam, quam ex Richarde Julia sustulit unicam, Philippo Falckensteinio Comiti in Conjugem tradidit. Anno 1392 Engelberto mortuo Theodoricus Marcanus ejus frater, & hoc quoque defuncto, Adolphus Cliviæ I. Dux, Adolphi fratris filius primogenitus, anno 1404 hæc omnia rata habuerunt.

Status Duisburgi Hanseaticus.

Joh. Angelus VVerdenhagen Iurisconsultus Christianus in tractatibus de Rebuspub. Hanseaticis, parte speciali 4 in Hansam Teutonicam mature nempe, anno 1201 ob varia commercia ibi exerceri solita, recepta inesse scribit. Anno verò 1406. 24 Aug. Respublica Duisburgensis è societate Hansæ Teutonicæ aliquandiu separata solutis mille Equitibus Geldricis auratis ad communionem ejus Lubecæ iterum recepta est, & 20 Novemb. anno 1414 à Sigismundo Imp. Perpiniani, atque Coloniæ in omni hac dignitate confirmata eam Adolphus Marcanus Cliviæ Dux die

Michae-

Michaelis, anno 1422 honorifice ingressus, & à civibus homagio præstito inauguratus est. Fridericus verò Austriacus nominis III. Romanorum Augustus ætatis anno 25 satis juvenis, mente tamen senex, adeoque Fabio Max. propior quam Scipioni, Francofurti designatus, anno 1442 eidem Duisburgo privilegia sua Coloniæ approbavit.

Anno 1445 cum intra Theodoricum Morsanum Archiepiscopum Col. & Joannem Adolphi I. Cliviæ Ducis filium primogenitū ob Susatum bellum ferveret, Archiepiscopus nocte intempestâ, quæ in diem S. Georgii tempore quadragesimali diluxit exercitum armatum mœnibus Duisburgicis ad molã lapideam ex insidiis exhibuit: sed magno nolarum clangore, civibus inprimis juventutis flore ad arma convocatis irrito, Respublica ab hoste Archiepiscopo, militem suum **verlohren / verlohren** / inclamante, & retrahente, liberata est. In cujus rei memoriam non tantum Pons ille **die verlohren kost Brugh** appellatus, sed etiam Senatus singulis annis ipsa Georgii pueris, puellisque cujuscunque status & conditionis, simellas, seu spiras, quas vocant, distribuit, qui idcirco hodieque **Kreckelentagh** nominatur. Postmodum propter impensas nimias, Scholæ Latinæ & Germanicæ alumni, cantionibus ostiatim simellas eodem die hactenus petierunt, quod quidem anno 1626 ob insolentiam militis Hispani abrogatum, sed anno 1632 restitutum est.

Anno 1449. 18 Junii Ioannes Bellicosus Adolphi filius, anno 1556 ejusdem consensu Gerhardus Clivio-Marcanus Patruus urbis medietate investiti sunt.

Anno 1481. 3 nonis Novemb. Ioannes Misericors bellicosi filius.

Anno 1522 in Septemb. Ioannes Pacificus Misericordis filius.

Anno 1593 Wilhelmus Dives Pacifici filius, isque iterum Cal. Septembr.

Anno 1571 & 1572 Wilhelmi Divitis, filius Ioh. Wilhelmus dictus Bonus & simplex Duisburgum ingressi, ubi civibus privilegia sua confirmassent, ab iisdem inaugurati sunt.

Celebritas Duisburgi & confirmatio privilegiorū.

Ad eandem Rempublicam Max. Cæsar comitia Coloniæ celebrans, anno 1505 ter venit, in eadem 17 Iulii anno 1508 ubi in Brabantiam contendit, idem Cæsar tribus noctibus pernoctavit. Redux ex Belgio 2. Aprilis anno seq. iterum Carolus vero ejus ex Philippo Hispaniarum Rege nepos 12 Martii anno 1528 Spiræ Ferdinandus hujus frater 15 Iulii anno 1562 Pragæ Maximilianus II. ejus filius iterum Spiræ, anno 1570, Rudolphus II. denique 18 Augusti anno 1580 privilegia Reipublicæ rata habuere.

Templa urbis.

Urbs præter monasteria duas habet parœcias, quarum una primaria S. Salvatori tutelari Numini sacra est ob peregrinorum quondam ad Salvatoris imaginem religionis ergo Dominica Trinitatis frequentem concursum celebris.

Altera B. Mariæ Virgini dicata, quondam extra muros

civitatis sita,& Iohannitarum hospitaliorum sedes ; quæ duæ Paræciæ,anno 1187 à Philippo Heinsbergio Archiepiscopo Col. divisæ sunt.

Monasteria. Monasteria sunt Minoritarum Franciscanorum amplissimum, quod priscis temporibus Ducum Limburgensium arcem fuisse constat Deinde Cruciferorum vallis S. Petri prima fundatione dictum, olim fratrum 3 Regulæ S. Francisci conventiculum, sed anno 1498 à Cruciferis occupatum. Habet præterea urbs etiam Monialium ejusdem 3 Regulæ Franciscanæ cœnobium S. Catharinæ dicatum, & pro honestatis officina civium opulentiorum filiabus erectum, à quo instituto cum degenerasset redditibus vestalibus relictis Euangelicæ prædicationi templum inservit.

Opera Ecclesiastica. Inter opera Ecclesiastica urbis eminet Basilica Salvatoris, cujus turris altissimæ structura anno 1415 primum cœpta in eaque 4. Martii anno 1426 aditus, seu novus chorus templo annexus est. Anno 1467 tres illi campanæ imponendæ in cœmiterio maxima grassante peste fusæ, Turris autem, quia prior eodem anno 1467 nocte Palmarum incuria vigilis oscitantis,& candelam accensam negligentius custodientis perierat, novæ adhuc excessioris fundamenta à Frederico Specht, anno 1479 posita sunt, inque eam tres illæ campanæ suspensæ. Turris tectum 17 April.anno 1507 inchoatum eique 19 Iulii turricula ferruminata, cum cruce ænea, & gallo imposita,& anno 1513 lapideo ambitu addito totum opus absolutum est. Anno 1464 Duisburgenses deportationi S. Victoris Santis cum suo Salvatore adfuerunt. Gymnasium bonarum litterarum suis sumptibus,anno 1559 Senatus instituit.

Opera Politica. Politica opera sunt Turris molaris, anno 1439. Porticus anno 1456: Schola anno 1512 ædificata. Anno 1499 incendio in vico Vaccario quem vocant suborto illum integrum absumpsit.

Conventus Politici & Ecclesiastici. Conventus diversi summorum Principum , & insignium Rerumpubl. atque Ecclesiarum diverso tempore multi hic habiti sunt,anno 1493 & 96, VVilhelmi Juliæ, & Montium Duci, & Johannis ejus nominis 2. Ducis Clivii & Comitis Marcani congregatio ob unionem Provinciarum harum ex matrimonio Duisburgi instituta.

Annis 1580.5 Augusti,& 1598.27 Septemb.& 1599 in Septemb. Cliviæ, Juliæ, Montium &c. Principum, & Satuum Comitia hic celebrata.anno vero 1609 nona April. mortuo Joanne Wilhelmo cunctarum harum Provinciarum hærede ob successorem Ordinum omnium conventus habiti , & litteræ reversales iisdem datæ sunt. Circulus Westphalicus etiam ibidem 9 Iulii anno 1581 itemque Ianuarii anno 1595 , & 25 Martii 1596, & 29 Iulii 1597 ibidem coiit; & sicut anno 927 tempore Euangelii in his partibus nati concilium Episcoporum Duisburgi ab Henrico I. Imp. coactum, ita Synodus quoque nationalis Ecclesiarum Cliviæ , Juliæ , Montium &c. reformatarum in hac urbe ab an. 1610 hactenus semper frequentata est.

Variis

Variis & diversis mutationibus obnoxia fuit. *Mutationes.*

Anno 1614 à Ludovico de Velasco Hispano jussu Ambrosii Spinolæ occupata præsidium Hispanicum aliquandiu retinuit.

Nova mutatione sub Consulatu Godefridi à Schommertz, anno 1630 amplius munita, sed tamen non longe post propugnaculis novis dejectis vetera tantùm retinuit.

De Rheno, qui olim Duisburgum alluit, jam vero deseruit, ita Bernhardus Mollerus in descriptione ejus canit:

Mœnia Duisburgi dempto jam flumine spernit,
Rhenus, & offenso degener amne fugit.
Quas igitur vindex turbæ Natura negavit,
Turba sibi demptas arte reduxit aquas.
Fossa labris Rheni longo deducta meatu,
Exiguas urbi mittit adesse scaphas.
Antea sublimes adierunt mœnia cymbæ,
Vix gravidas potuit ripa tulisse rateis.
Tum fuerat pauper vix ut Mercator adesset,
Emporii fœlix commoditate forum.
Omnia mutato fatorum cardine versa,
Omnia subducto perdidit amne locus.

Quæ verò de ejusdem Duisburgi antiquitatibus omnibus, inprimis quæ numismatibus Chilperici Regis, & Henrici primi Imperatoris apud Hermannum Nuenaricum, & Mörsensem Comitem, & Gualterum Gymmium Consulem Duisburgensem, asservatæ fuere, eas cum reliquis Ioannes Tybius civis Duisburgensis Elegiæ suæ libellis tribus, anno 1579 complexus est; cujus exemplaria Hombergæ ad Rhenum in Comitatu Mörsensi eodem anno typis descripta, quia nulla vel pauca amplius extant, hîc eandem repetere operæ pretium duximus.

HENRICO

HENRICO TYBIO.

ET

OTHONI VOGELIO

CONSULIBUS.

Cæteriſque Senatorii ordinis apud Duisborgenſes viris prudentiſſi. Iohannes Tybius, propriam Reipubl. ſalutem à Chriſto.

RElegioſiſſimè ad Archytam aſſerit Plato, ſemper recenti memoria circumferendum expendendumque cuique mortalium ſe ſibi natum non eſſe: ſed partem patriæ, partem cognatis, partem amicis debere, ita ut perexigua pars ſibiipſi relinquatur. Neque verò majorem cuiquam impendi poſſe operam humana ratio arguit, quam ſi eumipſum immortalitati quam proximum reddamus. Quod utrumque viri Conſularis Senatoriique Ordinis digniſſimi, me & intelligere, & jam dudum anniti ut cognoſcatur: diu multumque laboravi: videlicet, & plurimum me operæ patriæ debere, & majorem huic ipſi præſtare non poſſe, quam ſi Immortalitati viciniſſimam reddam. Id verò non aliter fieri poſſe putavi, quam ſi originem ſucceſſionemque hujus tam antiquæ urbis & incrementa civium, ab eiſque rerum geſtarum, ac Privilegiorum brevi Cathalogo, ceu in tabula depictam ob oculos proponerem. Itaque cum me è leni quidem ac grato corporis, animæ vero ſevero exilio (veluti è Pathmo Apoſtolum Epheſus) viri utriuſque dignitatis candidiſſimi, admiſeritis, receperitis, foveritis: ingratum ſane, planeque naturalium legum contemptorem me fore putavi, ſi quod Ethnicus obſervavit, Chriſtianus negligerem, ac non omnem operam quantamcunque poſſem, noctes dieſque patriæ impenderem. Ejus autem propenſionis primum ſpecimen vobis ut exhiberem in breves rudeſque verſus contraxi, quicquid de origine, incremento, rebuſque geſtis civium hujus reipubl. cum apud Hiſtoricos, tum etiam ex archivo in anteceſſorum noſtrorum monumentis fide dignum comperire potui. Sperans fore, ut ſi hactenus indigeſta quæque ac rudis earum rerum moles publica aſſervatione vel digna, vel certè eâdem conſervata fuerit: ut aliquis etiam huic meo, rudiori quidem, attamen in formam & ordinem congeſto ſcripto, originis ſucceſſionumque, ac rerum geſtarum hujus noſtræ urbis quaſi monumento, locus veſtrarum dignitatum cuſtodia tutiſſimus donetur: ut cara tandem ſolicitaque poſteritas, quæ ſenectutis ſuæ Infantia, pueritia, ætatiſque flos fuerit agnoſcat. Atque in hoc veluti ſpeculo

civis

civis seipsum contemplatus, agnoscat qua reipublicæ forma ac constitutione, quibus item laboribus floruerit, & florituras sit maxime: atque eam reipublicæ administrationem ac formam magistratus contendat, qua videt virtutibus civium tam amplos favores ac Privilegia Imperatorum sese suosque esse adeptos, atque priscorum Duisborgensium mores ac virtutum præmia emerenda subditos muneribus pelliciat, pœnisve coerceat, quibus non solum dicta privilegia eosipsos emeruisse videt, sed etiam acerrime laboribus mercimoniisque exercendis, ac propulsandis, eaipsa infringere conantium viribus, defendisse. Ad tractationem vero argumenti quod attinet, cum annales potius ac temporum seriem, quam vel præconia urbis patriæ, aut alioquin eruditionis ingenii ve ostentationem quærerem, poeticum nihil miscui: ne his involucris confundere potius rem, quam expolire viderer. Idque maximè, quod sperem fore, ut hæc mea ceu Enniana stercora, Virgilianos flores protrudant, hique rudes mei versus Maronem aliquem excitent, qui hæc altius indaget, tractet sublimius, præconiaque tam antiquæ ac famosæ urbis, dignis carminibus posteritati commendet. Duobus autem nominibus potissimum dignitatibus vestris hunc meum laborem dedico: ut videlicet me patriæ eumipsum non alteri, & debuisse, & præstitisse intelligatur, majoremque assiduè ut præstem esse quam paratissimum: tum etiã, ut D. V. præsidio ac protectione hi libelli tutiores prodeant in medium. Qua spe & fiducia has primicias laborum meorum D. V. utendas fruendas, propugnandasque do: & ut quam maxime floreat respub: Christum Deum Opt. Max. oro, & ad id omnem me lapidem moturum spondeo, ne quid ejus in me requiratur. Quibus omnibus Christo Deo D. V. uti magistratuum, rerumque publicarum tutori defensorique Opt. Max. commendatos imprimis cupio, ac quam id fieri potest sedulo commendo. Vos interim hunc meum laborem æqui bonique consulite, & ut facitis una mecum amate, ac defendite. Datum Duisborgi quarta Septemb. Anno 1579.

D. V.

Obsequentissimus, observantissimusque concivis,

Iohannes Tybius, Godefridi filius.

ANNA-

ANNALIUM,

Sive

ANTIQVITATVM

Originisque Veteris Duisborgi,

Liber Primus.

Est locus ad Rheni ac Rorae notissimus orani,
Qua nemorosa undas evomit Angra suas.
Magnanima quondam sedes firmissima genti
Teutonicae: certum dum petit ille locum
Errabunda sibi: Populi confinia magni
Designans: prisca nomina gentis habens.
Qui volucrum cantus, nemorum viridaria prabet,
Pratorum risus, dona fluentis aquae.
Hunc volupe est memori deducere carmine pinguem Propositio operis.
Carminibus pateat ejus origo meis.
Quo duce sint ampli fundamina jacta laboris.
Queis ducibus vires sumpserit ille suas,
Creverit in Gentem magnam, queis regibus ipse
Regia, queis portus, & quibus urna fuit,
Civis ut agnoscat quo ductus origine, mores
Qui fuerint patriae, qua pia lucra suae.
Amplaque natura non temnat munera discat
Robore parta pio lege tenere pia.
Scilicet hunc Asia deductus littore Tuiscon Tuiscon à Noa in Europam missus fuit, anno post Diluvium 130. occupaviteq; Rheni ripas, ac Germaniæ quor Duitslos vocamus nomen indidit. Wolfgangus Lazius de gentium migrationibus lib. 1. & Anselmus Ryd in Catalogo principum.
Quaesiit urgente Deucalione patre.
Qui vagus in varias distractus Noïus oras
Commoda dum regni, dum loca firma petit:
Non potuit tristi deserta Mesembria alumno Tuiscon Duisborgũ in Ducatu Clivensi cõdidit, Lazius. & Anselmus Ryd, in præscriptis locis. ac Hieronim. Gebwiler de libertate Germaniæ, libro secundo.
Praesidiis aptum reddere fida locum.
Esset & à Iano genitus licet ipse bifronte
Ipse diis quamvis associandus erat.
Instructis potuit non ille triremibus ulla
(Per loca tot ductus) visere tuta magis.
Scilicet aspiciens agrorum fœnora, lucra
Pratorum, nemorum hoc pignora cara loco.
Subsidium agnoscit vitaque ac fluminis alma
Munera, qua lucrum dant cava quaque suum.
Hic Regni firmum solium sedemque locavit.
Magnanimûm hic statuit limina sacra Deûm.
Congestaque ampla laterum vi, moleque Tuiscon
Regni hic praesidium condidit ipse novi.
Deque suo dictum primaevo nomine nomen
Indidit, atque arcem hic Tuisconis esse placet.

Accola

Etymologia Nominis. Germanis hic leges & litteras tradidit annis 150. Anselmus.

Accola Duisborgum vocitat, mihi Tuiſconis arx eſt,
Teutoniæ firmum præſidiumque vetus.
Hinc populum rexit Germanum, hinc tradidit artes
Annos per centum, terque iterumque decem.
Donec & in ſuperos poſt condita regna relatus
Magnorum emeruit ſceptra tremenda Deûm.
Hinc invicta igitur remanent gens, arxque locuſque
Semidei: viresque exeruere ſuas.
Donec inexpleto ructantes ſanguine fratrum
Romulidæ, ac orbe haud gens ſatiata ſuo,
Hæc loca laſciva voluit perſtringere ferro.

Hic Strages Quintilii Vari cum Arminio Cheruſcorum duce (hic in Rhenum compulſis Romanis) habita eſt, teſtibus Aventino, Cuſpiniano Velejo Paterculo, Anno à nato Chriſto decimo ante diem quartum Nonarum Sextil.

Subque jugum indomitos ducere avara viros.
Fretus enim magno, ſed ſpreto robore Varus
Paſſus avaritiæ hic præmia digna ſuæ eſt.
His gens quoſque domans, mille inſignita trophæis
Victricem liquit ſigna manumque viris.
Namque Cheruſcorum (quorum hæc in finibus arx eſt)
Ignorans vires, cor, animoſque ducum.
Neſcius ipſe locus quid poſſet, flumina, & ipſi
Saltus quæ poſſint robora firma dare.
Viribus en ſpretis rem cepit fraudibus, arteque
Attentare vafra, luſus eâque probè eſt.
Scilicet aſſociat proceres procerumque nepotes
Segeſtem, atque alios, remque latere putat.
Servitii agnoſcens populum contemnere vincla,
Parva prius poſcit munera lege dari.
Arte pia hæc artem luditque ac robora ſpargi
Suadet, & eſt patiens gens fera aduſque jugi.
Dum fortis populi princeps Arminnius arma
In ſocerum ac Varum conglomerata tulit.

Arminii Origo ex Aventini Annalium Bojorum libro ſecundo.

Ille Segimari fidi fidiſſima proles
Ille patrus patriæ præſtitit acer opus.
Namque Cheruſcorum exemplar gravitatis habebat
Priſcorum, ac ſtorgas, ceu patris, in patriam.
Hujus ibi, littus qua circum molle Veſurgis,
Emmeraque Arminii in vallibus alba fluit.
Montis in æcrit Clivoſo vertice caſtrum
Sedes, præſidium ac principis acre fuit.
Accola quod priſco Armelsborgi nomine monſtrat
Arx antiqua pii Principis atque domus.
Qua dum nigra viris taciturna ſilentia præbet
Nox animiſque refert robora grata vagis.
Nulla viro requies, nec in altum lumina ſomnum
Clauſerat (Ignavi principis illud opus)
Sed velut altitonans Divorum Iuppiter ipſe
Princeps Grajorum dira tulit manibus.

Habitatio Arminii fuit in Caſtro Armelſburg in Weſtphalia ibi qua rupes Arminii Ptolomæus inter Emmeram & Veſurgim monſtrat, ut liquet ex Ptolomæo, & tabulis Weſtphaliæ.

Conſilia

Consilia (ut turbata quies fortasse tonanti
Exstitit Aeacidam ac pellere damna placet.)
Sic vigil hic patriæ præsesque patrumque minanti
Hosti dira tulit, consilia alma suis.
Nam postquam Oceanum surgens aurora reliquit
Ac vigil AEois lucifer exit aquis:

Oratio Arminii ad proceres Westphaliæ pro tuenda patriæ libertate.

Hosce pii gemitus meditataque pectoris heros
Ad proceres, cunctis stantibus, orerefert:
Vah ubi libertas, pietas ubi prisca parentum?
Queis juga, queis agros patria fida tuos
Subjicis? an liquit testemma? an lecta juventus?
An robur priscum concidit omne tibi?
Tamne tibi subito minitanti subdere genti
Colla manumque fuit dulce? fidemque dare?
Et sine cuncta mei tam perfida principis ausi
Consilio Arminii? quod scelus hoccine virûm?
Αὐτονόμων genti populum servire rapaci?
Rem, spem, jura, decus vendere? velle regi?
Tristius hæc socero meditata nepoteque nostris,
Servitium è proprio sanguine adesse meo.
Turpius hæc populum nondum attentasse subactum
Gentisque ignotis viribus Ausonia.
Quin mihi visa fuit picea caligine Diva
Noctis in Ambrosiis glauca ferensque meæ
Effigiem patriæ pictamque coloribus alma,
Ac mensa propriæ jura decusque pium,

Typus patriæ libertæ.

Cui non vicinus dicat da fœnora princeps
Dave manum, aut sonipes currat in armatum.
Curva cui ducat, per tutum crispus aratra:
Agrum, despectoque hoste, caballus atro.
Cui Faunus sylvæ, cui jura domestica zelus
Et sacra cui patriæ casta Iehova notet.
Hæque mihi mulcens animum pectusque serenum
Effigie, hos visa est reddere voce sonos:

Oratio Deæ adhortantis Arminium ad bellum Romanis inferendum.

Aspicis asserta quam cara obsonia mensa
Carus ager proprius, arva redempta sient.
Quam res tuta domi externo sine principe, Valtus
Quam patriæ gratus prisca & amatus eras!
Dum tibi tranquillum libertas patria somnum
Reddere cara solet. Liber & ipse dares
Jura gregi populum, regeres ac lege per agros
Patria? ab externo milite liber eras?
En patriæ quam sæva tuæ modo lumina, vultus
Tristisque, & fallax singula ut hostis habet?
En hosti, haud patriæ ducit bos torvus aratrum,
Mellaque Romanus dulcia vestra vorat.
Vellera Samnites carpunt vere aurea, vestris
Lanigeris ovibus pignora grata, truces.

In

In choreas ducunt, thalamos, Veneremque sororum
Pulchrarum formas, zona recincta quibus.
Iuraque dant vobis, cogent & in extera cives
Αυτονόμους, equitemque arma, per arva, tuum.
Quin invictorum, invicta es de stirpe propago:
Westphalia invictæ sceptra tremenda tenes.
Horrida fac patria pellas, pelle extera ferra.
Imperium externum & sæva tributa virûm.
En ego quæ rerum è causis certissima, fines
Sola scio, victrix semper amata viris:
Hanc tibi per dextram: per Lauri juro coronam
Hancce tibi, divûm munera certa, Dea.
Effera Romulidum quod vinces arma: decusque
Restitues patriæ, & libera regna tuis.
Arma igitur sumat, ac concita ferra Iuventus
Patria: & indomitos me duce sterne viros.
Hæc tibi signa sient divum quæ dona, coronam
Sceptrumque alma fero, sint tibi sancta duci.
Abiicit & rapidas subito volitavit in auras:
Hocque mihi sceptrum, hæc inde corona manet.
Vos igitur proceres, tu Westphala rara Iuventus,
Hæc memori, hæc forti pectore conde tibi.
In socerum, in Varum discors ultricia sumo
Arma, quibus superos in pia bella ciam.
Castus amor patriæ quem flectit cunque paratus
Adsit, Quintilii pellat inane jugum.
Hunc rutilum in cunctos stringam, nil territus, ensem
Qui non Quintilii, hoc pellat ab orbe dolos.
Dixerat: Horribili sonitu taratantara dixit:
Ite viri Arminni carpite signa ducis.
Vnanimesque ruunt proceres, pubesque equiteque
Civisque, & rauca voce colonus iners.
Concita sectantur divino numine ferra,
Quæ fera per Campum Teutonia ipse legit.
Nempe per hunc nostrum longe de Teuton-saltum
Teutonicum ultricem signa manumque tulit.
Caditur invicto hic, victus Romanus ab hoste:
Imperii Varo signa tremenda cadunt.
Scilicet hic illic constrato milite, cæsis
Principibus, proprio Varus ab ense cadit.
Imperii liquit victricia signa Cheruſco hic
Subditaque, ac rapta luditur hostis ave.
Tuisconis hic meruit victricia signa propago
Quæ Germane tibi, victor adusque tenes.
Accola quin gaudes? signa hæc victricia solus
Quæsisti, illa tibi Teutonia alma tenet.
Sic arcis vires, neglectaque nomina surgunt
Ac urbis meruit signa decusque sibi,

Aeris Arminii adhortatio, ad sumenda arma contra Romanos.

Hic, in saltu Teutonico cæsus est ab Arminio Q. Varus, ut testantur Cornelius Tacitus, Aventinus Cuspinianus, Vellejus Paterculus. Duas aquilas, quas contortis verticibus adhuc in suis insigniis habet Germanorū Imperator, ob cæsas duas legiones Romanorum (quarum quæque Aquilam in insigniis habebat) hic emeruit Arminius, Iohannes Cuspin. in vita Augusti. In formam urbis circa hæc

Dion Cassius Nicæus.

De varietate nominis per temporum successiones ac vices, dum antiquitus

Duitzborgū, quasi arx Tuiscōnis Francis. ut liquet ex eorum annalibus: Duitpargum, tēpore Caroli M. à dispersō inde per Westphaliā milite Dispergum dictum fuerit.

Quæ tenet: Hinc crescunt vires populusque resurgit,
Firmaque naturæ præsidia ampla facit.
Vtque solet victor munimina ponere victo:
Sic urbis jaciunt mœnia firma suæ.
Quo duce quis referat? gens namq; hæc libera, victrix
Illius: invictam, cui placet esse diu.
Quæsitis signis, conjungere civibus arma
Ac animos volupe est. Nomen ab arce manet.
Præsidium antiquum magnam sic crescit in urbem
Quæ tamen authoris nomen & arcis habet.
Donec Thuringo nomen mutare Cheruſco
Triste fuit, fines linquere & hoſce trucī.
Franci has quærentes Duispargi nomine sedes
Dixere: hic belli præsidiumque locant.

Clodius Comatus, rex Francorum in Tungrorum sive Thuringrorum fines, irruptionem faciens, capta Duispargo, hic regni sui sedem locavit, eamque decennio integro munivit, & emissis hinc exploratoribus Cameracum & Tornacum, Galliæ Belgicæ urbes cæpit, Anno 430. ut testantur Antoninus, lib. de gestis Francorum cap. 4. & 5. Adon Vetustelis Episcopus. Sigebertus Gemblacensis. Robertus Gaguinus, Joannes Nauclerus, & Hieronymus Gebuilerius, qui expresse Tuitzbergum vocat, quod Tuiscōnis prim: Teutonum regis olim regia fuerit.

Scilicet & Clodius, de crinibus ille, Comati
Nomen qui meruit Francus: ab urbe prior
Hac vires sumpsit, ac cæptam robore munit,
Hac sola Gallos vastat ab urbe leves.
Hic belli sedem, robur firmumque locavit
Quam Theodomirus rexerat ante pius.
Belgi hac Tornacum, Cameracum cæpit & urbes
Hac domitus, Clodio Gallus obaudit iners.
Regia eis eadem hic quæ quondam maxime Tuiscon
Prima tibi fuerat firma vetusque fuit.
Hinc immortalem Clodii successor adoptat
Childericus: claram fida moneta jubet.
Quæ docet hic Francis (quod eorum & facta loquuntur)
Præsidium: exulibus perfugium esse viris.
Sic igitur populis primo fundata domandis
Arcendisque procul mœnia jacta minis,
Hanc belli laudem; tenuit fida, atque trophæa
Sunt invictorum hic sola, & asyla virūm.
Dum libuit Marti pietatem jungere, summique *
Armis aut cultum voce docere Dei.
Nam Boreæ sævæ dum vult gens rustica Christo
Victori cristas eripere hocce loci:
Et minus objectis venienti adducier ulnis
Idolisque cupit ludier usque magis.
Sola velut vindex urbs gentis fida profanæ
Succurrit: terræ cæcaque damna gemit.
Carole, datque fidem tibi regi, maxima censens
Lucra, novum Christo adducere lege gregem.
Hæcque jubet regi fortis prudensque referri
Consilia alma, sinu ac arce relata Dei. (*)
Rex pie, quod nostris tuleris ter maxima Regis
Munera, qui regnum rexque Deusque manet:
Semper & excelsa veniens hue sede tonantis
Sceptra tulit Christus, factus homo, ante Deus.

tempora redigitur, siquidem hinc civitas primo ab historicis nuncupatur.

Anno Christi 350. Moneta Childerici Frāci regis, cujus inscriptio ab anno latere Childericū: ab altero Duisburgum refert, & in præsentem usque diem apud Senatū & Comitem Morsensem asservatur. sedem fuisse hic Francorum testatur.

* Ex hac urbe, Westphalia conversa est à Carolo Magno ad Christum, ut testatur libellus supplex Civium Duisborgēsium, in Comitiis Constantiensibus exhibitus.

(*) Oratio Duisborgēsium ad Carolum pro conversione Westphaliæ.

En mea

En mea regna tibi pateant, hæc armaque nostra
Sint pia tentanti, ac regia grata tibi.
Mira est durities populo quem flectere tentas
Est gens sæva, minis territa sola meis.
Nam licet invictus genitor, pia dona Pipinus
Præcones verbi per sua secla dedit.
Quos dudum Egbertus dederat pius antè Britannus
Christi præcones per loca vasta viris.
Swibertum, comitum referentem stemma decusque
Tum Nortimbrorum, ac te Winiberte gravem.
Quos decas exiguo cultuque ac voce venusta
Ornat Apostolicos, munera digna viros.
Ac hi melliflua, quamvis pia pectora voce
Ceu tuba mulsissent, hos dederintque sonos:
Idola, insani! Christo veniente, facessant,
Concedant Christo jure vefanda Deo.
Illa ferunt ditis letalia vulnera: Christus
Aeterna veniens, vulnera ab arce levat.
Hæc Phlegetontis aquæ: Christus fert flumina vitæ.
Tantaleam illa sitim: ha non sitiuntur aqua.
Isthæc præstigiis dementant pectora vanis:
Vera at Christicolis, gaudia Christus habet.
Horum Tartareas reserarunt ludicra portas
At vita pandit Christus amatus iter.
His dudum Christo servimus vocibus acti
Nos, nec non Fesulæ, vosque Tremoniades.
Et pietate sua nobis Essendia chara
Audiit hosque sonos Westphalus omnis ineri.
Non tamen insanam voluit gens aspera mentem
Flecti, nec Christo nomina fida dare.
Sed vanis fædè idolis, Christo sine, servit,
Ac cervice vafra, nosque Deumque spuit.
Et quasi cunctorum spernens, ludensque Deorum
Atque ducum vires, non referenda facit,
Tute igitur, pietas tibi si rex Inclyte curæ est,
Sive salus populi, cæpta peracta face
Atque tuo Imperio submittito. Christi ad asylum
Ducque vagos: Christus sit Deus hisce pater.
Quin mea sceptra tibi venienti, ac mœnia firmo
Præsidioque meo, gens vaga victa cadet.
Hic fuit antiquis Francorum regibus alma
Regia, præsidio hoc Gallus in arma tuait:
Has tibi firmavit sedes fidissimus heros
Oblonga Clodius, nobilis ille coma.
Hilderici que fides voluit diplomaque, salvas
Francorum ducibus, & nova regna piis.
Spernant Bructeri Idolum te Principe docti,
Me duce, & auxilium dante locumque tuis.

Duodecim verbi præcones (inter quos præcipui fuere Suibertus è familia Nortimbrorum Comitum Angliæ, cujus corpus Reiserswerdæ quiescit, Winibertus, postea Benedictus nuncupatus, ac primus Episcopus Moguntinentis factus, qui Wirteburgi visitur, ac Willebrordus (Episcopus Trajectensis factus) per Egbertum è Saxonia oriundum, tunc Angliæ præfectum, in Saxoniam ac inde per Pipinum per totam Westphaliam, quæ Saxoniâ erat, & Phrysiam missi duas maxim. nationes ad Christi jugum ac agnitionem perducunt, anno Christi 710 ac eum sequentibus, ut testatur histor. Martellini, & Chronicon.

Comitum ac Ducum Cliventium.

Sæpe igitur revocate veni, gentemque domato
Immitem, ac Christo fidere coge vagam.
Suaserat: ac dictis veniens Rex castus obaudit
Advehitur procerum casta caterva simul.
Caroli ingressio in urbem, ad fidem Westphalos ut cogat, graphicè depicta.
Hinc equites Franci veniunt, venit inde juventus
Regia, cui est auro lancea lata, manu
Clangentisque tubæ inflator spiramine buccas
Complentes, hinc mox unus & alter adest.
Fulgida queis humeris auro taratantara pendet
Insignita, novos dans variata sonos.
Cunctantem expectant valvarum ad limina primi
Vrbis, & incultus plebs sociata Dei.
Advenit extemplo rex auro insignis & ostro,
Et pia dat sonipes gaudia voce ferox
Mox tuba melliflua sonitu taratantara dixit:
Rex venit & proceres en pia turba Dei.
Advehiturque gregas magna stipante caterva,
Auro intexta chlamys brachia longa tegit.
Sceptriferumque viro capitis diadema recludit
Tempora, quo crinis longior ecce micat.
Ac torque aurato circumdata bellica colla,
Aurea quin etiam tegmina monstrat equus.
Purpureaque ocreæ, ac auri calcaria fulvi,
Sceptrum adamante tenet dextera firma micans.
Læva tenet frenum contextum inflexilis ostro,
Dantque decus Regi, grex, procereſque pii.
Ingreditur: cives arcem intra mœnia monstrant
Quæ regi sedes præsidiumque fuit.
Accursant proceres, præsenti vina coronant,
Munera grata duci civica (mos patriæ is:)
Ac modios statuunt certos pro more, caballis
Civium, avenarum, munera prisca, novis.
Detentos mensa proceres rex ipse per arcem
Exhilarat, causam, consiliumque refert.
Scilicet ad Christi ducendam pascua gentem
Carolus Magnus, milites Duisborgo, ac Cõcionatores verbi per Westphaliam mittit, vnd richtet die Vhem vff/ die sonder Gehessen vnd vrtheil die vnglaubigen erwolgen mochten/
VVestphaliæ: atque audit consilia alma Virûm.
Hinc clypeos Marti, verbique minantia, vates
Arma parat: sapiat docta vel acta quibus,
Moxque cruces flexas, flammasque rotasque per agros
Erigi, ut aut sapiat gens pereatve, jubet:
Ac populum insanum laqueato vindice cogit
Qui sine lege viros, qui sine rege neget.
Quem modo Delbruges, quodam gens Westphaliæ omnis
Inpretio posuit stigma rapax fidei.
Hinc ea Dispergum dixerunt tempora priscum hoc
Duisburgum sparsas quod fovet acre manus:
Carole quodque tibi fuerit ter maxime regi
Regia & exierit Teutonis arce fides.

Sparsa

Sparſa per & ſaltus, vindex manus impietatis,
Weſtphaliæ, hinc fuerit: ſparſerit urbſque fidem.
Martia quo noſtris Vulcaniaque arma minantur
Perjuri, rupto fœdere, lege, fide.
Scilicet Italiam dum Carolus ipſe petiſſet:
Vindicta ſtatuunt tempora juſta Vafræ.
Conglomerata acies in proxima caſtra feruntur
Sauciat immitiſque ultio, corda virum:
Nempe & Hereſpergi caſtro, gens dira minatur:
Atque dolet fraudes ludier arte ſuas,
Et noſtros terret turritos machina muros
Per vim perque dolos perfida turba ruit.
At portis alii cives bipatentibus adſunt,
Mœnia pars ferro fortia lecta tenet.
Obſedere alii telis per mœnia turres
Turribus ex altis bellica ſphæra volat.
Donec & exuſto partim, partim agmine rupto
Turbatiſque alis miles equeſque ruunt.
Vnanimeſque ſimul portis bipatentibus adſunt
Armati cives, conglomeratique aciem.
Nec minus imbelles celereſque per æquora cervi
Quam poſitis fugiunt cornibus attoniti:
Sectantes fugiunt cives, per prata per agros
Ponte valens, donec Lyppia mergit aquis.
Atque fuga paucos elapſos ſervat & unda
Reſtituitque urbi pignora grata, viros.
O igitur cives iterumque iterumq; beatos
Quorum libertas ſola fideſque ſient.
Scilicet & fidei cogendæ prima, domandis
Et populis, urbis mœnia jacta, piæ.
Hinc libertatem caramque fidemque propago
Teutonis emeruit, Regiaque Imperii eſt.
Verè Teutonia primum quæ fida monarcham
Fida tenet, fidei ac ſemina prima dedit.
Regiaque hinc manſit, quæ regibus ante, monarcha
Conſiliique locus de actibus Imperii.
Scilicet ob victos, Regnique ad fœdera ductos
Vaſcones, & Calabros, Saxoniaque duces.
Pannones ac hiſtros, cum regi ſerviit uni
Oceanuſque vagus, Danubiuſque rapax:
Non ultra potuit regni forma eſſe capacis
Nomen ab Imperio rex pius inde capit.
Nempe Deo reddens caſtiſſima vota, preceſque
Auditas: Chriſto quo annua ſacra Deo
Stant nato Romæ, Romanorum induperator
Dicitur: Impoſitum hunc & diadema facit,
Pontifice, & populi voxconcors læta canentis
Carole dive, tibi vitaque & Imperium.

Hinc Duiſburgum irruptione invadere conantur Caſtelo in Italiam profecto, ut teſtatur Regino Anno Chriſti 776.

ut teſtantur Reformationes & Chronica Colonienſium Epiſcoporum, ac libellus Supplex civium Duiſburgenſium, in Comitiis Conſtantienſibus exhibitus, cujus copia, in Archivo aſſervatur.

Hinc Imperatore Germanorum facto Carolo Magno, urbs fit imperii, ac locus habendis Conciliis Imperii, aut Synodis Imperialibus.

Johannes Cuſpinianus in vita Caroli Magni.

Palma ſit Auguſto tibi Carole maxima, ab alto
Cui venit Imperii juſta corona Deo.
Induperatoris magni pacemque colentis
Carolo ab hinc nomen per vaga ſecla ſiet.
Sic urbs priſca pio nomen cum rege reliquit
Regium, & Imperii regia facta fuit,
Conſiliique locus. Quas namque hic inde monarchæ
Tractarint cauſas ordine quaſque cano.

ANNALIUM, SIVE ANTIQUITATUM Veteris *DVISBORGI*,

Liber Secundus.

Anno Chriſti 917. Synodus Duisburgi ſub Henrico primo Romanorum rego cocta excommunicavit eos qui Bennonem, Metenſem Epiſcopum exoculârant.

FOrſan Bemoni fuerant effoſſa Metenſi
Lumina, quo Henricus tempore Sceptra tenet
Imperii Saxo. Res acris, legeque flecti
Imperii digna, ut Præſulis acta ferunt.
Cæſaris Henrici cauſa hæc defertur ad aures,
Et facinus petiturque ultio ab Imperio.
Imperio præſul paret, præbetque Metenſis
Auxilia, hoſtilis dextera ſi qua premat.
Quare hinc & petitur defenſio juſta, peracto
Pœnaque de ſcelere, haud crimina inulta manent.
Conſilio hanc igitur Cæſar deſignat habendo
Duisborgum, claram flumine, fronde, ſitu.
Nempe ea præſulibus gratiſſima paſcua lautis
Flumina, torrentes dat, viridanſque nemus,
Ac Cererem pinguem, Bacchi donaria læti
Qua longis mittit Rhenus avarus aquis.
Quo pro more ſuo tendant venabula cervis
Aut apros ferro lancea lata ſecet:
Aucupii ſolers animos recreare ſagaces
Cura ſciat, canibus ſtet ſua cura feris.
Scilicet hæc Synodi conſcripta ſingula poſcunt
Pontificum, hæc prima, ac anxia cura virum.
Hinc banno ſtringunt ſacro vaga crimina: morteque
Vlciſcenda fera, vox tulit una virum.
Vrbs nec conſilio, triplici haud ſignata corona
Eſſet (cui ſummum conſtitit orbe decus)
Ni celebris regi, niſi nobilis ipſa monarcha
Sedes Duisburgum, ac regia celſa ſiet.
Nempe viris lautis ac mollibus ardua ſemper
Lætaque monſtrantur, paſcua, caſtra, domus.
Hinc ut ad imperii pervenerat Otho coronam,
Frater & Henricus flagrat amore pari:

Cuſpinianus in vita Othonis.

Gloria

Gloria Teutonica remanet par gratiaque urbi,
Conciliat, quæ animos sola petita ducum.
Scilicet Henrico socialia junxerat arma
Francus Eberhardus dux vafer, arte duci:
Accitus regni dux æmulus ac Lotharingi.
Queis præsul dextram junxerat ecce suam
Incertus (pietas eà triplicis usque coronæ est)
Vnus, itemque alter quo pius Otho cadat.
Sic animos fratrum in plus quam civilia pellunt
Arma: necesque movent fraude doloque duces.
Sed pius hæc potuit compescere rite Suevus
Conradus: cui mox dat pius Otho fidem.
Nempe & Eberhardus rutilo configitur ense,
Præcipitem Rhenus te Lotharinge vorat.
Fis supplex fratri, veniamque Henrice precaris
De sociis anceps quæstio mota fuit.
Nempe armis positis Duisborgi regia regi est
Othoni sedes, tuta decensque pio.
Huc proceres Franci, proceres nec non Lotharingi
Conscripti veniunt, turba canora virum.
Hic volupe est oculis regem lustrare coruscum
Nec non magnanimum lumina magna ducum.
Namque ibi qua medios circumdant mœnia cives
Arx alta, ac celso vertice clara nitet.
Qua nova consurgens dum spargit lumina Phœbus
Conjugis & croceum linquere dulce thorum est.
Illic qua regi post atria longa cubile est
Franci concurrunt, & Lotharinge venis.
Atria sola tenet, nigram detentus ob iram
Conradus sapiens. Ferbuit ira viri.
(Ira ultrix scelerum justissima corripit artus
Heroum, infidos dum pia pœna manet:)
Quæque diu tractant de Francorum, ardua, pœnis
Ac Lotharinge tuis consilia hæc Sapiens
Temnit: & has divum conscriptas munere sentit,
Rhenus ut hunc: illum, dum mala ferra necant.
Ingressusque virûm pius increpat ora, jubetque
Tempore compesci labra soluta levi.
Compositusque animo sapiens mox ora resolvit
Hosque dedit rapidos voce sonante sonos:
Quid procerum pœnas patriis inquirere juste
Orbatis nimium candida turba juvat?
Sufficiat ducibus patrias privasse duobus,
Sufficiat ducibus pœna soluta suis:
Quin magis externa in pœnas decernite ferra
Surreptamque fidem, subdola consilia.
Quin Trevirus regi Ruitbertus fœdera fregit,
Ecce Leodinus fregit & ipse fidem.

Regino Anno Christi 944. Duisborgi Conventum Lotharingis ac Francis indicit

Oratio Conradi Suevi cognomento Sapientis Trevirûm & Leodinium Præsulem perfidiæ accusantis Duisburgi.

Cuspinianus in vita Othonis.

Ac

Ac majestatis læsa sunt crimine justo
Damnandi, vafram his qui tribuere manum.
Præsulibus ludi regemne impune duobus
Stat mens? an pœna fraus caritura sacra est?
Quin quo præsulibus fidei plus rege tributum
Rupta cur non ultio major eat?
Si locus Imperii hic cultus de crimine pœnas
Extor sit justas semper, & arte viros,
Perdomuit vafros, ceu rupto fœdere cassos:
Sentiat hic pœnam Præsul uterque suam.
Dixerat: extemplo præsul sua facta vocatus
Absens, jure suo, purgat uterque probè.
Hæc igitur tractata viris transactaque summis
Antiquum retinent nomen in urbe pia.
Donec consiliis ornata frequentibus alma,
Sedibus ac regum clara per ora Virum est.

Anno Christi 1145 Cōradus Suævus Rex Romanus jubet arcem in urbe Imperialem ædificiis circumcirca constructis, ornari, ut testantur scripta & assignationes in Archivo urbis asservata.

Regalique iterum hic Conradus sede locata
Perfecit dignum principe Suavus opus.
Scilicet ad Rheni postquam diadema fluentem
Mosæque accepit regia sceptra pius.
Atque petitoris Bavari pacasset avari
Vincendo lites: haud Solyma alma prius
Visa est heroi, quam sedem ornare juberet
Imperii ve arcem, candidiore domo.
Vrbe etenim media, qua nunc ea cincta corona est
Cive remota pio, arx constitit Imperii.

Descriptio arcis antiquæ.

Planicies domibus vicinis concita nullis,
Vasta, ingens, posita nobilis arce sua.
Qua licet ad numeros sphæraque equitare caballos
Ac regum mulcet mollis arena animos.
Dum per saxiferam sonipes crispatus amœno
Vestitusque ostro regia colla ferat:
Munitosque duces clypeis & arundine gestet
Objicit ac humeris hostibus ille ducum.
Hæc media fuerat triplicato vertice prisca
Conspicua, & trina arx condita turre, ducum,
Quam circum, jussit turresque domosque Suavus
Condier, ut sociis hospita alma sient,
Imperii, aut regum: domibusque ea regia structis
Crescat, visentur regia, rexque pius.
Quæ modo & Imperio priscos dant singula census
Arcis & antiquæ nomina prisca tenent.
Reliquiasque arcis cuneo & fundamine monstrant,

Transitio ad Mercaturam quæ multis annis floruit circa annum 1173.

Nunc mercatori gaudia certa vago.
Scilicet ut Regum liquerunt stemmata claram
Inque duci dotem, rex dedit hancce piam.
Haud celebri cessat claréscere (splendida semper)
Mercatu, gentique emporium est celebre.

Hucque

Hucque ſimul Cattus, Flanderque ac Belgia merces
Certatim apportant, navigio, axe, rotis.
Vellera fert Cattus molliſſima, Flander at oſtrum
Heſperidumque ignes: Belgia aroma nigrum.
Bacchumque ac Cererem Germanus: nobile Rhenus
Flumen, quæ celeri mittit ab arce rate.
Donec & Alſatius, Flandrorum forte Philippus
Debita vendendi hic Cæſare jura capit.
Nempe ea jura pii Frederici extorſit ab ore
Teutonica pannos vendere in arce ſuos.
Vendere majori neque vectigale ſoluto
Agrippinati, quam ſolet ante dare.
Si quod eo ſetiam forſpreſſerat as alienum
Hoc non contractum, venditione foro.
Regia ſolvebant totum diplomata Flandro.
Dummodo ſit conſul conſcius ipſe ſibi.
Quæ paſt nec natis, nedum pia jura nepoti
Rixarum molem ſurripuere ſuam.
Præſul Agrippinus ſiquidem per ſecla Philippus
Has leges cenſens noxia damna ſuis:
Mercibus exutos raptu ſpoliavit opimo
Teutonica claros merce vel ære viros.
Vnde minas Regis ac decreta horrida perfert
Henrici donec ſpeſque metuſque ſimul
Reddere ſublatum regique obedire minanti
Compellunt dirum ac ſcomma vorare ſuum.
Quo prius edictis præcox illuſerat illis
Quando monarchatum poſtulat ipſe ſibi.
Singula quæ emporium clarumque fletiſſe loquuntur
Ac ſua tutatum robore jura pio.
Vtque minor non eſt virtus quam quærere, partis
Addere quæſitis calcar aduſque bene:
Sic ſua tutantur ciues donata Monarchis
Iura ſibi vivo conſilio, ære, manu.
Nempe Moguntinus, Argentinuſque teloni
Aſpera rixoſi dum male jura petunt:
Diraque detentis ratibus minitantur avari
Quam mens alta viris perdidicere, ſiet.
Nempe Sigiſmundi fortis per ſecla monarchæ
Inque Bohemorum finibus ora petunt:
Adque frequentatæ Synodi rem celſa tulere
Conſilia, ac raptus noxia damna canunt
Ante Sigiſmundi (nec enim ſine Cæſare flecti
Conatus poterant) ora decuſque petunt:
Hunc precibus, ſancto tandemque hunc jure fatigant,
Donec it in caſſes præda petita virum.
Ille etenim diro Argentinos fulmine terret,
Iuris & antiqui reddere ſacra jubet.

De privilegio Flandrorum pannos vendentium Iacobus Mejerus, Balleola, in Annalibus Flandriæ.

Eam legem ſpoliatis mercatoribus Colonienſis Archiepiſc. tollere conatus eſt Anno 1184. Krantius.

Laus civium à diligentia defenſorum privilegiorum.

Argentoratenſes ac Moguntinos cõtra privilegia poſcentes Telonii exactiones in Concilio Conſtantiẽſi, in Rotwiler, (ub tum fuit Camera imperialis) & apud Sigiſmundum Imperatorẽ tamdiu defenſione jurium inſectantur: donec relictis auctiſque privilegiis cum ipſis paciſcantur.

Qua

Anno 1415. quod recitatur libellus supplex. & literæ ratificationum. Anno 1418 Argentorati datæ.

Quæ quondam Albertus, tu & Carole quarte Monarcha
Civibus e meritis præmia digna, dabas.
Nempe hos ut stringat exactio nulla teloni
Romanus late quam vagus orbis erat.
Fulgentisve auri persolvat pondera centum
Exactor, diras Cæsaris atque minas.
Queis sic inviti tandem sua jura relinquunt,
At merces tuta ferre referre rate.
Quaslibet æterno placiturum fœdere nectunt
Fœdere quod sacrum sit soboli usque piæ.
Aſt ea cum valvis, domibusque loquuntur & agri
Juraque principibus addita sacra viris.
Quorum à convecto hæ dicuntur stipite, earum
Ingenti accessus merce nitere vides.
Ac bifores altæ cara per secula merce
Plaustra gravata canunt isse redisse viris.

restituuntur cives Hanzæ Teutonicæ Anno Christi 1466. equitibus Geldrienſibus mille numeratis: ut testantur literæ in Archivo.

Et quod Teutonicæ comunctam cernimus Hanzæ,
Vrbi quæ nummis reddita mille fuit.
Maxime quin etiam decoraſti hanc Aemiliane
Adventu cunctis nobiliore tuo.
Dicis & Imperii dignam quæ sedibus urbem
Floreat, & prisco nomine grata siet.
Distractas etenim mentes unire voluptas
Dum summa Agrippæ perstat in urbe tibi.

Anno 1508. Maximilianus Cæſar. poſt obitum Philipp: Regis Hiſpaniarum ab Hollandis, atque adeo toto Belgio poſtula us tutor innocentis Hiſpani, totiuſque Belgii defenſor: in Frandriam navigio devectus quatuor diebus Duisborgi remanſit, reverſuſque è Belgio anno proxime ſubſequente ſecunda Aprilis ducentorum equitum 800 pedirũ Comitatu Duisborgum ingreſſus omnia Duiſborgenſium antiqua privilegia confirmavit & auxit.

Trinis antiquam vicibus lustrare monarcha
Dulce fuit: sedes visere & Imperii.
Quin etiam Superum gnatus dum sorte Philippus
Appetiit vita candidiore domos.
Teque simul Flander carus, Batavusque, Zelandus
Tutorem, ac reliqui, competiere sibi.
Has partes visens & adornans rege coruſco
Duisborgum sedes nobile cara tibi est.
Navigio celeri vecto cui dulce diebus
Est animum hic quatuor exhilarare pium.
Quin rediens equitum repetis comitatus eandem
Ornatu centum bis, peditumque bono,
Visere nec satis est, sed priscis juribus addens
Ornasti, quando visere, jure, licet.
Hactenus hæc igitur: quo fundatore locata
Queis crevit ducibus: Regibus alma quibus:
Regia, queis fuerit dudum & famosa monarchis:
Quæ domita hac fuerit, gens data quæque Deo.
Et quibus est notus Regum post limina civis
Licta, virisquos vel Parrhasis arctos habet.
Hinc quibus urna levis fuit hæc heroibus addam
At stabilita pie, quam pia dona viris,
Relligioque tibi dederit: quam semper asyla hic
Exulibus fuerint firma & amœna tuis.

Maximilianus primus in Comitiis Coloniæ Anno 1505. habitis ter Duisborgum venit eam Imperii ſedem teſtatus

Katzebuc.

Quæ

Qua quondam facies quæ nunc, quam maxima dudum
Senserit & Φύσεως munera cara suæ,
Quamque habitura diu: res hæc quam publica formam
Senserit aut faustam, vel minus ipsa, sibi.

ANNALIUM, SIVE ANTIQUITATUM Veteris *DVISBORGI*,

Liber Tertius.

DVisburgi fuerint cum sola rosaria magnis
Regibus, haud ulli sæva palæstra duci.
Bellis urbsque virum raro vexata molestis
Atque monarcharum gaudia sola piûm:
Hinc paucis, fulgens lugubria funera præbet,
Regibus hinc cineres ossaque rara ducum.
Et Limborgensi Comitem de sanguine solum
Abdidit, & nigro monstrat amœna rogo.
Scilicet hoc claro comitum Guilielmus obortus
Sanguine, Toenburgum dum mala Martis habent
Ac sævo cinctum vix hiscit milite, clarus
Concidit ingenio, sanguine, Marte, manu,
Adque rogos patrios, donaria tristia in urbem
Sacrificum, tristi funere fertur eques.
Ac cineres patrios, urnamque expertus amœnam
Tellure Augustus conditur ecce nigra.
His ibi principibus gelidam qua spectat ad Arctos
Vrbs, arx prisca fuit ac spaciosa diu.
Quæ prope contiguas concludit limite portas
Qua sævus Boreas, qua levis Eurus abit:
Præ celsis intro constructa cubilibus, aula
Regia sublimi condita celsa penu est.
Ambitus ingressu primo, ceu regis amœnus:
Hortus odoriferis floribus inde nitet.
Constructa ut pellat Boreali parte coruscum,
E muris hostem, sancta propago virûm.
Scilicet est ipsis constructum mœnibus urbis
Excubiis turres monstrat & illa datas.
Eximiæ specimen fideique, ac pignus amoris
Heroas inter Teutonis atque gregem.
Nempe fidem dederant: comites hi civibus almi.
Auxiliique manum, per vaga secla piam.
Iure etenim sancte jurando Henrice peracto
Et Guilielme sacro, hanc additis, ecce fidem.
Propulsaturos sævum de mœnibus hostem
Teutonicis: civique auxilia alta datis.

Anno 1473. Guilielmus Comes de Limborg & Broick, qui in obsidione Toenburgēsi perierat hic Duisburgi, in cœnobio Minoritarum quod quondam fuit Comitum Limborgensium Domicilium sepelitur.

Descriptio Cœnobii Minoritarū, quod quondam, arx Comitum Limborgensium fuit.

Sunt in fœdere cum Duisburgēsibus ac hdem eisdem dant Guilielmus Comes in Limborg, & Dominus in Bedbur. Anno 1450. ut testatur propria confessio sub sigillo comitum eorundem in Archivo. Item Theodorus, Comes Limborgensis & Dominus in Broik, Anno 1418.

Sive

Eberhardus comes Lymburgensis & Dominus in Hardenburg Anno 1420. Goswin Steck. Anno 1434 Henrich Romkan von Bosheim Anno 1370. Duo Conradi ab Eller alter Anno 1376 alter An. 1302. Bono. Dominus in Frimersum Anno 1377.

Sive foris caros civi populabitur agros
Inter ceu torvus, mœnia victor eat.
Tamque sacræ fidei non sumere temnitis arram.
Et dare sub dextra, hæc certa sigilla manu.
Do Guilielmus ego Lymbergi in tempore princeps
Teutonico civi pectore & ore fidem.
Iuro repulsarum quemvis pro viribus hostem
Consiliis & opem reddere velle datis.
Hanc Theodore etiam tam chari sanguinis heros
Ipse fidem civi, Broikius alme dabas,
Quin & Eberhardus prædicti sanguinis heros
Ille Hardenburgo qui dominatur, eam.
Quin arras similes fidei dat proxima civi
Nobilitas, cuius nomina prisca cano.
Steckius atque fidem, dedit hanc Gosuinus, & inde
Romkanus gentis Bostemia ipse decus.
Et Knippenborgus, quin & Scheiffardia proles
Ellcriique duo sanguinis ambo, pii.
Atque Goterſuichus Ervvinus, Bonoque quondam
Ille Frimersummo, qui sua jura dabat.
Reinhardus dederat quin Hugenpodius ipsam:
Queis urbis semper mœnia salva viris.
Atque utinam tali floreres Fœdere, Mavors
Duisborgum, cum jam proxima quæque petat.
Suntque ducum quadam Lymbergi nomina, civi
Frugiferos & agros, & nemorum alta, pio
Munere, pro meritis quæ designaſse sigilla
Testantur, memorum signa canora ducum.
Namq; novam vocitant quam versam vomere terrã, &
Quam nemoris partem nymbifer Eurus habet:

Henrich van der Knippenberg anno 1374. Schiffart von Merode Herr zu Hemmersberg 1341.

Everwin de Goterſuick Anno 1351. Reinhard van den Hugenpoit Anno 1429.

Walravius etiam, dux Lymborgẽsis, in exhibitorum officiorum remunerationem civibus largitus est. datisque literis assignavit haec Meulant/ hus Ollerboss quod testantur literæ Annis 1277. & 1278. datæ.

Walravius largi dux nominis omnia civi
Largitus clari est stemmatis usque decus.
Virtutem populi fortem quæ cuncta loquuntur
Adque ferunt superum perpetuata chorum.
Virtutem cujus tam splendida præmia civis
Vsque tenet, fortis post vaga secla sibi
Quam, velut Invidiæ livor comitatur amarus
Præsul Agrippinus, non favet ecce viris.
Vel petit in prædam αὐτονομους, vel pignora cives
Dum sibi Susatum flet cecidisse vetus.
Scilicet aggrederis male proditione dolosa
Palmam, quæ δῶρον est Theodore θεῶν.
Prostratoque locas frustra spem remque decusque in
Milite quo muros scandere fraude paras.
Concutiunt etenim scapulosque humerosque secretæ
Noctis in ambrosiis, arma inimica viris.
Atque dolum civi vicinum murmure produnt
Clangor & adversi Martis, amica tuba est.

Anno 1445 in profesto Georgii Theodorus a Mœrla, Episcopus Coloniensis Duisborgum proditione adoritur.

Cuius

Cujus & ad ſonitum molitor prior, ordine cives
Mox reliqui, capiunt arma parata domi.
Conglomerant aciem, pars hoſtem mœnibus arcet,
Mœnia pars turreſque altera firma tenet.
Excurſant alii celereſque feruntur in hoſtem:
Incautum ferro mens ſuperare fuit.
Donec & emiſſi jaculi ſecreta corona
Summa petunt ſanctæ (ut fama perennis habet)
Ac ſua ter noto dat præſul nomina ponti,
Inque fugam lapſum ludier ore refert.
Vnde operam fruſtra quod luſerit ipſe moleſtam
Impenſas nihilo fecerit atque ſuas,
Luſæ operæ nomen, attentatique laboris
Fruſtra, vicinus præſule pons retinet.
Atque ſacrum panem per civis feſta Georgi
Sacra capit, precibus numina ſancta petens.
Vt ſævos ſimili poſt hac propellere muris
Hoſtes dignetur, gratia ſletque Deo.
Eloquar an ſileam? mœſtum ſub pectore vulnus
Contineo, latebras temporis ipſe gemens
Scilicet hanc triplicis quamvis fraudemq; dolumq;
Haſque coronæ artes mœnia noſtra ſciant.
Inque dies meretrix virus Romana potenter
Evomat, atque lares det variata novos.
Huic Gereona pium, Victorem huic ſyndone mollem
Sive Vitum ſaltus qui ferat uſque minas.
Seu venatorem Chriſti per devia Hubertum
Aut tete Antoni, qui ſue damna leves.
Labitur in vitium cæco cum tempore virtus
Denſaque caligo, mentis acuta rapit.
Deque nova lucri ſpecie ſua fœnora poſcens
Idolum hic finxit myſtica turba ſibi,
Non ſanctis celſi laudem dans parca tenantis
Laus quibus ulla tamen ſit tribuenda viris:
Aſt decus Aeterni idolo mutavit iniquo,
Et trunco patrio gloria ceſſa Dei eſt.
Quin magis incauto ludat quo callida vulgo
Nomina ſalvantis truncus avarus habet.
Monſtrum horrendum, ingens, forti de ſtirpe gygantum
Cui dextra exiguum eſt ſphericus orbis onus.
Virtus ſumma, Dei trunco carpſiſſe & honorem eſt.
Sum via ſum verum, ſum pia vita canens.
Huic poſt mille quadringentos annoſque decemque
Et tria luſtra, uno ſtat minus, orbe decus
Immortale Dei poſt orbem (triſte) redemptum
Vah ſcelus, Euge pudor, quo patria alma ruis?

Idolum Salvatoris erigitur, Anno 1464.

Secula quo ducunt te triſtia cæcaque fidam
Quo caligo tuæ nubila mentis abit?
Siſtitur en ſimili, Gereoni, Dæmone luſo
Xanctis, par dæmon poſcitur ecce ξύλῳ
Adque preces celeri rapidus venit ille volatu.
Corripiens truncum ludit & arte ſua.
Truncus & immanes Gereonis corripit artes
Lucraque correptus turpia ſurripuit.
Scilicet obſeſſum qui fors afflixerat orco
Mortalem: trunco dæmon avarus habet.
Vnde rapit quæſtum Gereoni callidus aſtu
Duisborgum trunco ludit & arte vafer.
Ac rictu virus quantumcunque evomit, ipſum
Miranda curat calliditate viris.
Dæmona, ab eo rabiem febrim, furias & Oreſtis
Aureque ſi quiſquam ſurdus utraque fuit.
Quin etiam pedibus claudus ſalvatur utriſque
Aut ambo ſi cui lumina clauſa viro.
Viſitur hinc cunctis, Bructero, Vbiis, Bataviſque
Menapiis notus, cognitus Haſſe tibi.
Æraque deluſo rapuit percara Sicambro
Dæmonis eximii claruit orbe ſcelus.
Salvator paucis Chriſtus: Salvator imago
Viſitur à cunctis, Teutonis arce micans.
Viſitur: Immanni non urbs, non Inclyta fana
Sufficiunt, Chriſti quæ patuere jugo.
Sed quæſtu ſurgens, populoque, ac fœnore nummis
Compoſitis, animi ſurgit & ipſe tumor.
Eque gygantæis (quod dictum) manibus orco
Protruſum, aggreditur grande gygantis opus
Saxaque congeſſit furtivo fœnore, ligna
Æraque præcelſi ſemina grata chori.
Et velut undivago ſpectantur ab æquore montes
Ceu qui contingant vertice utrumque polum.
Aut celſo affixi, veluti minitentur, olympo
Caſum: aut contiguos ſervet uterque globus:
Haud aliam celſa conſtruxit vertice turrim
Quam quæ cælicolis proxima ſpiſſa ſiet.
Quæque ſolent animæ Superæ grateſque decuſque
Ferre Deo, hac turris Dæmonis emineat,
Hac ludit media fallax homineſque Deoſque
Dum virus mordax quod vomuiſſet, edit.
Hac panchæa ſibi deferri thura miniſtris
Eſt volupe, ac laudem pangere utrumq; chorum:
Huc linum, huc ignes ardentes, æra, columbas
Munera deferri qualibet atque deûm.

Exſtruitur turris hæc ampla Idolo ut inſculptũ vanis templi antiquum monumentum teſtatur.

Sique caput lusor fortasse attolleret heros
Angelicum liceat visere calce chorum.
Pangimus ecce tibi decentem dulce tonanti
Voce melos: Dominum teque fatemur, eho.
Ac mediam circa turrim qua prominet illa
Hos tuba terribiles dat variata sonos.
Numinis has laudes, ac fraudes Daemonis æstu
Per tria secla minax, & tenet arte gygas.
Donec ab exilio tristi Salvator Iesus
Redditus, eripuit vimque, dolumque, minasque.
Atque piam vivo reddit de lumine lucem
Et fallax Christi figitur ense gygas.
Vmbraque concedit radiis, lucique tenebræ,
Vivificoque Deo Daemon amara ferens.
Vtque prius Daemon civi ludebat avarus
Sic animis regnat Christus abinde piis.
Exulibusque piis fortissima præbet asyla
Duisborgum, ac portum relligionis habet.
Nempe Euangelii radios dum luce Britannus
Ante data spernit, persequiturque levis.
Exilioque notat, vel dira morte, nefando
Quotquot læta Dei colla dedere jugo:
Sedibus è patriis concedit casta caterva
Relictis partis ante labore gravi.
Atque sibi portum, vocem resonare tonantis
Christi quo liceat, quærit ubique sacra.
Non Batavus trux, Idoli non cultor avari
Flander, vicinus nec Phryso præbet eum.
Obvia sed castis, expansaque brachia præbet
Duisborgum, ac portum monstrat amæna suum.
Quo liceat casta Christi præconia voce
Pangere, quo pulso ferre trophæa Deo.
Vtque refert lætam cum æstiva canicula messem,
Atque ignes lingua fervidiore canis.
Odit, & accensus ranco spiramine corvus
Crocitat, & sitiens æquora cervus amat.
Sub patula volupe est requiescere tegmine fagi
Æstivosque ignes gratior umbra levat.
Sic pia Christicolum nostra requiescit in umbra
Turba, piumque dedit lumen opaca viris.
Vtque ratis, rapidis jactata per æquora ventis
Vela ubi cum clavo nymbifer Eurus habet,
Sola sibi lætam de portu ferre salutem
Læta solet, portus quærere tuta sibi:
Sic & Christicolum, portum defessa caterva his
Repperit, ac animi gaudia grata sui,
Quo jactata diu sinuata per æquora sistit,
Deliciasque animi sumit amara sui:

Idolum Salvatoris fictis annis 91. Anno 1555. Senatusconsulto sublatum est.

Navigat in portu tuto tranquillaque noſtro
Donec de turbis æquora tuta ſilent:
Erumpenſque rapit vires lux inclyta, cedit
Ac Euangelio lex vaga Pontificum.
Quin ſimilem Belgis modo monſtrat candida portum
Dum furiis flammans ſævit Iberus atrox,
Atque pio lucem populo fruſtra abdidit almam
Quam veniens dederat Chriſtus ab arce patria.
Vique gygantæi cumulati vertice montes
Summa Dei quondam culmina mole petunt,
Inde Iovis fracti lethali fulmine, cunctos
Abſumunt, operis noxia pœna mali:
Sic pius hos ſervat turbato flumine portus
Donec mole ſua concidat Auſonius.
Congeſtoſque ignes, cumulataque ferra per agros
Conſutos laqueos, fulmina, dira, minas
Belgis: ceu ſævis furiis agitatus Oreſtis
Concitus Heſperiis inferat hoſtis agris.
Et libertati, grex dudum pulſus, avitæ
Redditus, expulſo gaudeat Heſperio.
Atque fruens portu hoc, patriæ lex ſancta per agros
Oppidaque & vicos abſque ſtet Auſonio.
Haſce tibi vires Duisborgum ô florida portum hunc
Has umbras, civi ac proſpera aſyla tuo.
Agnoſce è faſtis mens præbet dives ἀριστων
Numina poſſt ſuperi ſola beata Dei.
Noxia bis decimi, ac trini quod damna loquuntur
Civis, ab hinc anni: raptaque jura tibi.
Ac ſuadet rectè ſapientum adhibere κεφτίαν
Haud uni, multis tradere jura viris.
Epilogus cum exhortatione. *Vos ô Noïades, ô Tuiſconis alma propago*
Franconum ô ſedes Teutoniaque decus.
Regibus antepiis, mox ſedes firma monarchis
Hinc Mercatori præmia magna ferens.
Teutoniæ agreſtes quæ prima hinc artibus auſa es
Informare, pio Tuiſcone rege viros.
Mox pietatis habens ſancta pia ſemina: victæ
Romulidum genti hic ſacra trophæa locas.
Atque Iovis geminum volucrem jam vertice torto
Victrix à victis regia ſigna tenes.
Primaque Weſtphaliæ Chriſti pia dogmata genti
Re pia non verbis, munere caſta dabas.
Exulibus Chriſti hinc portuſque, ac nobile aſylum es
Mœnia ſtantque piis fortia ſola viris.
Quamque monarcharum celebrem virtute favores
Conciliaſſe juvat, jura tenere juvat.

Et

Et virtute gravi, raro quoque parta labore
Hactenus invicto robore sola tenes.
Hos precor annales, nostra & precor omnia sume
Grata tibi, è monitis stet decus omne pie.
Semideis ortam pietati crede locatam
Tete, ac virtuti hinc nomina tanta tibi,
Hinc ea jura, animos heroum, hinc singula: pactum
Infractam, Cereris maxima dona pie.
Faunique agrestis sed grati, pignora, sylvas
Neptuni regis flumina dona pii.
Intemerata Dei Christi tibi dogmata serva
Tramite directo, dextra sinistra meet.
Atque idola, prior qua causa es, contemnito fortis
Qua Christi eripiunt, noxia cunque decus.
Temnito, & exulibus Christi prabe inclyta portum
Et quibus est casta relligionis amor,
Hinc pia jura gravi quondam tibi parta labore
Virtutis prisca cara sigilla tua.
Protege consilio, Christique juvamine, lege
Riteque sancita, pace avibusque bonis.
Vnaminem populum dicentem justa, caveto
Pellere consiliis, pelle repelle levem.
More suo insanum verbisque ignobile vulgus
Pascito spe cauta: mens at ἀριστε tibi.
Ignavum, instar apum, fucum præsepibus arce
Non sint ignavo munera casta gregi.
Pervigili merces, nec non pia munera civi
Ignavo merces maxima, nulla dari.
Vtque fuit virtus atavis, arcere rebelles,
Maxima, muneribus pellicere obsequium:
Atque datis alacres virtuti reddere donis
Dum sua delictis debita pœna meet:
Sic tua cura animos semper tueatur ἀρίστους,
Quorum è stirpe atava, mensq; fidesque patet.
Casta & erunt, falsis idolis mente remotis
Fanaque præconum ac buccina casta λόγου.
Intemerata simul lex & respublica crescent
τάξι ornata bona, venditione forum.
Curta consilio, firmata mœnia pace
Civis amore pie, messe colonus ara.
Non glandes sylva, haud victum Dodona negabit
Pisce rapax torrens, flumina plena suo,
Et crescent vita lato pia munera civi,
Nomen & Aeoniis urbs pia tollet aquis.
Qua tibi dat patria verus pater, & pius heros
Omine sacrato Christus ab arce Patris.

Santena Origo. Santena à SS. Martyribus Victore eiusque Sociis 360 ex legione Thæbæâ Christianâ, cujus Dux Mauritius ob Christianismum à Maximiano Imp. decumatis & cæsis appellata, in eorundem memoriam cœnobio primum, ut Regularium Canonicorum Phrontisterium esset, condito, quod labentibus temporibus in irregulare commutatum, authoritate Friderici Archiepiscopi Col. Anno 1128 indict. 6. 11 Cal. Aug. tempore Lotharii Saxonis Imp. consecratum est.

Privilegia. Ab hoc Collegio paulatim aliis ædificiis accedentibus oppidum succrevit: Leges vero, & privilegia inprimis quo ad venationem in oppidi districtu liberam, salvum conductum, debitorum exactionem, Homicidarum, atque circumforaneorum pœnas Novesiensi Reipublicæ in omnibus similia ab Henrico à Mölenarck Archiepisc. Col. 8 Julii anno 1228, anno 1255 à Conrado Hochstedeno, & anno 1309 ipsa Bonifacii ab Henrico Viernenburgico itidem Archipræsulibus Col. Ab hoc etiam de tributis immunitatem accepit. In immunitatibus ab Henrico à Molenarck concessis præsentes fuêre Godefridus præpositus Santensis Archidiaconus Col. Hermannus Advocatus, Hermannus Mareschalcus, & Goswinus ejus filius, Franco Pincerna, Theodoricus Dapifer, Theodoricus Culinæ Præfectus, Henricus à Leichlingh Mareschalcus, Theod. Mœrsæ Comes, Arnholdus à **Gotterswick** Arnh. de **Luttinchove**, Henricus de Alpen, Gerhardus de Loe, Henricus de **Volmenstein**/ Theod. de **Venne** Advocatus, Bernh. de Reesa, Theod. de **Pollwich**/ Otto & Theod. de **Velligholfen**/ Joannes **Gransz**/ Arnoldus de Molenarck, & Sant. & Rensensis Prætores.

Hæc privilegia Archiepiscopi Colonienses Fridericus Saerwerdanus, an. 1372 quo tempore à Dominis Morsano, & Herculeo quoque vastata fuit, & Theodoricus Morsanus eum secutus, anno 1414 confirmarunt: Fridericus etiam oppidum, anno 1380 11 Martii ulterius munivit. Ejus medietas an. 1392. 2 Maji ex contractu de ditione Linnensi, Telonio Cæsarinsulano, & Aspelia cum oppido Reesio inter Adolphum Marcanum Cliviæ Comitem ultimum, & Fridericum Saerwerdanum Archiepiscopum Col. Cliviæ accessit, unde hodieque plateæ Clivensi nomen. In hac medietate Theodoricus de monumento hodie **Wormpter**/ ab Adolpho, ab Archiepiscopo Joannes ab Horreo, vulgo **von der Schuppen** præfecti constituti sunt. Hujus Adolphi Marcani Clivorum Comitis ultimi filius cognomen primus Clivorum Dux mortuo patre, 9 Sept. anno 1394 idemque cum filio Joanne post Simonis & Judæ festivitatem anno 1444 tum in communione privilegia recepta confirmarunt, tum de Electione Magistratus libera, nova dederunt. Adolphus etiam immunitatem Telonii Huissem addidit, Ioannes tandem modo dictus Adolphi filius, cum bellum Susatense inter ipsum & Theod. Morsanum Archiepiscopum Col. ab anno 1444 gestum tandem componeretur, anno 1449 integram ex

Translatio ad provinciam Clivensem.

transactione

transactione consecutus, ejus præfecturam eodem anno Ioanni Spicker commisit, Capituli privilegia anno 1450 confirmavit, & civibus ratione liberæ electionis, & census vinarii nova pridie Thomæ anno 1453 partim concessit, partim vetera rata habuit; idem anno 1464 deportationi S. Victoris cum 3 filiis Ioanne, Engelberto, & Philippo interfuit, adeoque totam Cliviæ suæ adjecit, cui hactenus indissolubiliter connexa manet. In hanc urbem Vestales nobiles Furstenbergicæ, anno 1586, Carthusiani verò anno 1590 ex Gravia prope Wesaliam domicilia sua transtulerunt. *Templa & Monasteria.*

Resa, vel à rerum abundantia, quasi dives rerum, vel potius à Sarmentorum & arundinum quæ Riet/ vel Ruthen Germanice sonant copia, sicut familia quoque Equestris Resiorum, vicini claustri Sleedenhorstani, fundatrix, denominata est. Est enim locus hic ad Rhenum proxime situs, arundinetis, frutetis & rubetis, stagnis item & lacubus plenus, cujus pars aliqua etiam ante non multos annos à vepribus repurgata fuit. Idem arguit vicini templi Beniani ab ossibus appellati antiqua inscriptio, lapidi, ostii australis, incisa, quæ ita habet: *Resa Origo.*

Olim sunt ossa Beenhorst occisaque fossa
Nam tunc praverorum fuerat spelunca latronum
Sic sumpsit nomen ex Ossibus his sibi Beenen.
Anno nongento Beenen dedicasse memento
Ecclesiam festo Lamberti, Rex memor esto.

Latrones enim inter dumeta & fossas hic latitantes, olim ex insidiis viatores adorti, occisorum ossa ibidem abjecerunt. Pulsatio denique campanulæ Recensis tum ob Rheni inundationes, tum ob latrones hos abigendos, aliquandiu facta, idem confirmat.

Exordium suum debet, prout Santena, de qua modo diximus, Collegio cœnobitarum primò regularium, sub communi præposito viventium, ut ex vestigiis distinctarum cellularum hodieque apparet, qui postmodum labentibus temporibus in canonicos seculares transierunt.

Hujus vero collegii Irmgardis Zuitphaniæ Comes post exactum à nato Christo millenarium & decimum prima fundamenta jecit: quæ paulatim aucta & ab Henrico tertio Imp. datis Trajecti literis approbata, anno 2 Colonienſis Archiepiscopus anno 1040 dedicavit, ut sequens testatur Epigraphe templi, cui in chori ostio, imago Irmgardis addita est:

Anno milleno Christi pariter quadringeno
Condidit hoc templum fœlix Irmgardis amœnum
Obtulit idque piæ quod protegat ipsa Mariæ.

Arnholdus vero Archiepiscopus anno 1148 contractum inter capitulum ejusque Colonos de decimis, vulgo Schepel tienden calculo suo ratum habuit.

Alter denique Arnholdus itidem Colonienſis Archipræsul diploma Irmgardis ne vetustate periret, anno 1180 recognovit.

Fuerunt

Fuerunt ergo initio in hac Reesa, præter cœnobitarum, & fratrum habitationes, & ipsum templum, vel nullæ vel paucissimæ aliæ ædes: tractu autem temporis, sive ex pietate, sive ex Eleemosynarum affluentium quæstu, aliis quoque ædificiis ibidem conditis paulatim in oppidi formam succrevit.

Privilegia. Primum se ob varias hostium incursiones muniendi privilegium ab Henrico à Mólenarck Archipræsule Col. pridie Idus Iulii, anno 1228 accepit. Cum verò anno 1245 templum fulmine tactum, & campanæ ejus liquefactæ essent, anno insequenti feria 2, ante festum Barbaræ, Conradus Hochstedæus successor Henrici in Archipræsulatu, cum Santena immunitates urbi Novesiæ similes, oppido largitus est.

Anno 1296 sub Siegfrido Westerburgio Antistite Col. firmius munito, Henricus Vierneburgius Archiepiscopus feria quinta post festum omnium Sanctorum de libera piscatione & venatione indultum civibus adjecit.

Translatio ad provinciam Clivensem. Anno 1392. 2 Maji partim permutatione cum territorio Linnensi & telonii Cæsarinsulani venditione, partim oppignoratione, & ἀντιχρήσει pro 57 mille florenis aureis à Friderico Saerwerdano Archipræsule Col. additis, ditione Aspelia, judicii Bockhumensis medietate, vico Swelmio & Hagenio pago, Adolpho Marcano Comiti Clivio, ejusque conjugi Margarethæ Montanę, horumque filiis Adolpho primo Clivorum Duci, Theodorico & Gerhardo, Comitibus Marcanis concessa est.

Hinc Ioannes nominis II Dux Clivorum 3 Ioannis filius, Adolphi nepos, eidem præter teloniorum immunitatem, etiam Magistratus sui liberam electionem, anno 1483 attribuit.

Ex quibus privilegiis postremum anno 1501, inprimis vero anno 1515 ob tumultum civium ab eodem Duce revocatum est, designatione Scabinorum sibi reservata Domus Monialium in hac urbe, anno 1436 structa est, quæ usque ad annum 1459 templum Collegiale frequentarunt: tum enim proprio Patre Confessario donatæ sunt.

Mutationes. Porro mutationibus multis obnoxia Reesa hæc fuit.

Anno 1378 in ea platea nova integra conflagravit. Anno 1465 ruptura aggeris Rheni, campum Bereswichianum: Eadem anno 1569. 70. 71 campum magnum, vulgo Wanwychianum inundavit, arenaque multa conspersit.

Anno 1549 in bello Belgico ab Hispanis.

Anno 1614 à Mauritio Nassovio, occupata, & ab hoc egregiè munita, præsidioque Ordinum Confœderati Belgii imposito, hactenus defenditur: templum reformatæ religionis in eadem anno 1624 structum est.

Templi denique ipsius collegialis, & parochialis anno 1628 jussu Ordinum Confœderati Belgii instituta est reformatio, quia eadem contra pacta Vesaliæ prius facta erat.

Cum an. 1599 Hispani urbem occupassent, & miles Imperialis Ductore

Ductore Simone Comite Lippiensi, eosdem expellere fategisset porta Rhenana globis petita, & idcirco cõquassata sequenti anno 1600 à Magistratu restituta est, sicut inscriptio hæc portæ testatur:

Occupat Hispanus Reesam, cum longius aquo
Germanus miles me petit hisce globis.
Forma, qua placui cunctis, æstate sequente,
Hac, me Reesenses restituere Patres.

Encomiasticon, quod urbibus his capitalibus septem, inprimis vero Vesaliæ patriæ suæ destinavit Hermannus Ewichius amicus & compater meus conjunctissimus, tale est:

Oppida quot specto Clivensia sparsa per arva,
Sceptrigeri nuper quæ tenuêre Duces,
Tot laudum titulos totidemque insignia, virtus
Qua tenet, aut meruit, connumerare placet.
CLIVIA SUBLIMIS *cygneam sustinet arcem,*
Quæ primus Iulii dicitur esse labor,
Nam Rheni impositam præterlabentibus undis,
Proxima quæ fluvio cornua bina tument,
Adversum indomitos extruxit Marte Sicambros,
Servirent spoliis Gallica regna suis,
Augustusque patris repetens vestigia Iulii,
Contiguo posuit fortia castra loco,
Tempore post longo quæ diruta, non procul illo
Sunt Quadriburgi castra locata solo.
Arx speculæ similis reliquas supereminet arces
Quam patriæ illustres incoluere Patres,
Hic pater Elias, & cæterus ordo nepotum
Vsque Duces, quorum primus Adolphus erat,
Cujus in excelso Sigmundus vertice Cæsar
Iussit, ut inciperet stare ducalis apex.
Iura dabant populis, consultoque sacra Senatus
Vnde capessebant oppida, rura, viri,
Aurea pax etenim radiantia sceptra beabat,
Cygnus & argenti candidus instar erat,
Nescius atratas belli sentire procellas,
Fata sed heu, poterant deteriora sequi,
Fata Ducem patriæ perimentia, stirpe recisa,
Nulla manet soboles, omnia vastat Eris,
Scinduntur tristes vota in contraria cives,
Hinc Leo, terrificant Hesperiæ inde Cruces.
O antiqua domus, domino quàm dispare nuper
Calcabare! tuus quando doleret olor,
Cæsareasque aquilas & barbara signa Croatûm
Infestare tuos intueretur agros.
Siccine honos potuit tuus interiisse, Guilelmo
Principe qui steterat? Quin age, surge iterum,

Nec

Nec patere ut ſqualor vacua dominetur in aula,
Surge, tibi priſcum Clivia ſume decus.
Dum loquor ulteriuſque vagor, VESALIA turres
Eminus oſtentat mœniaque alta procul,
Et me inter reliquas obtutu Charior urbes
Spectat ut immemorem non ſinat eſſe ſui,
Vitales primùm quia me produxit in auras,
Inde fuit Muſis ſemper amica meis.
En igitur, patriæ fuerint ab origine qualis
Gens locus atque ſtatus, me referare juvat.
Vorticibus Rheni Lupiæ qua jungitur unda,
Confluxuque ſinum flumen utrumque facit,
Olim vicus erat rigua inter culta colonis
Arva diu Menapis belligeriſque viris,
Hæc rapit Vſipius, cum Iulius apta triumphis
Eligeret Cæſar Belgica regna ſuis,
Auſus id Vſipius facinus patrare Sicambro
Nixus, quem Lupiæ ripa ſiniſtra tulit.
Ponte ideo fluctus Rheni tranſgreſſa profundos
Germanos domitum Cæſaris ira fuit.
Sed malè terrifico favit fortuna labori,
Iulius imbellem dum capit ipſe fugam.
Priſca dehinc intrat Germanica pectora virtus,
Et cis-Rhenanos depopulantur agros.
Lollius hîc validos patrio ſuperatus ab enſe,
Perdit apud Veterum caſtra vetuſta duces.
Cladis at ultor adeſt Druſus, quem nulla pericli
Damna tenent, fluvii nec remorare queunt.
Namq; ſupergreſſus Rhenum Lupiamq; Sicambros
Fregit, & in noſtrâ caſtra locavit humo,
Non diuturna tamen, Druſus perit, inde relictum
Diriſque addictum nomen inane manet.
Nec poterant juſſu Germanica corpora Vari
Diſcere Romanis ſubdere colla jugis.
Amiſiæ Lupiæque inter primordia caſus
Varus enim trinâ cum legione ruit.
Hei dolor, Auguſtus lachrymans ibi talia fatus:
Arma, viros, aquilas reddito Vare meas.
Cedere Romanus patriis tunc pulſus ab arvis
Caſtraque victori linquere ſtructa ſuo.
Hæc natale ſolum belli molimina vidit,
Vidit & à domino caſtra recepta novo.
Limeſque attiguus vicinaque Cælia ſylva,
Prodita vera meo carmine, teſtis erit,
Induperatoris Germanicus, illa Tiberii
Dextra manus, raptas retulit huc aquilas.
Quid multis referam, poſt tot diſcrimina rerum
Auxiliatrices hinc habuiſſe manus.

Civilem Batavum, legiones quando coëgit
Dedere se Veterum, castraque flamma vorat?
Hæc tam sæva suis prædixit fata virago
Bructera, ob id divi numinis instar erat,
Velledam dixere sui, cui mansio quondam
A Lupiâ & patriâ non procul urbe fuit,
Raptaque tunc Rheno navis prætoria, domum
Ad Lupiam tractum est, hoc Dea ficta capit:
Ah virgo infelix, postquam pax falsa solutos
Degeneresque animos fecit inesse tuis,
Gens tua pressa jacet, Calvi tu capta Neronis
Imperio, frustra vota precesque seris.
Sed patriam repeto: Romanus utrumque premebat
Fluminis, hinc castris, turribus inde, latus,
Protendisse suos latè Castra Vlpia fines,
Burici nuper signa reperta docent,
Quin etiam ostendit priscos Vesalia nummos,
Quos nobis Rheni ripa revulsa dedit,
Ripa dedit Licinî natique patrisque numismata
Sub quibus imperium non leve sensit onus,
Germano virtus, quoque pressa resurgere visa est
Libertas, aquilas expulit ille truces,
Conjunctaque manu, de libertate capessens
Nobile Francorum nomen, ad arma ruit,
Paulatim Latius Rheno valedicere miles
Iussus, ut in fatis tanta ruina fuit
Romam imperii, nihil obsunt cætera, Franci
Gallica cum patrio regna habuere solo,
Nam Rheni gelidas mox transivêre procellas,
Regia Pharmundo sunt data sceptra duci,
Occupat interea Duïspurgi Clodius arcem,
Et vult vicinis imperitare locis.
Verum Saxo videns spoliis ditescere Francos
Romanis, rapitur protinus invidia,
Et trans-Rhenanas vario certamine gentes
Tentat; apud Rhenum Francica sceptra manent,
Vnde sub auspiciis Martelli patria Christum
Agnovit, Frisia Westphaliæque plaga.
Nomen adhuc fidi Wilbrordi præsulis almum
Templa tenent illis conspicienda locis,
Saxonis hæc contra fremat ira armata profani,
Subdita sunt sceptris fac Wedekendi tuis,
Donec Francorum remeet, qui Magnus, ab oris,
Carolus, infractum robur ad arma gerit,
Iste in Westphalicis pugnantem Saxona terris,
Ponere te docuit colla superba Deo.

Vrbis erant patriæ jam tunc exordia, nomen
Os Lupiæ dederat, quod Lupimunda ſonat.
Hæc Wedekindæam cladem ſpectabat acerbam,
Carolus à Iano cum comitatus erat.
Angulus hoc ſylvæ teſtatur conſcius, inde
Surgebant illo plurima tecta loco.
Sylva dabat lignum, quæ Muſtelaria dici
Suevit, & è cocto mœnia ſtructa luto.
Quæ prope, Veſtales propter, cœnobia fundant
Cappenbergenſes unus & alter herus.
Hæc, ubi flamma domos pariter vaſtaverat urbis,
Templa excelſa dehinc ut ſtruerentur, agunt,
Curiaque inſignis, fora pulchra, domuſque decora
Ornatus ergò hic exterioris erunt.
Inter & egregias Veſalia clarior urbes
Vrbs celebrata ſuum tollit ad aſtra caput.
Imperii membrum, Habſpurgius quoad uſque Rodolphus
Fecit, ut in Clivo connumeretur agro.
Exin, bella premant, ſeu pax affulgeat, ipſa
Fida manet dominis principibuſque ſuis.
Clivius ut contrà Geldrum dux arma moveret,
Civica ſuppetias arma tulere duci.
Præmia virtuti quoque ſunt decreta fideli,
Vrbs quibus hæc gaudet præmia civis habet.
Hic pietas, Muſa, concordia ſancta ſenatus
Conſervata fide, principe ſub patrio.
Poſt multos igitur caſus expertaque damna,
Libertate ſiet, vindice, tuta, Deo!
Et valeant mores, valeant hic mœnia! Tandem
Ejus & hoc titulis ſubdere Muſa cupit:
HOSPITA *dicetur, meritoque id honoris habebit,*
Hoſpitii multis jura dediſſe bonis;
Omne ſolum patria eſt rectis, hac laude coruſcâ,
Qui locus hunc ſuperet, vix tamen eſſe reor.
EMRICA *ſuccedit noſtris cantanda Camænis,*
Quà ſitulas tumidis Rhenus adimplet aquis.
Vrbi, quam dixi, compar, ſeu fluminis illam
Hancque ſimul Rheni dextera ripa levet;
Seu videas quondam ſimili tentata periclo
Arva hæc Cæſareo, dum prope caſtra jacent
Auguſti in Clivo, dum foſſam Druſus apertam,
Iſſala, quæ patrio nomine dicta, cavat.
Auſoniamque tenet non fruſtra Altinia vocem,
Hic ubi Romanos alta cupiſſe patet;
Sive velis eadem fidei primordia, Chriſtum
Huic quoque Wilbrordo præſule dicta loco.

Vnde urbs pulchra trahens prima incunabula, crevit,
Vtque DECORA *quidem dicier illa queat;*
Sumere templorum turrita palatia, sive
Augustasque ades contiguasque domos,
Si placet, aut mavis fora portumque addere, sive
Oblectent magè te curia, sive schola,
Aut fluida naves, quavis ratione DECORA
EMRICA *structuris concelebranda venit;*
Sume tibi Proceres, divinaque jura professos,
Sume tibi Musas, Cæsareamque dicen,
Omnia si jungas, patriæ res publica nostræ
Hic dices, tandem restituenda redit;
Sume tibi omnigenas artes & cuncta, DECORA *est*
EMRICA *ob insignes concelebranda viros,*
Addis currenti calcar CALCARIA, *laudes*
Ecce tuas venâ non remorante canam:
Olim inter Veterum legiones Sexta reperta est
Et Victrix legio, quam comitata fuit
Ala equitum bello Burginacique locata,
Sub Moenerbergâ rudera tecta jacent,
Aut Constantini imperio quia semina nostro
Chrispigenûm fidei jacta fuere solo,
Aut quia Martelli auspiciis didicere salutem
Hæ gentes, ædes conditur inde sacra,
Rudera materiem præbent, Calcaria, nostros
Hosce dies cuivis dicitur usque, vetus,
Quam prope post annos surgit Calcaria multos,
Longius at patrio paruit ipsa Duci.
Hic igitur veteres habuit quoque Cliviacives,
Civica quapropter præmia jure merent,
Civilis judex, de civibus utpote lectus,
Civilis juris justitiaque tenax,
(Icon justitiæ quod cum depicta monebis)
Jura etenim tribuit civibus æqua suis.
CIVILIS *quare Calcaria jure vocanda,*
Urbs semper titulo quæ facit apta suo.
Germanas oras iterum lustrare, CELEBRIS
Mœnia DUISPURGI *& cernere Musa cupit,*
Et videt hoc Castrum quondam Germana locasse
Robora, Romanus cum prope miles erat,
Præsidio Aspurgum firmans, transire paratus
Rhene tuos fluctus, oppositumque fuit,
Ergo intentatis Duispurgum quando periclis,
Mavult de proprio nomen habere solo,
Gentis enim Virtus & sacra Tuisconis umbra
Visa est luminibus prævolitare suis.

Attamen hoc castrum multo post tempore, famam
Cui dederant crines, Clodius ecce capit.
Vt velit à Rheno Romanum arcere, suetus
Vincere, & in nostris regna tenere locis.
Verum Francigenæ nimis imperitare volentes,
Paulatim amittunt, quod peperere manu.
Libertas urbi redit hinc simul aurea, tandem
Libera Germano redditur imperio,
Hanc exornarunt Lotharius & Conradus,
Cujus in hac jussu regia structa fuit,
Immunes alibi studuit quoque reddere cives
Cæsar, cui nomen fulgida barba dabat,
Filius Henricus in idem connititur, ille
Concilium huc veteri pro pietate vocat.
Libera, inquam, manstque urbs hæc, Habspurgicus usque
Dum Comiti hanc Clivo traderet ille suo.
Quid multis? Cæsar ter Maximus Æmilianus,
Carolus inque urbe hac tecta subire volunt,
Id quoque dignati Ferdnandus & inde Rodolphus,
Duispurgi hinc crescunt præmia grata viris.
Iura hinc fluxerunt Academica aliquando tributa,
Proh dolor, illis si Mars paterere frui.
Quid memorem sylvam, fluvios, quid templa, senatum
Atque excellentes quid pietate viros?
Hæc CELEBREM *faciunt urbem, quid restat? ut inquam:*
Nobile Duispurgum tempus in omne vale.
Nec SANTENA *meis* ANTIQUA *silebere Musis,*
Altera ceu patriæ lux adamata mihi.
Romanos rerum dominos gentemque togatam,
Cæsareos vultus effigiesque Deûm,
Romanas aquilas, legionum signa, triumphos,
Arma, viros, nummos, signaque sculpta manu
Artificis, figuli facili confingere torno
Quod potuere, stylos cumque notis variis,
Et statuas, aras, votivaque saxa, sepulchra,
Et quid Romanos olim habuisse patet,
Exhibet hoc Santena tibi, quando eruit alta
E terra aut fluvio, quod tacuere libri.
Hic veterum Augustus posuit legionibus apta
Castra, quibus fortes præficit ipse duces.
Lollius hic cecidit, Drususque hic ponte profundum
Transgressus Rhenum, sed tamen ille perit;
Quin miser hic etiam linquens sua nomina Varus
Hincque abiens, absens tristia fata subit,
Sed cladem minuit Germanicus inde, reductas
Cum legio hic aquilas cerneret ire suas;

Hic Veterum manes castrorum hyberna tuentur,
Civilis validâ qui periere manu;
Hic ubi Santena est, Trojana Colonia quondam
Constitit, hinc Troja nomina vulgus amat,
Aft Santena suum mutuata est nomen ab illis,
Ob Christi hic sanctam qui periere fidem,
Victorem & socias victricia nomina ferte
Fas est, dum victus Maximianus adest,
Victus adest, inquam, fidei constante tyrannus
Verbo, & Martyribus certa trophaea manent.
Semina Christigenæ nam tempore Constantini
Sparsa prius fidei climata nostra beant.
Hinc est, ut referunt, geminis quod turribus altum hîc
Stet templum, qualis regia Solis erat.
Tu quoque non minima es, quas inter Clivius urbes
Orbis habet reliquas ubere RESA *solo,*
UBER *es in glebis, in fructibus, ubere terrâ*
Pascua vestra jacent, uber es inque cibis,
UBER *es & Rheno, Iova benedictio quanta!*
UBER *es ingeniis, conspicuisque viris.*

DIXI.

Capitalibus urbibus singulis, quas percensuimus, oppida sua minora subjiciuntur, iisque connumerantur.

Clivopoli quidem Huissenum Batavicum, Craneburgium, Gennepium, Griethusium & Vdenheimium.

Huissenum à primis in Batavia superiori ædibus denominatum antiquum Provinciæ Clivensis oppidum est, cygnæis quæ exhibet armis testibus, quod à veteribus illis Theisterbandinis Comitibus ad Clivenses derivatum, iisdem, Batavia reliqua omni ad Geldros transeunte, mansit, muris & privilegiis illud donavit.

Joannes Clivorum Dux in ordine tertius dictus Misericors eidem teloniorum Clivensium immunitatem concessit.

Anno 1502 à Carolo Egmundano Geldriæ Duce obsessum, sed à Clivensibus fortiter assertum est, tormentis bellicis Geldris ablatis.

Craneburgium à gruibus ad paludes quibus adjacet habitantibus, appellatum, anno 1340 crastina Martini Episcopi Theodoricus ejus nominis IX, Clivorum Comes in ordine 26, atque Theodoricus ab Horn, Gerhardi à Parwys & Irmgardis Theodorici nominis VIII, Clivorum Comitis in ordine 24. gnatæ, filius, privilegiis suis tum instituxerunt novis, tum vetera quæ habebat confirmarunt.

Eidem, idem Theodoricus Hornæus anno 1343 de aggeribus leges tulit.

Ad oppidum castrum egregium Adolphus Marcanus Clivorum Comes 28 & ultimus anno 1388 struxit.

Ipsum vero Adolphus ejus filius, primus Clivorum Dux, anno 1417 ulterius munivit, eidemque cerevisiæ censum liberum concessit, inque illud anno 1436 Collegium Canonicorum Zephlicâ deduxit.

Gennepium à familia illustri, cujus insignia hodieque gerit, denominatum est.

Hujus medietas anno 1426 Adolphi primi Clivorum Ducis victoria à Ioanne Heinsbergio pro λύτρῳ extorta est: alteram à Giesberto & Reinhero Brederodiis, idem anno 1441 emptione sibi comparavit.

Udenheimium à campis udis dictum, à Ioanne Comite Clivorum penultimo, anno 1347 muniri cœptum, ab Adolpho vero primo Clivorum Duce privilegiis suis, anno 1414 instructum & auctum est.

In hoc oppido Canonicorum Regularium cœnobium, anno 1456 fundatum est: sicut etiam Monialium Conventum ambitu suo complectitur.

Anno 1618 conflagravit.

Griethuisium sicut & Griethanum, alii à Duce Romanorum Grino: alii ab alluvie Rheni, quæ **grindt** voce Belgica dicitur, derivant.

Vesaliæ, Bourichium, Dinslacium, æque hujus regione Orsavicum, tum porro in propria ora, Sherenbeckium, & Holtenum oppida, cum municipiis Ringelbergio & Rurorthano subjiciuntur.

Bourichium ab agri vicini cultura & ubertate ductum est, ut versus habent, vulgo noti:

Ardua stat Bourich Nisô insignita rapaci
Quem sustentat Eques, viridantia prata pererrans.

Cum enim primitus insula esset Lupiæ contigua, à rusticis ob soli fertilitatem diligenter culta, Ioannes Comes Clivorum penultimus ipsâ Margarethæ anno 1366 eidem privilegia de electione Magistratus sui, & teloniorum Clivensium immunitate concessit: quæ post illius fata Engelbertus, Adolphus & Theodoricus fratres Comites, Marcani ob matrem Margaretham Clivensem Theodorici IX. filiam & hæredem, in Comitatu Clivorum successores, anno 1391: specialiter vero Adolphus primus Clivorum Dux, Adolphi Marcani ultimi eorundem comitis filius, anno 1395 ejusque posteri Ioannes I. filius, anno 1446 idemque iterum anno 1448: Ioannes II. nepos anno 1481: Ioannes III. pronepos anno 1522: Wilhelmus denique abnepos anno 1539 in ipsorum inauguratione rata habuere: inprimis vero Ioannes II. 24 Ian. anno 1482 privilegia conflagrata renovando approbavit, & teloniorum libertatem à majoribus acceptam confirmavit.

In hoc oppido conventum Monialium Henricus Ameldunck ejus indigena anno 1468 instituit, bonisque suis hæreditariis donatis, primus Pater factus est, ut versus habent tumbæ Patrum inscripti:

Hic

Hic recubant hujus Conventus corpora Patrum
Quorum primus erat Ameldunk Henricus, & idem
In Bourich natus primus fundator habetur.

Dinslacum, vel à Marte Deo gentili, vel à lacu, vel pannis denique quæ ibi confici solebant, & undique venundari, denominatum, cum integra sua dynastia, anno 1220 per conjugium Theodorici nominis V. Comitis Cliviæ 21 cum Mechtilde ejus hærede copulati, accedente consensu Friderici II. Imp. ad Cliviam pervenit. Oppidum turri præalta Adolphus primus Clivorum Dux exornavit ac munivit. Ejus verò ex filio Ioanne nepos, Ioannes II. eidem cereviſiæ quæ inibi coquitur censum ad revocationem indulsit.

Sherenbeckium à fluvii Domino quasi **deß Heeren beeck** appellatum ab Adolpho primo Clivorum Duce cum castro oppido connexo ædificatum, anno 1483 à Joanne à Gehmen proditione captum.

Holtenum à familia nobiliſſima dictum est,

Ex qua originem suam habent:

Eberwienus Holtenus, cujus in literis Monasterii Hamburgensis anno 1151: itemque Adolphus ab Holt, cujus in ejusdem Monasterii literis anno 1237 mentio facta est.

Præterea ex eadem hac familia prognati:

Ludolphus Holtenus, qui altera Bernhardi anno 1247: & Wilhelmus Ludolphi fratris filius, qui anno 1268 mortui, & Monasterienses antistites fuere.

Mechtildis denique ab Holt rivuli S. Mariæ matris Domini Sterekradiensis anno 1240 fundatrix, & Wiegboldus Holtenus Colonienses Archipræsul anno 1298 electus ortum suum, eidem familiæ debent.

Ipsum oppidum Adolpho Montium Comiti oppignoratum, anno 1334 Theodoricus nominis IX. Clivorum Comes 26 redemit.

Orsavicum vel à veteribus Ursinis, sicuti quidam fabulantur, vel ab Vrsis ipsis, quorum fovea primitus fuerit, vel denique quod ad veritatem proprius accedit, Rossavicum potius quam Orsavicum, quasi dicas Equorum arvum, à tribus quæ in armis suis exhibet capitibus equinis denominatum, anno 1351 privilegiorum suorum a Johanne Clivorum Comite 27 & penultimo confirmationem accepit, idem civibus jus venationis liberum in toto comitatu Morsano, vicino, tanquam feudo suo, permisit.

Ante illud proxime ad Rhenum Wilhelmus Cliviæ, Juliæ, Montium Dux propugnaculum antemurale posuit.

Municipium Ringelbergium cum castro suo, & dominio Theodoricus nominis VII. Comes Cliviæ 23 per conjugium primum acquisivit, idemque Theodorico nominis VIII. filio suo, Rudolphus I. Habsburgicus Rom. Augustus cum secundo conjugio Eberhardi filiam suam Neptem duceret anno 1290 confirmavit.

Rurorthanum denique sic dictum quod Ruræ angulus ibidem

se in Rhenum effundat, cum castro contiguo ab Adolpho I. Clivorum Duce structum est, hodie destructum.

Emmericæ vicinum eique subjectum oppidum Limersiæ, vel à 7 Mariæ pilis, quod ibi asserventur Sevenharium, vel potius à 7 spicis ob soli limosi fertilitatem Sevenahrium nominatum, an. 1361 Engelbertus Marcanus, in Bello civili Geldrico inter fratres Reinholdum, & Edvardum Geldriæ Duces, exorto, huic patrocinatus ab eodem in 5800 scutatorum pignus acquisivit; quod Wilhelmus utriusque fratris ex sorore Maria nepos, Juliæ, ac Geldriæ Dux anno 1382 iterum redemit. Reinholdus vero ejus frater anno 1397 ab Adolpho I. Clivorum Duce in pugna saltus Clivensis cum aliis captus, illud pro 10000 scutatis eidem vicissim an. 1406 obligavit Adolphus autem castro munitissimo firmavit atque auxit.

Istius denique ex filio primogenito Ioanne Nepos Ioannes II. Anno 1487 jure civitatis, idemque censu vini libero donavit, cerevisiæ autem reditus pro 50 scutatis annuis obligavit.

Sub Calcaria, Gochium, eique vicinum municipium Weezium, Sonsbecium item, atque Grietanum cum municipio Körvenheimio connumerantur, ab eaque ubi opus ad comitia vocantur: præter illa, Dinslacense, Orsovience, & Isselburgium, oppida olim etiam Linnium, ad judicium ejus capitale appellant.

Gochium à Gugernis incolis vetustis derivat Joannes Turcus Registrator Clivensis hinc oriundus.

Alii rectius ab additione terræ ad Niersam facta, quasi dicas gehocht denominatum asserunt, & Niersæ aggestum dicere possis, quondam Geldricæ ditionis oppidum ad Niersam fluvium cum castro suo ab Ottone III. Geldriæ Comite in ordine 7 anno 1291 muris cinctum, & de Prætore, Scabinis, & bonis civium privilegiis instructum est. Hæc anno 1328 Reinholdus, Reinholdi filius primus Geldriæ Dux confirmavit, & anno 1341 vespera Bartholomæi, præterea ad muros oppidi instaurandos communitatem in utraque Niersæ ripa à Spycker in Heerforst descendendo campumque Turonensem dictum, civibus addidit anno 1361 filius hujus Edvardus Geldriæ Dux confirmatis privilegiis, die Iovis post Pentecosten anno 1366 civibus cespites fodiendi, & ligna in Tichelbroick ad lateres pro civitate firmius munienda excoquendos incidendi concessit, & privilegium de civium bonis in præfectura non arrestandis, addidit, Idem vespera Paschali anno 1367 largitionem sororis Isabellæ, Abbatissæ vallis Comitis, de molis, aquatili, ventosa, & fullonia pro 50 Marcis antea oppignoratis nunc vero pro modiis siliginis 200, hordei 100, & macerati frumenti, mixti, totidem, Tritici vero 50, factam approbavit. Gruitam vero pro centum marcarum pignore Abbatissa tradidit, quod idem Eduardus die Elisabethæ anno 1370 ratum quoque habuit.

Anno 1371 mortuo in conflictu Bachwielerio, Eduardo Duce Geldriæ, Reinholdus ejus frater ipsa Victoris sicut omnibus Geldricis

dricis urbibus, ita Gochiæ quoq; huic, partes Eduardi in bello civili fratrum secutæ, culpâ defectionis remissa, præterea omnia de judiciis, arrestis, & teloniis privilegia confirmavit.

An. 1466 à Joanne ejus nominis primo Cliviæ Duce secundo, in bello civili, Arnholdi & Adolphi Egmundanorum Patris, & filii Geldriæ Ducum, obsidione cincta, sed ob Arnholdi Comitis Benthemii, Steinfurti Domini Ioanni Clivensi charissimi obitum 16. Febr. Clivis in Ecclesia collegiata tumulatum iterum deserta.

Anno 1371 ipsa Gregorii Wilhelmus II. Juliæ Dux, & filii sui Wilhelmi III Geldriæ Ducis tutor, ubi in oppido hoc inauguratus esset, civium bona ob multa in bellis fratrum Reinholdi, & Eduardi suorum affinium perpessa damna, ab omni censu, tributo, omnibusque teloniis exemit, seque nullas ibi amplius portas exstructurum, nec lectos civibus quoque inusum suum ablaturum promisit; Idem Mercurii post divisionem Apostolorum anno 1374, civibus suis Gochensibus appellationem Geldriensem in Ruremundanam convertit. Anno 1438 Arnholdus Egmundanus Geldriæ Dux, Martis post Palmarum, iisdem civibus de fullonia privilegium dedit. Idem anno 1455 Monialibus ibidem leges tulit, Et anno 1458 de successione civibus rationem præscripsit, iisdemque 100 jugera Ericeti ante urbem qua Clivopolim iter est siti, donavit.

Anno 1473. 2 Augusti, à Carolo Burgundo Johanni ejus nominis primo, 2 Cliviorum Duci cum municipio VVeezio donata, cum cives imperio Clivico nonnihil adhuc reluctarentur, Joannes anno 1477 turri fortissima in castro ante oppidum constructa primum eos coërcuit, qui ob id hodieque **Swingh Gorh** appellatur. Deinde de electione magistratus, & judiciis privilegiis novis datis, veteribus etiam omnibus confirmatis, Cygno etiam & vino honorario singulis annis in Magistratus novi inauguratione oblatis, pacavit, & Cliviæ suæ in perpetuum subjecit.

Sonsbecium à torrente solis, quem in armis quoque suis exhibet dictum, privilegia de immunitate in teloniis, ac libertate electionis Magistratus sui, civitati Calcariensi in omnibus similia, anno 1320 crastina Luciæ à Theodorico ejus nominis IX. Comite Clivio 26, præsentibus Theodorico Clivio Hulcheradiæ Comite, patruo Joanne Clivio Linnensis territorii Domino Germano, Burchardo de Vonderen, VVilhelmo de VVischel, Daniele de Ossenbroick, Theodorico de Bellichofen, Theodorico de Eyll, Theodorico de Munimento, Rutgero de **Boetzelaer**/ VVolthero de Vossem, VVolthero de Eyll, Pastore oppidi Alberto, multisque Canonicis Santensibus accepit, quæ tamen hodie sua negligentia omnia iterum amisit.

In hoc Adolphus Marcanus I. Cliviæ Dux insigne castrum, quod hodie præfecti Prouincialis Clivii ab hac parte Rheni habitatio est, construxit.

Anno 1410 Conventus Monialium ad muros oppidi ab Helwicharde

wichar de vidua fundatus, & anno 1428 Ordini S. Franciſci tertio, quem vocant, conſecratus eſt.

Anno 1517. 6 Maji medietas oppidi & conventus, anno 1604. 4 Febr. oppidum integrum ferme conflagravit.

Grieſthanum itidem ut Griethuiſanum, vel à Duce Romanorum Grino vel potius ab alluvie Rheni, quæ Grindt vulgo dicitur appellatum.

Korvenheimium à familia nobili qua cum tres in inſignibus corbes geſtat, dictum, municipium verius quam oppidum eſt, licet oppidanorum immunitatibus gaudeat: in quo caſtrum inſigne Adolphus primus Clivorum Dux ſtruxit. Juriſdictione vero ejus olim Theodoricus Clivius Præpoſitus Xantenſis, anno 1280 inveſtitus eſt. Anno 1499 Stephano à VVylach eidem oppignorata *Santena* proxime adjacet municipium, quod vel ab amœnitate Wienendalium, vel quod à Clivenſibus vallis hæc lucrata ſit Winnendalium denominatum, Adolphus primus Clivorum Dux caſtro eximio exornavit, & Theodorico à VVilach Archipræfecto Clivio obligavit.

Reeſe vicinum eſt oppidum Iſelburgium quaſi Iſalæ caſtrum, quod ad hunc fluvium Adolphus primus Clivorum Dux condidit: oppido vero idem die Jovis poſt Dominicam Oculi anni 1441 privilegia conſecravit.

Urbium atque oppidorum origine, incrementis, privilegiis, collegiis atque mutationibus variis explicatis, nunc porrò præfecturæ atque in iis præturæ & quæſturæ Provinciæ Clivenſis recenſendæ veniunt. *Ex præfecturis* duæ ſunt Provinciales, cis & ultra Rhenum, cujus Clivenſis quidem ſedes eſt caſtrum Sonſbecenſe (Clivenſe enim ipſi Principes ſemper occuparunt.) Alterius, arx Dinſlacenſis, & Sherebecenſis, illa urbes ſub ſe comprehendit Clivopolim, Calcariam, Santenam, Sonſbecam, Bourichiam, Vdenam, Griethuſiam & Grietham, totidemque Prætoribus inſtructa urbanis, quibus VVienendalius, & Scharavelinus, quorum hic ſub ſe Kervenheimiam & VVienendunciam quoque habet, annumerantur. Ab eadem Rheni parte in ora Gallica ſunt peculiariter Toparchiæ, Orſavienſis, Gochenſis, cum Prætoribus ſuis, & in hac peculiariter quoque VVezanus, Aſperenius, & Moldickianus ad Moſam. Præterea Præfecturæ Gennepenſis, Cranenburgenſis, & Duiffeltana, Neomagum uſque ſe extendens, cum ſuis itidem Prætoribus, & Quæſtoribus. In ora Germanica ſive VVeſtphalica præfecturas numerat, Huiſſenam Batavicam, & Lobithanam inter Rhenum & Vahalim medias, Sevenarienſem cum Limarſia ſua earumque Prætoribus, & urbe Embricenſe quæ proprio ſuo Prætore gaudet. Iſſelburgiam cum urbe Reeſenſi integriſque Hetteriæ, & Aſpeliæ ditionibus, tribus tamen Prætoribus attributis.

Præfecturæ, prætura & quæſtura Provinciæ Clivenſis.

Accenſet præterea ab eadem Rheni parte præfecturas, Biſlicenſem, & Ringelbergiam. Provincialis præfectura in eadem ora ſub ſe VVeſaliam, Duiſburgiam, Dinſlacum, & Sherenbecium Holte-

Holtenum denique & Rurorthum cum Prætoribus ſuis complectitur. Telonia habet ad Rhenum eundem iterum deſcendendo Rurorthanum & Teutoburgicū primo Buirichiū, deinde Reeſam tranſlatum, Orſavienſe, VVeſalienſe, ad Rheni & Luppiæ confluentes. Reeſenſe, Lobithanum, & Huiſſenum; Ad Moſam Gennepium. Quæſturas numerat Clivenſem, Calcarienſem Cranenburgiam, Gennepiam, Vdenheimenſem, Santenſem, Orſavienſem ab hac Rheni parte: ab altera Holtenam, Dinſlacenſem, Reeſenſem, Embricenſem, Sevenarienſem & Huiſſenam inter Rhenum & Vahalim mediam in Batavia ſitam.

Feuda Provinciæ Clivenſis.

Dominia, quorum Dynaſtæ Cliviæ principem feudi Dominum agnoſcunt præter Comitatum Morſenſem, Pighio Vlpiorum dictum, ſunt, Senheimenſe, apud Moſellam ad Electorem Trevirum. Præfectura Vredenſis, & Dominium Meidericenſe, atque Honnepelium ad Comites Bronchorſtanos, Barones Batenburgios, Anholtinos, Gronſteldios, Rimbergios. Ghemenſe cum Arce Crudenburgia ad Comites Schouwenburgios, & Holſteinios, VVerdenbruchium ad Comitem Cuilenburgium, Baronem Palandum, Millingenſe & Bilandicum ad Comites Montium, Malacker jam deſtructum, Diesfortium & Grondſteinum ad VVylichios, VViſſenium ad Loæos nobiliſſimos ſpectantia.

Caſtra Equeſtria.

Sunt quoque in eadem Provincia multæ Equeſtris dignitatis virorum eximia, atque vetuſta caſtra, Sehleimium Baronum Palandiorum, Haltium, Bilandicorum, Calbeccēſe Burenorum, Eylium, & Moilandium, Bronchorſtanorum, Tyllium Munſterorum, Oſſenbruchium hujus familiæ avitæ, munimentarium duplex hodie Wurmpter/partim ad Bungardos, partim ad Quados Wickradios, Vennium, hodie ad Bramptios, Offenbergium olim ad Flodorpios, Huetanum & Roſſavicum ad VVylichios, Impelium, & Gutterſwichium ad Diepenbruchios, Lonenſe ad Tegnagelios, Gattropium ad Huchtenbruchios, aliaque ad alios ſpectantia.

Status Eccleſiaſticus provinciæ Clivenſis.

Poſt provinciæ Cliviæ ſtatum politicum, Eccleſiaſticus etiam, & in eo Abbatiæ, domus Commendatoriæ, Canonicorum collegia, & utriuſque ſexus Monaſteria multa accenſenda ſunt.

Abbatia unica eſt Hamburnenſis in Dynaſtia Dinſlacenſi, Ordinis præmonſtratenſis, auſpiciis Norberti Canonici quondam Sanctenſis, & poſtmodum Magdeburgenſis Epiſcopi circa annum Domini 1120 condita; primoque Abbate Nicolao conſtituto. Quod Arnholdus Archipræſul Colonienſis, cum allodium ſuum ibidem ſitum, Gerhardus Hoinſtat vir nobilis eum in finem Monaſterio contuliſſet, indictione 2. Anno 1139 teſtibus VValramo Duce Limburgio, Adolpho Montium, & Adolpho Salenbergæ Comitibus, ratum habuit, Idem ſucceſſores ejus Archiepiſcopi Col. Philippus Heinſbergius anno 1151 teſtibus Arnholdo & Frederico Comitibus Altenanis, Eberwieno Holteno, & Arnholdo Steeckio: Adolphus autem Altenanus, ſpeciatim quas Arnholdus de Beek miles anno 1179 eidem Eccleſiæ legavit, decimas: Engelbertus

bertus denique Montanus omnia ita anno 1217 confirmarunt. Hujus Ecclesiæ Otto de VVickraede, qui filios Lotharium & Henricum habuit in literis 1208, & 1237 datis; in quarum posterioribus Adolphi Holteni quoque mentio, Advocatus dicitur.

Domus cõmendatoria S. Joannis est Vesaliæ; Domus Teutonicæ Hospitales sunt Duisburgensis, & VValsumiensis. Cum enim Philippus Heinsbergius Archiepiscopus Col. anno 1187 unicum in oppido regali Teutoburgico S Salvatoris Parochiam, olim ad Abbatem Brumẽsem spectantẽ, in duas divisisset, earũna B. Mariæ, & S. Joanni Baptistæ sacra, fratrib⁹ Hospitalibus de sancto sepulchro attributa est, & cum horum domus castrum nempe uff der Burgh dictum, anno 1283. 14 Cal. Octob. incendio absumptum esset, fratres domus VValsumiensis ab Apollonio à Benheim, & Eva ac Mechtilde de Lachen in platea Vaccaria novam domum, itemque aliam in Schonenbelt, à Bela ejus uxore sibi compararunt, Hospitaleq; instaurarunt, deque eo Sabathi post Pentecosten, anno 1509 itemque feria 6, post Reminiscere anno 1313 se idem quod cives Magistrãtui præstituros, promiserunt.

Ecclesiæ collegiatæ Provinciæ Clivensis.

Ecclesias collegiatas enumerat 6. insignes. Santensem, Emmericensem, Reesensem, VVisselensem, Craneburgensem & Clivensem.

Santensis à sanctis Martyribus, legionis Thebeæ sub Mauritio Duce, temporibus Diocletiani; & Maximiani Imp. militantibus, sed ob Christianismum decumatis, inprimis S. Victore ejusque sociis 360, ita dicta, in eorum memoriam, primum ut Regularium Canonicorum S. Augustini doctrinam & vitam sequentium, Collegium & Monasteriũ esset, fundata an. 1028 Indictione 6. 11. Cal. Aug. à Peregrino Episcopo Colonieñ sub Præposito Godefrido, & Godezone Decano cõsecrata est: Vastatâ verò per Hunnos, & Normannos Germaniâ, Galliaque, hæc calamitas Hagiopolim quoque pertigit, & præterea anno 1081 Santense templum, nec multo post anno 1109 omnia Canonicorum ædificiâ conflagrarunt. Theobaldus igitur tunc Ecclesiæ hujus Præpositus, ad Hadrianum Pontificem profectus hujus consensu privilegiis pristinis repetitis, & confirmatis, eam instauravit Dedicationibus binis, prima quidem sub Henr. IV. Imp. à Siegewino Archiepiscopo Col. anno 1083 indictione 6, septimo Idus Octob. altera & quidem solenniori anno 1128 Cal. Aug. sub Lothario Imp. à Norberto Magd. Ecclesiæ Archiepiscopo, & quondam Santensi Canonico, rogatu Friderici Archiepiscopi Colonienſis, institutis. Inter præcipuos Collegii hujus benefactores numeratur Emsa Cappenbergica in templi collegialis choro condita.

Emmericensis à S. Willibrordo Episcopo Ultrajectino anno 700 vel circiter in memoriam S. Martini Turonensis Episcopi, itidem ut virorum piorum, & doctorum pro fide catholica propaganda cœnobium esset, condita, ac jurisdictione quoque temporali ob id munita est. Hanc tamen anno 1233 in Ottonem ejus nominis III.

Geldriæ

Geldriæ Comitem tanquam ſuum Tutorem, & Præfectum tanſtulit : à cujus poſteris poſtmodum ad Cliviæ Comites & Duces primum pignoris titulo anno 1372. deinde emptione anno 1402. pervenit.

Reeſenſis exacto poſt Chriſtum natum millenario cum decennio ab Irmgarde Comitis Zutphanienſis filia in Deiparæ Memoriam conſtrui cœpta eſt, quod Henricus III. Imp. datis publicis Trajecti literis anno 1040 ratum habuit, & anno 2 Daſſelius Eccleſiæ Col. Archiepiſcopus eodem anno perfectam inauguravit; ejuſque Diploma Arnholdus itidem Col. Archipræſul, ne vetuſtate periret anno 1180 recognovit.

Wiſſelenſis in memoriam Clementis ab Eberhardo Comite Clivio 9. ejuſque conjuge Bertha Bavara anno 825 indictione 3. conſtituta eſt.

Hujus collegii ſtatuta feſto Aſcenſionis Domini an. 1475 Joannes Bellicoſus Dux Clivorum ſecundus præſentibus Hermanno de Brackel præpoſito & Rutgero Theodorico ab Holt Scholaſtico Clivenſibus, atque Joanne Peregrini de Bercka S.S. Theologiæ magiſtro renovavit & confirmavit.

Cranenburgenſis anno 1001 in Zephlicenſi pago, haud longe à Vahali diſſito, in S. Martini memoriam à Balduino ejus nominis III. Comite Clivio 13 conſtructa, & anno 1416 ab Adolpho I. Cliviæ Duce Craneburgum, conſenſu Eugenii Pontificis deducta. Clivenſis, 15 Cal. Martii anno 1334 à Theodorico hujus nominis IX. dicto Pio, Comite Clivio 26 Monrebergæ in memoriam Deiparæ erecta & à Waleramo Julio Archiepiſcopo Col. conſecrata, ſed anno 1341 ab iiſdem Clivopolim tranſlata, & ab Adolpho I. Clivorum Duce præpoſituræ dignitate atque reditibus quoque aucta.

Monaſteria Monachorum quidem recenſet Inſulæ Marianæ ſeu Gravienſe Carthuſianorum prope Veſaliam, clauſtrum anno 1419 ab Adolpho I. Clivorum Duce conſtructum, poſtea bellis Belgicis anno 1584 deſtrui cœptum, tandem plane eodem deſtructo Monachi Santos Collegium ſuum anno 1590 transferre coacti ſunt. *Monaſteria Monachorum in Provincia Clivenſi.*

Dominicanorum, ſeu Prædicatorum in VVeſalienſi & Calcarienſi urbibus, quorum illud anno 1291 à Theodorico VIII. Comite Cliviæ 24. Hoc anno 1464 à Joanne ejus nominis I. Cliviæ Duce 2, ædificata ſunt, Franciſcanorum, Minoritarum, Clivenſe, Duiſburgenſe; & Aquæ Marianæ prope Gochiam, Clivenſe à Theodorico nominis VIII. Comite Clivorum 24 ſtructum, Duiſburgenſe ampliſſimum, olim Ducum Limburgenſium caſtrum fuit, quod Minoritis inhabitandum conceſſerunt. Auguſtinianorum Eremitarum duplex, Beilarienſe vallis Marianæ, ſive Brunenſe in Dynaſtia Ringelbergia, & quod ex eo deductum VVeſalienſe; Ex quibus hoc anno 1325 craſtina Viti & Modeſti circa Eccleſiam, ejuſque chorum, dormitorio ut vocant, munificentiâ Apollonii Santeil Burggravii VVilacii à fratribus Beilarienſibus cœptũ,

& anno

& anno 1334. 6. Martii à Clemente VI. Pontifice consensu impetrato consummatum est, an. 1351 Sabbatho post festum Valentini ab iisdem fratribus Beilarensibus domo refectorii empta, eodem anno die Kiliani, Testibus Joanne Comite Clivorum & Consulibus atque Scabinis Wesalienſibus, itemque ipsa Assumptionis Mariæ, cum Præposito Cappenbergensi, & cœnobii Auerdorpensis Priore ejusque Priorissa, & cœteris Vestalibus Pastore, item sive Plebano Wesaliensi de tempore sacrorum peragendorum; & sepultura transactum est, donec anno 1353 per Priorem generalem, Mechliniæ facta separatione de terminis utrique cœnobio leges præscriptæ sunt. Gadesdunckium seu habitationis divinæ Canonicorum Augustini Regularium, itidem prope Gochiam, sub Adolphi I. Clivensium principe à civibus Gochensibus inchoatum, cujus primus Prior Helmichius ipsi à sacris fuit. Crucigerorum, Pacis Marianæ, Embricensium & Duisburgensium: Ex quibus illud Adolphus I Cliviæ Dux anno 1438 constituit, & regularibus Augustini inhabitandum dedit. Hi verò, ubi illud deseruissent, VVesaliamque commigrassent Crucigeri illud ejus consensu anno 1444 occupatum retinuerunt. Duisburgense primo fratrum tertiæ Regulæ S. Francisci conventiculum fuit, sed anno 1498 à Cruciferis occupatum, hactenus retinetur. Sepulchri dominici Udenheimense, & Vallis gratiæ in villa Ganswichiana prope Clivopolim Canonicorum regularium cœnobium utrumque ab Henrico Raesio pio Præposito S. Mariæ Trajectensi anno 1456 primo quidem Udenheimii sacello in usum Pauperum studiosorum constructo, fundatum est: Verùm ex utroque consensu, & authoritate Joannis nominis I, Cliviæ Ducis 2. ex Sacello claustrum Monachorum Regularium ibi erectum & S. Augustini Capitulo Windesheimensi subjectum; ex quibus Udenheimense quidem Regularibus in vallem gratiæ translatis anno 1580 Monachis de S. Odilano monte, sive sancto sepulchro concessum est. Deinde valle gratiæ anno 1590 bellis Belgicis vastata, Regularibus suum Vdenheimense vetus iterum datum ab itsque inhabitatum est. Fratrum denique Gregorianorum collegia Embricæ, & VVesaliæ sunt. Embricense anno 1470 à nobili viro, Theodorico de Wiel Consule Daventriense, & postmodum Principis Clivensis consiliario fundatum, ac Francisci Nessæi Jurisconsulti sumptibus Anno 1597 restauratum. Vesalienſe Canonicorum irregularium sive secularium quos anno 1435 Joannes de Colliek Clivensis, domo, quam à sorore defuncta ejus ex asse hæres, Vesaliæ acceperat, in cœnobium conversâ, ibidem collocavit, ipse prius Monasterii VVestphalorum in Cœnobio ad rivum salientem, anno 1400 instituto, Canonicus factus.

Cœnobia Vestalium in provincia Clivensi.

Vestalium deinde Monasteria sunt: Generosarum & Nobilium virginum: Eltenum imperiali licet subtutela tamen Clivia comprehensum in S. Viti memoriam, in monte alto à VVichmanno Zutphanio anno 968 Lutharda filiâ prima Abbatissa constituta,

con-

constructum: quam fundationem Otto primus seu Magnus Monasterio in tutelam suam, & imperii recepto, atque ab omni judicis temporalis potestate solo Advocato excepto, exempto anno 970: Otto II. filius anno 980: Otto III. nepos anno 997: Lotharius Saxo anno 1134 confirmarunt.

Beedtbergium à Ludolpho Comite Cliviæ circa annum Christi 800 mortuo, primo in Monte Joachimi, quem antiquitus vocarunt, ut oratorium sive precationis locus esset, sicut nomen quoque sonat, prope Clivos ædificatum: postmodum labentibus temporibus à Theodorico nominis II. Conradi filio anno 1124 in cœnobium Ordinis Præmonstratensis, & demum in collegium Virginum nobilium exemptarum conversum, & jam bellis Belgicis devastatum, desertum jacet.

Vallis Comitis, hodie novi Claustri, ab instauratione ob bellum civile Archiepiscopatus Colonienſis vastati, an. 1474 facta ita dictum, Ordinis Cistercienſis primitus, anno 1255 ab Ottone III. Geldriæ Comite, ejusque conjuge Margareta Clivia structum, Vestalibus ex eodem Ordine aliquibus Ruremunda in illud deductis, Arboris Marianæ Ordinis Brigittini, anno 1460 à Maria Burgunda Adolphi primi Clivensium Ducis vidua erectum.

Hagenbuschium prope Santos Benedicti regulam amplexum, anno 1150 ab Arnholdo Archiepiscopo Col confirmatum anno 1465 reformatum & clausum.

Varensburgium vulgo Furstenbergium, seu Mons Principis appellatum, sub Henrico Imp. & Friderico Archiepisc. Col. Arnholdo comite Clivio, Hermanno præposito Santensi, & Cunone Abbate Siegebergensi anno 1119 à Norberto Santensi Canonico, & postmodum Magdenburgensi Episcopo in honorē Christi, B. Maria virgine nati, primum ordini Benedictino Siegenbergensi monasterii, an. 1056 ab Annone Dassellio Archiepiscopo Col. cōditi, concedente Henrico de Thornice ejusq; fratre Bavone, Henrico vero Alpenio an. 1144 ex suis bonis multum augente, acquisitum, Deinde Cistercienſium ordinis, Hierstensi prope Daventriam cœnobio exusto 3. Kal. Martii an. 1259 sub Conrado Hochstedeno Archiepisc. Col. Goswino Decano, & Archidiacono Santensi, & Theodorico comite Clivio consentientibus Monachis Siegebergensibus traditum, anno 1467 à Palæopedii seu veteris Campi Abbate, Henrico â Rhay, Arnholdo Herenhovio priore Carthusiæ Gravienſis prope VVesaliam multum monente, & urgente reformatum, anno 1586 bellis Belgicis destructum, Vestalibus Santos migrantibus, ubi illis monasterium S. Agnetis anno 1606 concessum, & cum Hagēbuschianis, autoritate Joannis Wilhelmi Cliviæ, Juliæ, Montium Ducis divisum est.

Averdorpense, quasi dicas transpaganum an. 1125 ad Vesaliam, à Godefrido, & Ottone Comitibus Cappenbergicis conditū, Prēmonstratoque ordini dicatum hodie, destructo anno 1598 bellis Belgicis monasterio, in ipsam urbem VVesalienſem trāslatum est.

Sleedenhorſtanum Ordinis Ciſtercienſis prope Reesa n Bernhardus à Rees vir Equeſtris dignitatis præcipuus, circa annum Domini 1240 inſtituit; Cum enim ipſe Impelium itidem prope Reesam jacens, frater Henricus Sleedenhorſtanum poſſiderent, permutatione Impelii cum Sleedenhorſtano facta, hoc in cœnobium convertit, quod anno 1459 itidem à Palæopedio reformatum & clauſum eſt.

Sterckradienſe anno 1240 Mechtildis de Holt ceu Mariæ ritulum Ordinem quoque Ciſtercienſem obſervantem fundavit: cujus Veſtales etiam à Palæopedio anno 1465 reformatæ.

Duſſerenſe prope ſylvam Duiſburgiam itidem Ciſtercienſis ordinis, alias via cœli dictum ab Alexandro Talck cive Duiſburgenſi anno 1235 conſtructum, & ab Henrico à Molenarck Archi-Epiſcopo Col. ſub Arnholdo Abbate Campenſi confirmatum, illique ſubjectum eſt.

Cœnobia Ordinis Franciſcani tertii, Monialium etiam Weſaliæ, & Duiſburgi ſunt: Mariæ Campium itidem minoris & alterum majoris conventus Embrica, & VVeſalia habent; Conventus denique Stockhumienſis, & Veſtalium plebejarum in omnibus Provinciæ Clivenſis oppidis accenſentur, de quorum omnium Monaſteriorum fundatione, augmento, reformatione, quia in hiſtoria ipſorum Principum Cliviæ prolixius dicturi ſumus, ideo recta ad iſtos accedimus.

COMITES CLIVORUM

ex proſapiâ primâ.

SItu, fluviis, urbibus, oppidis, municipiis, Dominiis, ſtatuque tum politico, tum Eccleſiaſtico provinciæ Cliviacæ explicatis, nunc porro ipſorum Principum hiſtoria pertexenda eſt. Qui primum Præfecti, ſeu Toparchæ, locorum iſtorum, ab Imperatoribus Rom. & Regibus Frãcorum conſtituti, Comites non longe poſt Imperii hæreditarii, & ex quatuor præcipuis primi evaſerunt, tandemque Marchia accedente VVeſtphalica in Duces evecti ſunt.

Dynaſtarum primus anno 713 ut initio annotavimus, fuit Elias Grajus Eques auratus, qui licet inquilinus non fuerit, utpote origine, nec Francus, nec Germanus, ſed Græcus, adeoq; ob proſapiam hanc uxori non inquirendum edicens, fabulæ Cygnææ ſupra refutatæ occaſionem præbuit; Inquilini tamen Principis Theodorici Theiſterbandiæ Comitis, & Cliviæ, eique vicinorum locorum, Præfecti, filiam unicam & hæredem Beatricem nomine duxit, & cum hac ſtemma nobiliſſimum longâ ſerie per 26 ſucceſſores propagavit.

Hic ergo de Theiſterbandiæ Comitatu dicendum eſt, qui longe à Taxandria alius, quas tamen Provincias aliqui confundunt.

Taxan-

Taxandria enim ut Ioanni Geropio Becano placet, à sterilibus Sabuletis nomen habet, & in Brabantia sita; Theisterbandia autem à quercubus appellationem sortitur, ut Bernhardus Furmer. Annal. Fris. lib. 7. existimat: Heister enim lingua vernacula populi Batavi quercum, Bant Campum denotat, quibus in unum compositis, addita præpositione the per syntheſin, Theisterbandt / quasi dicas, querquetulanum, efficies: quod etiam trunci sub terra occultati qui subinde in illo tractu effodiuntur, atque in Dordrechti æstuario vicus nomine Heisterbach nunc fluctibus oppressus, oppidum denique Worcumium, olim Woudricheimium, id est, si Latine transferas, fundus sylvestris, sex sylvæ dives dictum, arguunt. Situm præterea suum habet Theisterbandia in antiqua Batavorum insulâ, & scuto leonis ad instar Phrisiorum cespitum cum sex libis scandentis insignita fuit, ut inde quoque intelligatur, juxta eundem Furmerium, Phrisiam veteri sæculo in cis- & trans-Rhenanam divisam fuisse, & in illâ quoque alios superiores, & inferiores alios appellatos. Totam autem à porta Neomagi incipere, inque Sinsala sive Schaldi olim desinere, eamque Frisios, Hollandos, Selandos complecti; Idem docere Mejerum in Annal. Flandr. ad Annum Christi 691, & ad Annum 1011, vult idem Furmerius; Epigramma denique marmori portæ Heselianæ Neomagensi inscriptum: Hucusque jus Stauriæ; ab altera parte ad ortum, hic pes Romani Imperii; idipsum approbare, cum Stauriam Frisiorum metropolim olim fuisse certum sit.

Comprehendit autem Comitatus Theisterbandicus olim Insulas Tielanam, & Bommelienſem, ditiones Worcumienſem & Gorcumienſem, Heusdanam, Herculeam, Altenanenſem, Cuilenburgiam, Viannenſem, ac quicquid à Leccâ (obstructione Rheni ad Cattorum vicum in littore Rheni, ob quam ostium ejus medium posteà exaruit sic dicta) Linga itidem olim fossa longa seu Corbulionis appellata (qui Plinio libro 4. cap. 15. Tacito, Dione aliisque testibus, ut stagnantes aquas ex Rheno in Mosam educeret, illam deduci jussit) ad veteris Mosæ Rhenique alveum continebatur. Porrò ex hac illustri & antiquissima familia Comitum Theisterbandinorum, non Hollandiæ tantum, sed Cliviæ quoque, Geldriæ, aliique complures Principes & Dynastæ originem suam trahunt.

Nam quod ad Hollandiæ Comites attinet, Rex Arnulphus Anno 889 Francofurti, Gerolpho Theisterbandiæ Comiti, Altenacum, Suidershagam, ut putat idem Furmerius, Buscumducis, Aelburgum inter Worcumium & Heusdam: deindè à Woudrichemo ad Mosam Sylvam-ducis versus, Ortham, Hornam, Wyckam, Aelstiam, & Bochoviam concessit: Hujus Gerolphi filius Theodoricus primus Hollandiæ Comes fuit, & Theodoricum II genuit, cui Vasda donata fuit.

De Geldriæ præfectis infra.

Elias verò Grajus, obscuræ quamvis originis, bellis tamen ut diximus Frisio, Saxonico & Bojo valdè excellens, inque iis Carolo Martello egregiâ operâ præstitâ, eidem charus & acceptus fuit, & Beatrice Theodorici ultimi Cliviæ Dynastæ filiâ ductâ, à Theodorico Francorum rege primus Cliviæ Comes creatus & confirmatus est.

Ex Beatrice autem tres filios suscepisse volunt, Theodoricum Cliviæ, Godefridum Lonensem, & Conradum Hassiæ Comites, & primo quidem insignia sua, octo nimirum sceptrorum clypeum, quo hodie etiamnum Clivenses principes utuntur: secundo Cornu suum aureum; tertio annulum suum tradidisse volunt Annales Clivii vetusti, quorum veritas penes auctores esto.

De octo sceptris Cliviis, ita vir quidam nobilis & doctus in Ducatu Clivio:

Sceptra suis sceptris, adjunctas urbibus urbes
Arcibus atque arces, cerne, pagosque pagis,
Hæc concrescentis patria est illustris imago,
Hæc sunt Cliviacæ sceptrigera arma domus.
Iustitia has collegit opes, pietasque regentis,
Distractas has vis impietasque dabit.

Porrò *Theodoricus* Clivius à matris suæ agnato sine liberis defuncto Theisterbandiam dono accepisse fertur, atque ob pietatem cæteraque quibus emicuit virtutes eandem ab Episcopo Ultrajectino jure fiduciæ obtinuit, & ad posteros derivavit, donec eam Robertus Ludovici comitis Clivensis octavi filius inter suos liberos distribueret, & Theodoricus Gerolphi Frisii pater ex eâ Altenacum obtineret, Robertus Heusdenam, ut jam porro indicabimus.

Cum autem ut supra dictum est, Elias Grajus Beatricis maritus in expeditione Saracenica occubuisset, illa quoque ex nimio luctu paulo post decessit, anno Christi 735. De ea ita Petrus à Streithagen Canonicus Hinsbergensis, in Ducatu Julio, in Tetrastichis suis:

Principium generi Clivio de nomine dicto
Matrona antiquâ nobilitate dedit,
Inde tot ætatum seris labentibus annis
Illustris radians perstat honore domus.

De marito verò ejus:

Elias validis memorabile nomen in armis,
Virtutis retulit præmia clara suæ.
Namque Beatrici fœlici fœdere junctus,
Dotalem titulo condecoravit humum.

Theodoricus secundus, Patri & Matri, vel ob ejus suaque propria merita, vel ut alii existimant, per mortem avi Materni Gualteri ultimi Theisterbandiæ Comitis, sine hærede defuncti anno 742 successit, & Comitatum ab Episcopo Vltrajectino in feudum accepit, cumque cum comitatu Clivensi quinque & viginti annis administravit. Post Carolum Martellum defun-

defunctum, Carolomanno ejusque filio Pipino adversus Germanorum rebellionem opem tulit. Nam auditâ Saxonum defectione, raptim copiis in Ripuaria congregatis adfuit, Veriti autem Ripuarii, ne ad nomen Theodorici victoriæ fama transiret, si eum in eodem prælio secum haberent, ideo sine eo cum Saxonibus congredi decreverunt; quod malè ipsis successit. Vide Annales trium Regum Francorum Pipini, Caroli Magni, & Ludovici Pii ab Hermanno Novæ Aræ, & Ulpiorum Comite restitutos, & Carolo V. Cæsari dicatos. Ex Idâ, ut Catalogus vult, Hannoniæ Comitis filia, Reinholdo successore & Ida Comitissa Kuickiensi relictis, anno Christi 759 in fata concessit: de quo ita Streithagenus:

Belligeri subiit post fata suprema parentis
Materni natus nomine dictus avi.
Cætera quæ possent illius laudibus addi
Longa vetustatis tempora nocte premunt.

REINHOLDUS Theisterbandiæ, & Cliviæ Comes tertius, annis præfuit his ditionibus undecim, de quo Stephanus Pighius Annales Clivenses secutus in Hercule suo Prodicio tradit, illum cum Pipino Heristallensi Danos sive Nortmannos, Oceani littora, adeoque Hollandiam & Ultrajectinensem Episcopatum ferro igneque infestantes, Cliviamque tributariam reddentes, compescuisse; Radbodum etiam Frisonum regem, de quo in prima parte, Ultrajecto profligasse: cum tamen diu ante annum 759, quo Reinholdus præesse cœpit, uterque obiisset, Pipinus quidem anno 714; Radbodus anno 719, & prima etiam Danorum irruptio anno 816. ab omnibus ferè scriptoribus ponatur, nisi quis Annales de Pipino Caroli Magni patre, qui anno 768 obiit, & Radbodo secundo ei coætaneo loqui velit, ut pateat magnos Joves, ut ille ait, quandoque emori. Verior ergò sententia est, illum Pipino regi, Patri Caroli adversus Saxones in Orientali Francia militasse. Sub hoc Comite Reinholdo à S. Lebuino Collegium Canonicorum Daventriæ, & simile Zutphaniæ & Embricæ constitutum est. Obiit post undecim annorum imperium anno Christi 770 ex conjuge Isabella, aliis Reginoflida vel Aleida Ardennæ & Limburgi Ducis filia Lonone Luiffio seu Ludolpho dicto successore relicto, de quo Streithagenus:

Reinholdus Frisios domuit sine fine rebelles,
Et tulit à sævo clara trophæa Duce.
A Duce Radbodo qui sacri transfuga fontis
Cum proavis stygios maluit ire lacus.

LUDOLPHUS primus, Comes Cliviæ, & Theisterbandiæ in ordine quartus, Carolo Magno in expeditione Saxonica plurimum subsidii tulit. Cum enim ille ut Annalium partis primæ lib. 3. dictum est, in Hispaniam contra Saracenos moviisset, Saxones, suasione VVitekindi Angariæ Ducis, qui ex duodecim Regulis tum

universæ Saxoniæ imperium moderabatur, rebellare cæperunt, quos Carolus per suos ipsa hyeme aggressus magna ex parte fugavit, iterumque ad deditionem compulit. Tandem verò Ludolphus Comes, pacis & quietis amantior, rebus domesticis compositis, divinis totum se consecravit, ex singulari pietate in monte Joachimi Eremitæ cujusdam in sylva ibidem latitantis Bedtbergâ, quasi dicas oratorio, seu precationis monte, prope Clivos ædificato, ibi vitam piam toto reliquo vitæ suæ tempore egit. Hoc oratorium labentibus temporibus anno nimirum Christi 1124. in Cœnobium ordinis Præmonstratensis, à Theodorico nominis II. & demum in Collegium Virginum nobilium exemptarum mutatum transiit, & jam bellis Belgicis devastatum, desertum jacet. Præfuit annis viginti, & diem in his terris extremum clausit anno Christi 790.

Ex Adelheide sive Aleida Sigisberti Regis & Ducis Aquitaniæ filia, quæ ex eadem, qua Comites Hollandiç, stirpe, prognata, JOANNES successor ortus est; de Ludolpho patre ita Streithagenus:

Ludolphus pariter clarum se præstitit armis
Et tibi devotâ, Carole Magne, fide.
Degentes etenim trans Rheni Saxones undam
Pendere su scepto compulit ara jugo.

Joannes primus, Comes Clivensis & Theisterbandiæ quintus, cum Carolo Magno V Vitekindum Saxonem anno 798 vicit, non vero, ut Annales Clivenses volunt, occidit; cum constet eum à Carolo inductum, Christiana sacra piè atq; ritè admisisse Ex conjuge Constantia, Michaëlis Curopalatis, non verò Palæologi ut vulgò scribunt, quia Synchronismus non convenit, post avulsum occidentem, Orientis Imperatoris filia, Robertum & Balduinum sive Baldericum mutuos successores genuit: & post 11 annorum imperium excessit, anno Christi 801.

ROBERTUS ejus nominis primus sub eodem Carolo re & nomine magno Rom. Imp. post patrem defunctum, ejus habenas primo capessiit, Comes Cliviæ & Theisterbandiæ factus in ordine sextus, qui quinquennio illo quo præfuit ad exemplum majorum suorum ipse quoque in debellandis Christiani nominis hostibus zelum atque alacritatem suam ostendit, eò fælicior, quòd post annos tres & triginta anno Christi 804. finem atrocissimo bello impositum, & Episcopatibus variis, in barbaris locis erectis, divinum cultum longè lateque propagatum viderit. Ex Garigna, aliis Mechtilde, Ducis Lotharingiæ filia vel sterili, vel unica tantum filia, non diu tamen superstite, ut alii volunt, edita, summa rei ad Balduinum fratrem pervenit anno Christi 806.

Hic igitur Comes Cliviæ & Theisterbandiæ septimus, sub Ludovico I. dicto Pio anno 806 factus, ex conjuge Hildegarde Ludovici Comitis provinciæ & Caroli M. ex Ludovico filio nepotis in regno Franciç, filia, suscepit iterum Ludovicum & Eberhardum in comitatu Clivio mutuos successores: Robertum denique cui comitatum Theisterbandiæ, pater Eberhardus & fratres à Cliviaco

avulsum

avulsum quidem tradiderunt, sed jus fiduciæ, quod feudi vulgo vocant, sibi nihilominus in eum reservarunt. Ex filiis enim Roberti Theodoricus, Robertus & Ludovicus, ex Cunegunde filia comitis Hogensis ipsi natis, primus quidem stirpem Comitum de Altena propagavit, eumque Gerolphi Frisii patrem fuisse vult Bernh. Furm in Annal. Fris. Ludovici autem pronepos fuit Anfredus Episcopus Trajectensis, qui Balduino itidem Clivensi successit, cui Impp. Otto III. Bommeliam, Henricus verò II. dictus Claudus Dux Bavariæ Ottonem secutus Drentiam anno 1006 donarunt & confirmarunt, ipse vero Comitatum Theisterbandium inter proximos agnatos, anno 994 divisit: & Comitatu suo Hoyensi in manus Ottonis II. ad usum Ecclesiæ Leodiensis resignato, inque comitatu Riensi sex pagis Ecclesiæ Trajectensi donatis, comitatibus relictis, in monasterium quod ipse propè Amesfordiam in monte sancto anno 999 condidit, se abdidit, & in senecta luminibus orbatus 5. Non. Maji anno 1008 vitam cum morte commutavit. Robertus autem primus Heusdæ Dominus, & quidem Clivix Comitum beneficio factus, ex Adama Henrici Cuyckii filia Balduinum genuit, & anno 857 in fata concessit. Balduinus adhuc adolescens cum diu Edmundo Angliæ regi militasset, filiam ejus Sophiam clam Heusdam abduxit, & invito patre uxorem accepit, Puderoyam, Brakelam, & Alstam pagos condidit; Ipso verò anno 870 mortuo Sophiam filiam Rex Edmundus quæri jussit, quæ Heusdæ purpureum sericum rubra rotæ machina nere inventa est. Pater ab amicis placatus nepotes ad se accersitos blandè suscepit, utque in maternæ familiæ memoriam armorum insignia commutarent, & purpuream in aureo scuto rotam, supra galeam vero aures asininas interque eas cæruleam coronam, ac auream rotulam collocarent, jussit, quæ insignia posteri Heusdæ Dynastæ retinuerunt. Sophia Anglicana post fata Alt-Heusdæ anno 890 inhumata est, relicto Roberto II. Heusdæ Domino successore, qui ab avo materno in Angliam evocatus, liberaliterque donatus ad lares patrios remissus anno 914 obiit. Hujus filius Edmundus anno 956 & nepos Robertus III. Heusdæ Domini anno 972 in vivis esse desierunt. Roberti verò III filius Balduinus III. ex Aleide Gennepia Johannem II. & Alverardem Theodorici II. Bredevordæ Domini uxorem reliquit, & anno 1028 excessit, Johannes vero Heusdæ Dynasta anno 1073 mortuus, Robertum ejus nominis quartum, & Aleiden Joannis Arculei Domini uxorem edidit. Robertus IV. anno 1093 defunctus, ex Johanna Herculea Balduinum IV. & hic anno 1135 mortuus ex Bertrande Lippiaca Ioannem III. reliquerunt. Joannes III. ex Christina Arenbergia, Wilhelmum & Arnholdum procreavit, anno 1153 vita defunctus, Arnholdus mortuo sine hærede fratre anno 1153 ex Maria Salmensi Joannem IV. & Balduinum Herwini Dominum genuit, & an. 1168 excessit. Joh. IV. ex Lucia Hornana vicissim Robertum V. & Gualtherum Spiringium, à quo familia illa nobilissima descendit, edidit, obiit an. 1192 Robertus V.

Heusdæ Dynastarii series.

Ioan-

Joannem VI. & alterum Joannem venę dominum, anno 1232 vita functus genuit. Iohannis VI qui anno 1279 vivis excessit filius Iohannes VII. Heusdæ dominus cum fratre Arnholdo Slusæ, ejusque filio Ioanne venæ dominis, Florentii Hollandiæ Comitis vasallus ideo factus, quia Theodoricus Cliviæ comes ei sub prandio liberali manu jus omne quod in ditionem Heusdanam ac Altenacensem habebat concessit, factis ea de re publicis tabulis, anno 1290. Hic Joannes vita excessit anno 1302: filius verò Arnholdi anno 1318 cujus filius Guilhelmus, jus suum in eandem ditionem adjuvantibus eum quinque filiis, summo studio tutatus est; offensis enim Buscoducensibus illi à Florentio patrono suo, hi à Duce Brabantiæ auxilium petunt, sed à Brabantino victus Guilhelmus, & ditione Drongelana atque Heusdana pulsus, hac conditione iterum admissus est, ut eam à Brabantino in feudum recognosceret. Tandem verò post mutationem variam arbitrio Guilhelmi Bavari Hollandiæ Comitis Brabantinus Heusdana ditione absolute cessit.

Sed ad Balduinum redeamus. Is exequiis Caroli M. anno 814. 5. Kal. Febr. in urbe Aquensi celebratis interfuit, tum etiam Ludovicum Pium à filiis imperio exutum, & successione ut vult Münsterus, sive Compendii ut Baronius, sive Aquis ut Beckius in custodiam detrusum fortiter adjuvit, & pristinæ libertati & honori Cæsareo cum multis aliis principibus, inprimis Ludovico Bavaro & Balduino Flandro restituit, & Noviomagum reduxit. A quo propterea Tubantia, vulgo Twentia donatus, oppidum Veterocellense, alias Aldenseel ibidem condidit, in eoque collegium Canonicorum fundavit, Plechelmi Episcopi & Marcellini memoriæ consecratum, obiit post 16 annorum Imp. anno Christi 822 de patre ipsius Ioanne ita Streithagenus in Tetrastichis:

Iohannes etiam laudis successensus amore
Threicii coluit castra cruenta Dei.
Et Witekindum contra fæliciter instans
Victricis meruit frondis ab hoste decus.

De fratre vero Roberto:

Nec minus illustri nixus virtute Robertus
Magnanimæ dextræ prospera signa dedit,
Vel tum præcipuè, quando devicta supremò
Admisit Christi Saxonis ora jugum.

De ipso Balduino:

Succedens rapto Balduinus in ordine fratri
Adstitit exequiis, Carole Magne, tuis.
Cumque patrem nati bello insequerentur & armis,
Cæsareo, juvit, motus honore, PIUM.

Ludovicus autem sub eodem Ludovico Pio Imp. Comes Cliviæ octavus cum annis præfuisset quatuor vel quinque, Comitatus provinciæ etiam à matre factus hæres, utrumque ei mors præpropera, cum rei bene gerendæ occasione, in ipso virtutum vestibulo præri-

præripuit. Ἀγαμος enim atque cælebs sine hærede excessit, anno Christi 827. De eo idem Streithagenus sic canit:

Absolvit brevibus vitam Ludovicus in annis
Et post se liquit pignora nulla thori.
Namque obiens prima verno sub flore juventæ,
Vxori nondum consociatus erat.

Ejus tempore Dani & Nortmanni propter tributum multis annis non solutum, Saxoniam, Westphaliam, Sicambriam, nunc Geldriam & Cliviam ingressi, Rhenumque transeuntes, Hollandiam, Bataviam, & Ultrajectum cum arce **Bredenborgh** depopulati sunt.

Eberhardus patri Balduino, & Ludovico fratri successit, sub Ludovico Pio & Lothario ejus filio comes Cliviæ nonus, ob matrem Provinciæ quoque Dominus dictus, pius & iustus princeps, qui cum uxore Bertha Ludovici Bavariæ Ducis filia duos filios non solum egregiis animi & corporis dotibus conspicuos, sed & sanctitate maximè illustres genuit; Luthardum successorem, qui postea quoque in Catalogum Sanctorum relatus est; de quo Joh. Molanus in Martyrologio asserit in 15 diem Septemb. festivitatē ejus incidere, & viram rythmo comprehensam Lovanii excusam esse; Berengarium item Episcopum Tullensem, cum quibus sicut etiam uxore Bertha collegium Canonicorum Wisselæ S. Clementis, & virginum Vestalium Canonissarum S. Quirini Novesii instituit, multisque bonis & reditibus dotavit; inprimis Novesiensi collegio Eberhardus duas in **Weslinghoven** & **Herden** villas, rogatu filii Berengarii, assignauit, quas Archiepiscopus Colonienſis divisit, sibi jurisdictione utriusque loci retenta, anno 1074: ut ex satis longis literis eodem anno, indictione 12. 4. Kal. Octobr. sub Henrico IV. Cæsare, & Papa Gregorio VII datis, apparet, Inprimis verò memorabilis est tabula in Ecclesia Novesiensi hac de re suspensa, quæ ita habet: *Anno Christi 825 Indictione 3. Eberhardus Comes, & Bertha uxor ejus nobilis matrona, Ludovici Bavariæ Ducis filia, nec non Luthardus Comes Clivensis, & Berengarius Episcopus Tullensis eorundē filii duas congregationes Ecclesiarū, unam in Wissel, & alteram Novesii Canonicorum & Canonissarum sub Gunthero Archiepisc. Colonienſi, & Ludovico Romanorum Imperatore, & Caroli M. ex Ludovico pronepote fundarunt.*

Hæc duo Collegia laudabilem hodieque inter se consuetudinem observant, ut alterius collegii membrum in aliud veniens beneficii præsentia gaudeat. Collegio VVisselensi anno 1192 Theodoricus nominis IV. decimas quasdam assignavit: eidem Sacellum, Hulhusium cum decimis Theodoricus VI. anno 1252 attribuit, ut in vita utriusque annotabitur.

Porro ex his liquido constare potest, Novesium tractum, sive hæreditate, sive beneficio Imperatorum, & Austrasiæ regum tum temporis Clivensium fuisse, eorumq; jurisdictionem eousque protendisse: quod perantiquum illud eorundem jus in confini castro & Dominio Hulckenradio cōfirmat, quod à comitibus Clivensib⁹

ad

ad Dominos Heinſbergios & Saffenbergicos, & ab his ut infa etiã dicetur, cum Aleida Heinrici Domini de Heinſbergh filia, anno 1257 ad Theodoricum VII. Cliviæ comitem iterum pervenit, qui viciſſim illud fratri juniori ceſſit, hic vero tandem an. 1294 Eccleſiæ Colonienſi vendidit. Continet autem comitatus hic Hulckenradium, Linnium, Dyckium caſtra; pagos verò VVilichum, Viſſelium, Oſteradium, Herdenum, Nielium, Langium: ne de telonio in pago **Strump** (cujus in privilegio Abbatiæ Campenſis mentio fit) & de tota ditione Linnenſi, olim ad Clivenſes comites pertinente, comitatu item Moerſenſi contiguo, & antiquo Principum Clivenſium feudo, aliquid dicam.

Rexit Comes Eberhardus Comitatum Clivium annis novem, obiit anno 835 Noveſii in collegio S. Quirini à ſe fundato poſt altare S. Crucis tumulatus: de quo Streithagenus

Fœlix ante alios, fœlix Eberharde parentes
Et merito Muſis commemorande meis.
Te genuiſſe tuæ ſatis ad præconia famæ eſt
Et vero tantos te genuiſſe viros.

De Luthardo ſub Lothario Lud. II. Carolo Calvo, & Lud. III. Impp, Cliviæ comite decimo, Pighius ſcribit, quod ob virtutes, vitæ puritatem ac ſanctimoniam, meruerit affinitate ſtirpis Caroli Magni, & domus Cæſareæ decorari, & Arnulphi Imperatoris filiam Bertham in uxorem accipere, ex qua duos filios ſuſcepit, Balduinum ſeu Baldericum ſucceſſorem, & Ricfridum Tubantiæ Comitem, cujus filius Balduinus Epiſcopus Ultrajectinus factus, Trajectum à Danis & Nortmannis vaſtatum reſtauravit, & muris altis munivit; Româ corpora SS. Pontiani, Benigni, & Agnetis, ut dicitur, eò divexit, & Tubantiam Cliviæ ereptam Eccleſiæ Ultrajectenſi adjecit: obiit anno 979, ante eorum tumbas in Trajectenſi Eccleſia tumulatus.

Luthardus verò Abbatia Eſſendienſi nobilium virginum cum Alfrido IV. Hildeſheimenſi Epiſcopo anno 887, & Monaſterio in Salenſtatt anno 877 fundatis, poſt 44 annorum imperium anno 881 mortuus, auctoritate Papæ Divorum numero adſcriptus eſt, cujus caput hodieque in Eccleſia collegiata Wiſſelenſi aſſervari fertur, ideoque de eo ſic Johannes Melas Clivenſis,

Forte cupis templo quis præſit noſcere lector
Huc oculos flectas ac lege certus eris.
Maxima Luthardus Clivenſis gloria plebis
Hac nobis colitur præſes in æde ſacra.
Qui Comes illuſtris decimus fuit ordine quondam,
A Domino fidè credita ſceptra gerens.
Nobilis electo qui vere ſtemmate natus
Nobilior multo ſed pietate fuit.
Magnanimo præſtans Eberhardus & inclytus Heros
Subjectis genuit pignora tanta ſuis.

Clivia gens primis hunc mirabatur ab annis
Gaudebat merito plurimum uterque parens.
Quem mare quem tellus quem vastus suspicit æther
Assuescit teneris latus amare Deum.
Pigritiem fugit, qua verte est lerna malorum
Incubuit sacris nocte dieque libris.
O quantum ad veros iuvenis contendit honores
Subjiciens Domini sedulo colla jugo!
Sanctus, morigerus Patribus, monitisque parentum
Optima præposuit, pessima quæque cavens.
Turgidulum sprevit fastum cælestia quærens
Blanditias sprevit gaudia vana simul.
Turpibus abstinuit, non cor malesuada libido
Non crimen potuit, nec penetrare dolus.
Affligens teneros vigilando corporis artus
Molliciem fugit lautitiasque simul.
Pectore Luthardus suspiria duxit ab imo
Pro se proque suis numina sæpe rogans.
Despexit nimium ventosa murmura famæ
Supremo studuit rite placere Deo.
Iugiter immota fuit hic virtutis amator,
Tempsit opes, miseris munera larga dedit.
Subjectos placida conservans pace quietos
Æterni coluit jura sacrata Dei.
Æquoreas citius numerare veris arenas
Omnia quam tanti dixero gesta viri.
Ædificant alii speciosas fortiter arces
Vt reddant populo nomina clara suo.
Hic meliora sequens venerandas construit ades,
Inscriptum cælis nomen habere studet.
Acceptam terram sacros convertit in usus,
Binaque construxit cum Patre Templa suo.
Hymnisonas voluit laudes hic dicere Christo
Sancta conspicuos religione viros
In templo quod habent Nussenses carmine jussit
Nobilis ut Triadi sanguine virgo canat.
Vivere cum thalamis cælebs decreverat, Heros
Propositum vetuit subditus atque Parens.
Præcipitur chari vitam post vota Parentis
Vxoratus agat, Clivia tecta regens.
Cæsaris Arnulphi meruit sibi ducere gnatam
Conjugio tanta nobilitate Comes.
Talia præstiterant Pietas & maxima gesta
Militiæ virtus fama decusque viri.
Reliquit Patriæ binos ex conjuge natos
Multis conspicuos religione pari.

Zephlicenſe comes Balduinus nomine Templum
Chriſto Luthardi digna propago ſtruit.
Idem ſuccedit Patri iam morte ſoluto
Richfridus frater Twentica tecta regit.
A Chriſto tandem Luthardus morte vocatus
Exuvias poſuit corporis, aſtra petens.
Cœlitibus junctus vivit cum Principe Chriſto,
Sedibus æthereis nil niſi læta videt.
Quam fœlix moritur Domino qui rite miniſtrat
Quanta parata ſibi gaudia juſtus habet?
Ædibus his igitur Luthardus præſidet Heros
Qui modo flammigeri regnat in arce poli.
Hinc propone tibi lector ſtudioſe Patronum
Vt referas Comitem moribus atque fide.
Poſt obitum celſam ſic ingredieris in aulam
Cœlica perpetuo gaudia lætus agens.

Petrus à Streithagen verò ita in Tetraſtichis ſuis:

Vngaria Stephanus, Gallis Ludovicus honori eſt,
Sarmatia fulges ô Caſimire decus.
Clivia Luthardi magna pietate ſuperbit,
Quemque ſolo coluit, nunc colit ipſa polo.

Sic vulgo exiſtimatur ut ſupra diximus.

De eodem ſimiliter Petrus Verhagius in Collegio Clivopolitano Canonicorum Scholarcha:

Ælia gens atque Vrſinii Carolique propago
Te reddunt celebrem DIVE LUTHARDE *Comes.*
Aſt pietas tecum primis qua crevit ab annis
Te magis illuſtrem fecit in arce Poli.
Ergo regali quàm fers à Stemmate laudem
Virtute hanc multo fœnore reddis ei.

De Berengario verò ejus fratre Comite Clivio, & Epiſcopo Tullenſi ita anno 1632:

Sceptriger à degente, tuum cum fratre Luthardo
Stemma, Berengari, ſancta propago, trahis.
Clivia te genuit, nutrivit Muſa, polivit,
Callidice, amplexa eſt Pontificem, Auſtraſia.
Bina hac prole Eberharde comes ter tertie fulges,
Quos jure indigetes Patria noſtra colit.

Luthardi tempore Dani quoque cum 350 navibus Rhenum aſcendentes, Trajectum ad Rhenum ſeu inferius, Noviomagum, Cliviam, Santos, Noveſium, Coloniam, Trajectum ad Moſam ſeu ſuperius, ferro igneque vaſtarunt.

Præterea BALDUINI ſive BALDERICI ſecundi, ſub Carolo Craſſo Arnulpho & Conrado I. Impp. Comitis Clivenſis undecimi, ætate, Hunni ſive Hungari Pannoniâ egreſſi, plurimas Europæ regiones, videlicet Galliam Ciſalpinam, Bavariam, Saxoniam, Sueviam, Thuringiam, & VVeſtphaliam invaſerunt, ferro & flamma ubique graſſantes; contra quos ſub Conrado Imperatore,

anno

anno 911 electo, à quo leges Francicæ seu Salicæ dictæ sunt, Lotharingiam recipiente, cum aliis Germaniæ Principibus Balduinus quoque pugnavit, iis ingenti prælio juxta Ænum victis fugatisq;. Ex Mechtilde Saxoniæ Ducis filia Arnholdo successore; & Mechtilde Comitissa Lononiensi & Balduini Episcopi Trajectensis viri eruditione & sanctitate conspicui matre ipsi natis, cum Provinciam Cliviam annis 37 administrasset anno 917 exspiravit, de quo Streithagenus:

Cum gens seva Hunni ferro flammaque vagantes
Teutonici rueret funditur arva soli,
Baldericus placida contempsit tempora vita
Armaque pro sancta relligione tulit.

Arnholdus filius Balduini sub Henrico primo dicto Aucupe & Ottone primo seu Magno Henrici filio Impp. Comes Clivensis duodecimus, paternarum virtutum æmulus, itidem contra Hungaros pugnavit, quod tunc Germaniæ communis clades, & Clivensis sanguinis virtus maximè poscebant. Pugnavit autem sub Henrico Aucupe, qui ita dictus, quod aucupio indulgens, ad imperium anno 919, vocatus esset, ut versus habet:

Fallere quod volucres laqueis fistoque solebat
Aucupis aucupii nomen ab arte tulit.

Hic anno 933 ingenti adversus Hunnos hos victoria potitus est, in qua 36 eorum millibus ad Martisburgum (**Mersburg**) cæsis, reliqui capti, aut aquis absorpti sunt. Idem Henricus anno 940 Ecclesiam in Rynaren, in Comitatu Ermenfridi, ut scribitur, in pago Tubalgone, (vel potius Theisterbandio prope Clivos) ad Rhenum sitam, Monasterio in **Epternach** restituit, ejusque filius, Otto primus seu Magnus anno 948 indictione 3. non. Aug. confirmavit, quam prius anno scilicet 686. ut in prima parte dictum, Ebronius Comes cum aliis bonis Willebrordo Episcopo Ultrajectensi dederat.

Sub Ottone I. Henrici filio & successore Arnholdus Clivius anno 938 primis ludis equestribus Magdeburgi interfuit, & ex Cunigunde Thuringa, Balduino successore edito, & filiâ Adelâ Godefrido Pontano Geldriæ præfecto patri Wichmanni nupta, relictis, post 45. annorum imperium, anno 962. decessit, de quo Streithagenus:

Arnholdus pariter Scyticos conversus in hostes
Illustri gessit plurima digna domo.
Unde suam meruit Magno sub Cæsare laudem
Cujus ab aucupio nomina dicta ferunt.

Balduinus sive Baldericus tertius sub Ottone II. & III. itemque Henrico 2. Imper. Comes Clivensis decimus tertius efficitur: de quo notandum majores nostros Annalium conditores, vel errore, vel ignorantia lapsos, qui non Balduinum, sed VVichmannum in ordine Comitum recensent, Arnholdoque substituunt: nam circa annum Domini 968. VVichmannus Comes non Cliviæ, sed Zut-

Abbatia Xiri ensis.

phaniæ celebre illud cœnobium sanctimonialium in littore Rheni à monte alto, Elrenum, sive à patrono Vito, Vitimontium dictum, in Comitatu (ut habet vetustum diploma) Hammelandio construxit, & multis bonis, reditibus, atque legatis ei attributis, Luthardam filiam primam Abbatissam constituit. Quam fundationem Otto primus seu Magnus dictus Anno 970. monasterio in Mundiburnium suum, ut vocant, sive tutelam, recepto, & ab omni judicis temporalis potestate, solo Advocato quem Abbatissa elegerit, excepto, exempto, confirmavit, & præterea quæ fiscus habebat, telonii ex piscatione Salon, & fluvio Issula dicto **Habedol**/ concessit, quibus præterea Wichmannus Comes, quicquid prædii per beneficium Imperatoris in terra **Vrki**/pago **Sale**/in Comitatu **Nerdineublant** possidebat adjecit: donationē etiā curtis (Villę) **Helmē**/ & **Tozmen**/& **Vozthupsen**/& **Embrick**/& **Hamma**/& **Limersa**/ & **Rijnhoben**/& **Redingen**/& **Bingarth**/& **Gzose**/& **Hosla**/ aliis **Hosla**/ **Thumma**/ **Linda**/ **Lepla**/ **Tozmas**/ **Thuele**/ **Malnarorh**/ & in quatuor civitatibus Homsta, Famelga, Merime, vel Mirime, & Midage, quæ prius Wichmanno Imperator concesserat, & illo Monasterio donavit, rata habuit, prout diploma prius anno 968. indictione 11. posterius 19. Kal. Ian. Indictione decimatertia datum, & sigillo Imperatorio à Zegero Vice-Cancellario, Roberti Episcopi Archi-Cancellarii nomine in Apuliæ civitate Bunii subscriptum testatur. Hæc porro Otto II. 19. Kalend. Jan. anno Christi 980. indictione 9. in palatio Noviomagensi subscribente Willigiso Cancel. ejusdem Roberti Archicancellarii nomine, & Otto 3. anno Christi 997. Indict. 10. subsignante in eodem Palatio Noviomago Hildebaldo Episc. nomine Willegisi Archiepiscopi: Lotharius Cæsar denique anno 1125 coronatus, anno 1134. 4 Idus Aprilis, calculo suo approbarunt; Lotharius etiam consensu reginæ & conjugis suæ Rebeccæ duo talenta probatæ monetæ ex censu Duisburgensi Adelberto Moguntino, & Nortberto Magdeburgensi Archiepiscopis, cum decem aliis Episcopis, tribus Marchionibus, & multis aliis nobilibus, testibus addidit. Ottoni quoque secundo Imp. anno 994. Lotharius Rex Franciæ Austrasiam cum Provinciis cis-Rhenanis inter Mosellam, Rhenum & Mosam, ut sibi contra Nortmannos auxilio esset, cessit.

Porrò Baldericus tertius, Clivensis Comes decimus tertius (ut ad eum redeamus) Adelam Wichmanni Comitis Zutphaniensis filiarum alteram, Imadi qui ex ea, ut Jesuita Browerus vult, S. Meinwercum Episcopum Paderbornensem 10 sustulit, viduam, uxorem duxit, quæ cum rerum Ecclesiæ Altinensi donatarum juxta Saxonicam legem, ob quam sine ejus consensu, pater nullam traditionem facere poterat, mediam partem postulasset, Otto II. litem hanc componere voluit, sed morte præventus Ottoni III. transigendam reliquit, qui cum eā fœliciter quoq;, in palatio Neomagensi cōposuisset, Comes Baldericus cum hac Adela uxore monasterium aliud in pago **Zepflich**/in omnipotentis DEI honorem

& S. Mar-

& S. Martini confessoris memoriam, anno 1000. consensu Imperatoris Henrici & Archiepiscopi Colonienſis, ædificavit, prout versus loquuntur:

Sefflicense Comes Baldericus & Adela templum
Condunt Herbertus quod tibi Christe donat.

Quam fundationem etiam Comes Baldericus pretiosa tabula è tenuissimis laminis argenteis deauratis fabrefactâ exornavit, cui hi versus inscripti leguntur:

Munifico Domino comes hæc munuscula donat,
Baldericum Dominus colentem flore coronat.
Adela jungatur, hinc nobile nomen adepta,
Et sic cum Domino florenti sede recepta
Adsis Gemma Dei nobis tibi dona ferentum,
Et sis adjutor te puro corde colentum.

Collegium autem Zefflicense postmodum consensu Eugenii Pontificis Anno 1436. per Adolphum Ducem Cliviæ primum Craneburgum translatum est.

Baldericus verò post 36. annorum imperium anno millesimo Christi mortuus, & in Zephlicensi templo cum conjuge humatus: sed 10 Octob. anni prædicti 1436. Craneburgum delatus est, de quo Streithagenus:

Mitis & ad superi natus consortia regni
Eximia junxit se pietate Deo
Huic etenim semper studuit, Templisque dicatis
Testatam ad seros usque reliquit avos.

Circa hoc tempus nempe exacto post Christum natum millenario cum decennio ab Irmgarde comitis Zutphanienſis filia in Deiparæ memoriam Ecclesia Reesensis construi cœpta, quod Henricus III. Imperat. datis publicis literis anno 1040. ratum habuit: & Dasselius nominis II. Ecclesiæ Colonienſis Archiepiscopus eodem anno perfectam inauguravit: ejusque diploma Arnholdus nominis VII. ne vetustate periret anno 1180. recognovit.

Altera verò Irmgardis, quæ in Necrologio S. Pantaleonis etiam Irmentrudis dicitur, Hermanni humilis, anno 1082. in nonum S. Panthaleonis Abbatem electi, soror, Comes Zutphaniæ orbata Patre Castrum Aspel, & oppidum Reesium ex hæreditate sua Ecclesiæ Col: legavit, conventus etiam Panthaleonæo Suchtelenam cum omnibus annexis consignavit.

Baldericus autem noster Clivensis ex Adela Imadi vidua, Conradum successorem Comitem hujus prosapiæ Cliviæ 14. reliquit.

Hic Conradus ab Ottone III. Wormatiæ in Vangionibus comitiis totius orbis Christiani, anno 996. habitis, inter 4. Imperii Romani comites hereditarios primus numeratus est, Septemviratus quoque Electoralis ibidem confirmatus esse scribitur.

Idem Conradus eodem anno 996. ludis Equestribus Brunswicensibus interfuit.

Ex Catharina autem Seynensi Theodoricum successorem,

Conradum Episcopum & Lambertum procreavit. Et post annorum quadraginta & unius imperium, anno Christi 1041. obiit. idcirco de ipso Streithagenus:

Majorum meritis addens heroica facta
Conradus gemino clarus honore fuit.
Clarior Imperii quod membris additus ipse
In procerum numero jussus habere locum.

Theodoricus secũdus, Conradi filius sub Henrico III. & IV. Impp. Comes Clivensis decimus quintus, propter inquietum ingenium & expedita arma, ut olim apud Romanos, Metellus Celeris, Ptolomæus Fulminis, sic ille Volantis nomine insignitus fuit, in florenti ætate, anno sc. 1019. una cum Walramo Comite Juliæ ludis equestribus Treveris adfuit. Deinde Imperatori Henrico III. Conradi Saliqui filio, contra quem Godefridus Dux Brabantiæ, & Balduinus Comes Flandriæ Insulanus, insurrexerant, & Neomagi eum obsederant, subvenit, ab eo etiam arcem Neomagensem cum territorio imperiali anno 1050. in pignus accepit. Cum eodem Imp adversus Hungaros, Austriam & Bavariam vexantes profectus, eos ditionibus his iterum excedere, fidemque Christianam quam una cũ Andrea rege acceptam rejecerant, recipere coegit. Ex Agnete filiâ Adolphi a **Salingsleben**/primi Comitis Schawenburgici, & Riedtbergici opę Mindensis Episcopi facti (à quo Crantzius lib. 8. Sax. cap. 26. Genealogiam omnium hujus prosapiæ Comitum texit) Theodoricum & Arnholdum mutuos successores genuit. Præfuit annis 44. ab an. scilicet 1401. quo regere cœpit, ad annum usq; 1085. quo vivere desiit, Uxor vero Anno 1089. obiit, de Theodorico Streithagenus.

Quamvis cognomen potuit meruisse volantis
Quod subito ingenio promptus ad acta foret
Cæsare ferrato tamen est sibi gloria parta
Dum Neomagensi captus in arce fuit.

Huic successit Filius ejusdem nominis, Theodoricus scilicet 3. dictus virtuosus, sub Henricis 4. & 5. Impp. Comes Clivię 16. qui Marcam quidem Hennenbergiam duxit, sed Martis magis, quam Veneris amicus, militaribus potius studiis, quam liberis procreandis operam dedit. Nam Provinciæ gubernaculis fratri Arnholdo Commissis Urbani 2. & Concilii Clasemontani decreto An. 1096. promulgato excitatus cum Godefrido Eustachio, & Balduino Bullioniis fratribus, cæterisque Christianis Principibus expeditionem suscepit contra Turcas, & Saracenos, qua devictis ubique barbaris, captisque validissimis Vrbibus, Asiam, Syriam, ac Palæstinam subiugarunt, ac Regno Hyerosolymitano constituto Christianæ fidei restituerunt, deinde An. 1106. primum Henrico 4. Imp. Patri adversus filium belligeranti opem tulit, postea vero cum An. 1110. Henricus 5. filius Romæ à Paschali Pontifice diademate cingeretur, Patre deserto, filio adhæsit, postquam vero Annis 29. Imperium administrasset An. 1114. exstinctus est, ut recte Streithagenus

de

de ipso.

Martis amore sacri flagrans, quæ plurima laus est,
Alterno vovit, seque suosque Deo.
Occiduos inter Proceres Lotharinga secutus,
Auspicia Eois intulit arma plagis.

Arnholdus II. frater Theodorici, ipso in bellum sacrum abeunte, moderamen Comitatus Clivensis suscepit, ac subditos, tanquam Pater filios leniſſimo freno rexit, ut verè de illo Streithagenus.

Quod Natura ordo regimen prohibebat adire
Arnholdo fratris cessio facta dedit.
Et velut ille foris, belli fuit inclytus arte,
Sic placido Imperio claruit iste domi.

Post fratrem vero mortuum sub Henr. V. Lothario 2. Saxon. & Conrado III. Suevo Impp. factus est Comes Cliviæ XVII. Vxor ejus fuit Ida Sueva Conradi filia Friderici Barb. Imper. soror. ex qua quatuor liberos genuit, Theodoricum, & Arnholdum, filios mutuos viciſſim succeſſores, Aleidem Comitiſſam de Marcka, & Margaretam Comitiſſam de Aere, & Meer, prope Noveſium. Ex eaque præter filium Theodoricum Comitem Meerenſem mature mortuum duæ filiæ viciſſim prodierunt, Eliſabetha Randeradia, & Hildegundis Meerenſis, quarum poſtrema, diviſione cum sorore inſtitutâ Caſtrũ ſuum Meerenſe in cœnobium ordinis Præmonſtratenſis Veſtalium anno 1160. convertit, inque eo cum matre Monachatum profeſſa, Ipſaque Abbatiſſa prima renuntiata, poſt mortem in templi choro ſepulta eſt.

Arnholdus autem Clivius de quo ſermo anno 1117. præſentibus Gerhardo Patre, & Henrico filio, Comitibus Geldriæ, Advocatus Eccleſiæ Sefficenſis electus eſt. Philippus vero Heinsbergius Colonienſis Epiſcopus, approbantibus, & præſentibus Henrico Imperat. Godefrido Duce Brab. Friderico Arensbergio, Gerhardo Julio, Arnholdo hoc noſtro Clivio in curia Germenſell Epiſcopali, decimas territorii, proprietate ſibi retenta, eidem Eccleſiæ Sefficenſi legavit. Anno 1119. Arnholdus noſter, cum Eberhardo Comite Altenano ludis equeſtribus Gottingæ interfuit: Quo eodem anno Cella Furſtenburgica prope Santos Cunone Abbate Siegebergenſi conſilio Norberti Canonici Santenſis, & poſtmodum Magdeburgenſis Epiſcopi, ſub Hermanno Communi Præpoſito Collegii Santenſis Ind. 12. in honorem Chriſti B. Maria Virgine nati acquiſita eſt. Sub hoc ordo Præmonſtratenſis quoque initium ſuum habuit. Norberthus enim nobili genere ortus ejus fundator anno 1115. Canonicatu ſuo Santenſi relicto, in Gallia, Belgio, & Saxonia verbum Dei prædicãs, multos ſui inſtituti ſectatores utriuſque ſexus nactus eſt, Ordine an. 1120. condito, ut verſus hi indicant; Anno milleno centeno bis quoque deno, Sub

Patre Nortberto Præmonſtratus viget ordo.

Idem Nortbertus Arnholdo, etiam huic noſtro auctor fuit, ut Oratorium Montanum (Bedtbergh) in Cœnobium ejuſdem ordinis Præmonſtratenſis an. 1121. converteret, cui Conradus Imp. ligna quædum ex nemore imperiali anno 1138. largitus eſt, Arnholdus vero Clivius Eccleſiam Clivenſem ei adjecit, ſed cum illa ex Parochiali Collegio Monrebergico à Theodorico 9. (ut ſequetur) anno 1341. in eam tranſlato collegialis redderetur, illius loco Eccleſias Dufflomarinam, Keckerdomiam, & Kellenſem in ſaltu Cliviaco, Cœnobio Bedtbergenſi conceſſit. Ejuſdem Inſtituti Præmonſtratenſis Monaſterium prope Veſaliam anno 1125. Godefridus & Otto Comites Cappenbergici fundarunt Auerdorp dictum, quaſi dicas Tranſpaganum: Imò priori Godefrido anno 1126. mortuo, Otto ipſum caſtrum Cappenbergium in ſimile cœnobium convertit anno 1128. & huic Veſalienſe aliaque ſubjecit.

Porro idem Arnholdus Clivenſis Conrado Imp. anno 1146. conſilio Bernhardi Abbatis Claræ Vallis ad defenſionem terræ Sanctæ proficiſcenti auxiliares copias deſtinavit. Theodoricum Hollandię Comitem, qui Patris Florentii necem anno 1061. ab Hermanno Kuckio deſignatam ultus eſt, donec à parricida, Abbatia Inſulæ Marianæ ejuſdem ordinis Præmonſtratenſis in Batavia an. 1128. fundata, Theodorico iterum reconciliaretur, Et poſtquam annis 7. & quadraginta ſummam rei feliciter adminiſtraſſet Anno 1162. deceſſit, in Bedtbergh ad latus Uxoris in medio Cœnobii choro ſepultus.

Theodoricus filius Arnholdi primogenitus, ejus nominis IV. ſub Friderico I. dicto Barbaroſſa & Henrico 6. ejus filio Impp. Comes Clivenſis in ordine 18. raro & excellenti elogio Probi cognomentum meruit: In cauſa erat facilis, morum integritas, & Vitæ innocentia tanto in Principibus illuſtrior, quanto illi omniũ oculis magis expoſiti ſunt. Uxorem habuit Adelheidem Godefridi Barbati Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis filiam, Anno 1162. anniverſariam parentum memoriam in monte orationis eſſe voluit: Anno 1163. fundationem Monaſterii Auerdorpenſis diplomate publico in quo Matrem ſuam Idam nominat, confirmavit: anno 1178. prælio Flandrico interfuit, in quo ille pro Comite Hollandiæ, cum Geldro & Montano contra Philippum Flandrum pugnarunt, ſed victi ſunt. Anno 1179. ludo Equeſtri Coloniæ adfuit; anno 1188. cum Matre, uxore Adelheide Brab. & fratre Arnholdo Monaſterio veteris Campi inſulam Hænenſem inter Reeſam & Wiſſeliam in Alveo Rheni ſitam, cum pertinentiis, & decimis largitus eſt, Philippo Heinsbergio Archi-Epiſcopo Colonienſi primum recuſante & Inſulam ſibi vendicante, poſtea tamen conſentiente: Hæc poſtmodum anno 1312. inundatione, & ſævis incendiis periit. Adelheidis vero conjunx iiſdem fratribus Campenſibus in panibus triticeis, piſcibus, & vino refocillationem certis anni temporibus contulit, Sacellum quoque

B. Joan-

B. Joanni Euangeliſtæ ac Servatio ſacrum ibidem conſtruxit, illudque reditibus, calice, & ſacris altaris indumentis in perpetuam ſui mariti & filii Theodoricorum memoriam dotavit, obiit anno 1189. Maritus autem porro Balduino Epiſcopo Vltrajectino, auxilio Comitis Geldriæ Ottonis bellum intulit, quod authoritate Friderici Oenorbati Imperatoris ſopitum eſt: Ab eo in equitem auratum Theodoricus evectus, cum ipſo primo Lombardiam & Mediolanum in Italia ingreſſus, deindè contra Saladinum Ægypti regem & Aſiæ dominatorem Hieroſolymam occupantem in Syriam anno 1189. profectus, poſt reditum pro fideli navata opera malam gratiam reportavit. Cæſar enim Fridericus, quia tres illos pannos purpuratos annuos ex lege juſto tempore non exſolverat, inprimis quia Otto II. Geldrus majorem pecuniæ ſummam offerebat, pignus Noviomagenſe illi ablatum in Ottonem tranſtulit. Theodoricus tamen, Abbatis ad S. Bavonem Andegavenſis interventu pro pecunia ſoluta, dominia Roſſumium, Wolfferium, & Tielenſe viciſſim ſibi comparavit. Deinde Balduinum Trajectenſem Epiſcopum armis ſuis adjuvit, ut Ottoni Geldriæ comiti Velua adimeretur. Imperatori tamen fidelis manens, eidem adverſus Leonem Saxonum Ducem Potentiſſimum imperio rebellantem ſubſidia miſit. In expeditione quin etiam ejuſdem Friderici Cæſaris in terrâ ſanctam ſuas partes habuit, ſed infœlici ejus morte quæ in 3. Idus Junii anno 1190. incidit, ad ſuos redire coactus, ante vitæ ſuæ finem, initia graviſſimi ſchiſmatis in imperio poſt obitum Henrici VI. Friderici filii Philippo Suevo & Ottone Saxone de corona contendentibus, vidit. Idem anno 1192. decimas quaſdam Eccleſiæ collegiatæ Wiſſelenſi, aſſignavit, & ex Aleide Brabantina filia tantum, Aleide Theodorici ſeptimi Comitis Hollandiæ uxore relicta, Ipſa Anno 1189. ut diximus, Theodoricus verò, An. 1200. poſt 19. annorum gubernacula, comitatu fratri Arnoldo relicto, exceſſit; de eo ſic Streithagenus:

Moribus innocuis & ſanctæ munere vitæ
Cognomen ſumptum de probitate tulit.
Quinetiam Syriam Suevo cum Cæſare movit,
Adverſus faſtus trux Saladine tuos.

Arnholdus tertius fratri Theodorico ſuccedens ſub Philippo & Ottone IV. Saxone Imperii rivalibus, Comes Clivenſis numeratur in ordine undeviceſimus, qui decem annis præfuit, & ex Adelheide aliis Margaretha Florentii 3. Hollandiæ Comitis filia Arnholdum ſucceſſorem ſuum edidit. Cum fratri Theodorico Eccleſiæ Wiſſelenſi immunitatem bonorum ei legatorum ab omni onere & tributo, libertatem item pecora paſcendi & aquandi, regnante adhuc Imperatore Henrico VI. anno 1192. conceſſit.

Eodē anno ludo equeſtri Noribergæ interfuit, & cum Wilhelmo

Frisiæ Comite, ob multa damna quæ nepti suæ Comiti Hollandinę intulerat, bellum gessit. An. 1198. cum Philippus Henrici Imperatoris frater, & Otto Saxoniæ Dux de imperio contenderent, Arnholdus, quia Philippus circa Novesium magnum illi damnum fecerat, Ottonis partes secutus tãdem pace inita ei reconciliatus est.

Quia vero Adolphus quoq; Archiepiscopus Colonien sis in eodẽ bello Ottoni fidelem operam præstiterat, multa privilegia eidem & inter illa omnium mobilium, quæ alioquin Cæsar sibi vendicabat, post Episcopum, Prælatorum, aliorumque Sacerdotum obitũ, liberum, à cognatis vel Ecclesia accipiendorum, atque usurpandorum usum, præsentibus multis Comitibus, & equestris dignitatis viris An. 1201. concessit; quales fuerunt Theodoricus Trajectensis, Diethmarus Mindensis, Bernardus Paderbornensis Episcopi; Henricus Limburgi Dux, Mechtildis Brabantina, Balduinus Flandriæ, Otto Geldriæ, Arnholdus Cliviæ, Adolphus Altenanus, Thedoricus Hollandiæ, Guilhelmus Juliæ, Henricus Seynæ, Simon Tecklenburgi Comites; Gerhardus Arhius, Conradus de Dicka, Gisbertus, & Rutgerus Bremptii, Henricus Huecheswagius, Henricus Kistenius, Rutgerus Monhemius, Otto Wickradius, Henricus & Gerhardus Volmensteinii Dynastæ; Hermannus denique Advocatus Colonien sis. Hic Arnholdus Comes anno 1210. in fata concessit. De quo Streithagenus:

Exstincti nactus moderamina debita fratris
Mansueto rexit Clivica rura jugo
Inde lacessitus partes adiuvit Othonis
Proque dato damno mutua damna dedit.

Arnholdus IV. Patris cognomen & successor sub Friderico 2. Imp. Comes Clivensis 20 ex Catharina Henrici Ducis Limburgensis & Margarethæ Adolphi Comitis Montensis filiæ, & hæredis gnata Theodoricum 5. successorem suum genuit: de quo antiquum ex Veteris Montis Monasterio refert manuscriptum: quod Vir fuerit in Deum devotus, in egenos largus, in subditos Clemens, atque in bellis victoriosus: Posterioris encomii specimen egregium in bello sacro exhibuit, Nam ubi per Concilium Lateranense expeditio in Syriam decreta esset, cum Frederico 2. Imp. aliisque Principibus Christianis itineri se accinxit, &, ut illustrem Heroëm decebat, pro Christiani nominis honore fortiter occubuit: nam Damiata recepta cum legatus Apostolicus exercitum in Ægyptum ducere statuisset, Nili inopinato incremento circumventi Christiani à Sultano in insidiis latente magna damna perpessi sunt, Cõmeatu corrupto & pluribus an. 1218. atq; inter eos quoque ipso Arnholdo, & Adolpho Montano exstinctis. De Arnholdo post decem annorum Imperium in terra sacra condito more suo Streithagenus.

Te quoque militia commovit gloria sacra
Arnholde, & rarum fecit adire decus
Fata inviderunt, Solymumque elatus in arces
Pro qua pugnabas, contumularis humo.

Theodo-

Theodoricus ejus nominis 5. Comes Clivensis 21. Arnholdi filius, sub eodem Friderico 2. Imp præfuit. Vxorem duxit Mechtildem unicam comitis Dinslacensis filiã, & heredem, per quã Comitatus hic consensu Friderici 2. Imp. Clivensis Provincia Anno 1220. accessit: ex eaque natus Theodoricus successor, inter ipsum & Engelbertum Montensem Archi-Episcopum Col. atque Walramum Limburgi Ducem, & Lutzenburgi Comitem inimicitiæ fomentis An. 1217. natis, Engelbertus Præsul Henrico Lotharingiæ Ducem sibi fœnore connexuit, Controversia autem A. 1220. 12. Cal. Iunii, Ind. 8. Traiect. & Monast. Ecclesiarum Episcopis præsentibus ita Coloniæ composita, ut Theodorico 12. ab Engelberto Theodorico à Strunckede, Gerhardo ab Horst, Henrico Duecker, Rutgero ab Heidfeld, Henrico Pincerna, Stephano a Suilen, VVilhelmo & Theodorico a VVischell fratribus, Gerhardo Palcke, Alberto Clerico, Rutgero & Theodorico â Galen Patre & filio, & Henrico à Winne obligatos, mutuam sibi securitatem & auxilium præstarent, Ludolpho Holtensi Monasterienſi Episcopo contra Flandriæ, & Geldriæ Comites, eorumque aulicos Meinhoevelios fratres binos, quorum Matri armenta milites Episcopi abegerant copias submisit, & insigni victoria potitus est. An. 1225. Episcopo Trajectensi Ottoni Lippensi contra Trentones, seu Trisinienses, & Ludolphũ de concordia cum Egberto Coeverdiæ dynasta. & Groninganis discordem cum Gerhardo Geldro Episcopatus venatore, Balduino Bentheimio, Ianitore Florentio Hollando Marescalco suppetias tulit, Coeverdiam arcem, quam Rudolphus occuparat obsedit, in qua Otto Episcopus limo infixus cum 400. aliis cœsus, Gerhardus Geldrus, & Balduinus Bentheimius cum Gisberto Amstelio capti sunt, sed successor Ottonis in Episcopatu Willibrandus Oldenburgius, cum eorundem vasallorum subsidio vindicata hâc injuria Coeverdiam expugnavit, Rudolphum litis autorem ejusq; Assecla, Henricus Gravesdulpium cœpit & in rotam egit, Trentones vero ubi claustrum aquæ nigræ prope campos An. 1228. pro pœna construxisset, in fidem accepit.

Idem Theodorus Clivius Hermanno Molenarckio Henrici Archi-Episcopi fratri Burggraviatum, & castrum Thombergium accepto ab eo fidelitatis, & auxilii homagio An. 1230. in feudum concessit, cum prius Archiepiscopo ad vindicandum Engelberti Montani antecessoris parricidium, a Friderico Isselburgio A. 1225. designatum auxilium præbuisset.

Gerhardum quoque Lippiensem Episcopum Bremensem An. 1234. literis Gregorii 9. Pontificis excitatus ad debellãdos Satdingos hæreticos cum Leopoldo Austrio, Henrico Brabantino, Florentio Hollando, Wilhelmo Iulio, Adolpho Montano, & Bruckhardo Oldenburgio adiuvit. Idem denique eodem An. 1234. in hastiludio ad Corbeiam Comitem Claremontium, quia prius Florẽtium 4. Wilhelmi filium Hollandiæ Comitem cognatum suum necaverat, occidit, Comitem etiam Nivellarum, qui Claremontii

necem

necem iterum vindicare voluit, prælio superavit, post 20 annorum Imperium obiit anno 1244. ideoque Streithagenus sic de eo canit:

Inter perpetuum meritos Heroas honorem,
Illustrem pariter dignus habere locum est
Vtraque nam summo spectanda in sanguine virtus
Inque toga clarum præstitit inque sago.

Theodoricus VI. Comes Clivensis 22. fuit, cujus tempore Friderico 2. Imp. anno 1245. mortuo in ejus locum Conradus Friderici filius à Patre ab aliis Henricus Landtgravius Thuringiæ, Ludovici frater Wilhelmus Hollandiæ Comes, Alphonsus Rex Castellæ, Richardus Anglus Imperii rivales substituti sunt, VVilhelmi partes Theodoricus cognatione ipsi junctus egregie tutatus est. Nam in obsidione urbis Aquensis auxiliares ei copias adduxit. Uxorem Theodoricus habuit Isabellam Henrici I. Brabantiæ Ducis ex secunda conjuge Namurcensi filiam, Ex qua nati Theodoricus successor, Margareta Ottonis 3. Geldriæ Comitis conjunx, & Jutta VValrami Ducis Limburgensis uxor, quæ filiam Irmgardem Reinholdo Comiti Geldriæ nuptam edidit. Theodoricus denique Luiffhinc prodiit, qui anno 1252 VVesalienſibus privilegia sua cõfirmavit, & filias duas vicissim reliquit, quarum una Domini de Dollendorph, altera Gerhardi de Duyrbuy uxores fuerunt. Ad res gestas ejus quod attinet, Conrado Hochstedeno Lotharii filio Archiepiscopo Colonienſi, ut Dorstam mœnibus cingeret, & jure Civitatis donaret, sic tamen ut belli tempore neutrius esset, anno 1251. permisit, redditibus aliquibus ex illo loco, quo hodieque Nobiles ab Heidẽ in feudum Clivense agnoscunt, sibi reservatis. Postmodum vero Theodoricus ejus nominis 9. Comes Clivensis 26. hac munitione minime acquiescens ut ipse Comitesque Cliviæ liberè eâ atque cum Episcopo Col. permiscuè uterentur, anno 1310. perfecit, sicuti in vita ejus annotabimus. Inde pro Florentio fratre VVilhelmi Regis Rom. Holiandiæ & Zeelandiæ Comitis contra Flandriæ Comitem Guidonem in Zeelandiæ pago VVestcappel nominato pugnavit, in quo conflictu 30000. occubuerunt. In eodem bello anno 1253. V. Idus May, die B. Hudalrici Flandrensibus in Zeelandia victis Theodoricus Theobaldum Comitem Barrensem amisso oculo captum detinuit, ob id Lupus Clivensis dictus, & Dux belli à Rege VVilhelmo renunciatus est. eidemq; an. 1254. in obsidione urbis Aquensis cum Ottone Geldro adfuit, Etsi autem fidelem hanc VVilhelmo Regi operam ambo fratres præstitissent, ille tamen regnum Noviomagense, cum integra Batavia majoribus suis obligatũ Ottoni 3. Geldriæ Comiti pro 21000. marcis argenti concessit, Longiorem autem Wilhelmi regis vitam Frisonũ dolus intercepit: Cum enim iis mari devictis Rex diverticulum, ut securius exercitum reduceret, quærens, terrâ ingrederetur, in glaciem delatus cecidit, quem Frisones ex insidiis adorti priusquam miles qui subveniret adesset, ætate adhuc florente anno 1256. neci dederunt, quam filius Wilhelmi Florentinus vindicans, & Ottonem

nem Geldrum auxiliatores habuit anno 1252. Theodoricus Sacellum Hulhuisum cum decimis Collegio Wisselensi attribuit.

Anno 1260. 500 Marcas Monasterio veteris Campi in Eleemosynam obtulit. Et post 18 annorum imperium anno Christi 1261. fato functus est, de quo Streithagenus,

Cliviacis praerat populis tempusque sub ipsum
Imperio exorta est magna ruina sacro,
Vnde ille Hollandum Romana ad sceptra vocatum
Iunctus erat quoniam sanguine tulit opem.

Theodoricus VII. Cliviæ Comes 23. sub aliquot prioribus Imperii rivalibus inprimis Rudolpho 1. Habsburgico Imp. præfuit. Uxores binas habuit. Primam Walburgem Comitis Lutzenburgici filiam, ex qua præter Theodoricum suum successorem, Elisabethã quoque filiam suscepit, Gerhardi Juliæ Comitis uxorem, & Wilhelmi 1. Juliæ Marchionis & Ducis, atque ejus fratris Walrami Archiepiscopi Col matrem.

Secunda fuit Adelheidis Henrici Heinsbergii Theodorici 1 filli gnata, qua cum Comitatum Hulckenradium & dimidiam Comitatus Saffenbergici partem in dotem accepit.

Ex hac sustulit Theodoricum novum Præpositum Xantensem anno 1280. Kervenheimiâ investitum, & Theodoricum dictum Luiff, qui vicissim ex Beatrice Dynastæ Ringelbergii Comitis Morsani filiæ, Theodoricum Hulckenradiæ Comitem, Thombergæ Dynastam, Adelheidem Rudolphi Rieferschedii Milendonciæ Toparchæ uxorem, Ottonem Præpositum S. Gereonis Coloniæ, Siegfridum Præpositum Monasteriensem, Reinholdum Dominum Bergæ ad Zomam, Elisabetham Wilhelmo Comiti Hornano, atque Altenano, & Margaretham denique Theodorico Moersæ Domino copulatas, genuit.

Porro belli tempestatibus implicatus fuit hic Theodoricus VII de quo agimus. Nam & Florentio Hollandiæ Comiti in correctione Frisonum, & Joanni Nassovio Episcopo Trajectensi in rebellium Hollandorum, atque Frisonum, Engelberto denique Falckenburgio Archiepiscopo Col. adversus civitatem auxiliares manus præbuit. Nam cum anno 1260. Carmeiandi & Frisones ab Hollandiæ proceribus gravibus exactionibus vexati, militem ut in libertatem avitam sese assererent scripsissent; Proceres omnes, obsessis castris & eversis, motus hos extinguere nisi sunt. Imo cum Amerstordienses, Amelandi, & Amstelodamenses ad eandem insaniam pertracti ad Hollandiam occidentalem similia designaturi contenderent, eorumque phalangibus, Florentius Hollandus, Joannes Nassovius, Episcopus Trajectensis, Otto Geldrus & Theodoricus hic noster selectissimis copiis occurrerẽt, multos sternunt, reliquos in fugam cõjiciunt, sceleris autoribus comprehensis, & supplicio affectis. Deinde eundem Florentium Hollandum necem Patris Regem Romanorum adversus Frisones ulturum,

porro

porro Theodoricus adjuvit. Cùm enim ad domandos Frisios Provinciam istam ut diximus ingressus ad obedientiam refractarios reduxisset, & tandem in glacie cum minus caveret ab illis circumventus in Febr. anno 1256. occisus esset, hanc injuriam Patri illatam, filius vindicaturus, cum Theodorico nostro Frisiam anno 1271. ingressus 4000. cœsis corpus paternum illis eripuit, atque Middelburgi honorifice cõdidit, ut vere de Theodorico Streithagenus:

Cui Pater in vita posito testatus amorem est
Testatus rapto natus & ipse fuit,
Inque occissores cognati Regis acerbos
Compulit insonte pendere digna nece.

Idem in bello Colonienſi cum Engelberto Falckenburgio Archiepiscopo anno 1262. Coloniam, ejusque cives invadere tentans, cœlesti visione vel potius Sanctorum Sanctarumque ut ajunt Ursulæ, cum sociis Maurorum, item & Thebeorum in muris apparentium phantasmate territus, Hulckenradiam retrocessit. Theodorus Falckenburgius frater Archiepiscopi per foramen muri ingressus, vulneratus cecidit, Walramus Limburgius captus, & cum multis aliis Nobilibus in carcerem ductus est.

Anno 1267. cum iterum Theodoricus noster cum VValramo Limburgio dimisso, & Engelberto Marcano Archiepiscopo patrocinarentur, à VVilhelmo Julio qui à partibus urbis stabat, prælio inter Tulpetum & Lechenicium inito, ipse & Archiepiscopus capti sunt. Sed Theodoricus VVilhelmi filius Gerhardo Iulio sua gnata Elisabeta in matrimonium promissa dimissus est. Archiepiscopus vero in carcere obiit. Porro Ottoni Geldro ejus nominis 3. dotem sororis Margaretæ 10. mill. Marc. auri in dotem cum ipsa promissa, primo comitatus anno exsolvit, quæ solutio tam Ottoni grata fuit ut filiam Irmigardem, ex secunda conjuge sua Philippina (Margareta enim Clivensis sterilis mature excessit) fani S. Pauli Comite natam vicissim primogenito suo Theodorico, licet adhuc impuberi, desponsarit.

Dominium Ringelbergium Clivix quoq; suæ adjecit Theodoricus hic. Post annorum vero 13. Imperium an. 1275. vita defunctus inque Ecclesia collegiata VVisselensi inhumatus est.

Theodoricus nominis VIII. sub Rudolpho I. Habsburgico, Adolpho Nassovio, & Alberto Austriaco Impp. Comes Clivensis in ordine 24 Bopardiæ à Rudolpho Cæsare confirmatus est. Vxores binas habuit. Prima fuit Irmgardis Ottonis Geldriæ Comitis hujus nominis 3. filia, quæ ei, Ottonem successorem, & Irmgardem, Gerhardo de Parwijs Comiti Hornano enuptam genuit. Ex quibus conjugibus vicissim Theodorus, & Ioannes Domini de Parwijs, Horn, Craneburgh & Herlaer nati sunt.

Secunda Margareta Habsburgica Eberhardi Rudolphi Imp. fratris filia; an. 1290. Erphurdiæ ducta. Ex hac Theodoricum & Ioannem mutuos tum fratris Ottonis, tum sibi quoque invicem

successores:

successores: Everhardum in cælibatu defunctum, Mechtildē Henrici, Hassiæ infantis secundam, Annam Godefridi Arnsbergii, & Agnetem denique Adolphi Montani conjuges, filias genuit.

Godefridus Arnsbergius, ut hoc paucis addamus, cum uxore sua Anna Clivensi Comitatum suum Montis Aquilini 25 Aug anno 1368 cum omni jure suo, ac dominio, Ecclesiæ Col. vendidit. Et anno 1371 rebus humanis exemptus in Mariano summæ ædis Col. Sacello conditus est.

Porrò postremum matrimonium Theodorico huic nostro non solum ornamento, sed etiam emolumento haud exiguo fuit. Pro dote enim 4000 marcas argenti ex telonio Duisburgensi, quod postea Bouricam trāslatū est, & 2000 Marcas in ipsius urbis Duisburgensis pignus ad Imp. accepit, deinde ab eodem in Consiliarium cooptatus, in urbibus Imperialibus, Noviomago, Daventria, & vicinis usq; Ravenswerdam constitutus est Imperii vicarius, facultatem etiam monetæ tribus quibus vellet locis cudendæ, cum vectigalium antiquorum per Rhenum exigendorum libertate omnibus Imperii Electoribus oblata obtinuit: cum eadem denique anno eōdem 1290 urbem ipsam Duisburgensem pro 2000 Marcis argenti puri, & 400 marcis ex telonio Buiricensi annuis accepit, Wesalia, & Cranenburgo urbibus cum præfectura Ringelbergia investitus est, eidemque & Wicgboldo Holteno Archiepiscopo Col. Cæsaris insula oppignorata, quod jus totum quia Ludovicus Sonnebergius tradere recusabat, postea in Archiepiscopum pro 400 Marcis annuis transtulit. Hæc omnia à Rudolpho Habsburgio in litteris Erphurdiæ datis concessa. Albertus Rudolphi filius, qui in Imperii dignitate Adolpho Nassovio successit, anno 1298 confirmavit, eidemque similiter Duisburgum & Daventriam oppida nomine Imperii gubernanda tradidit.

Theodoricus vicissim in omnibus expeditionibus Germanicis Imperatori fidem constantem approbavit, an. 1296 cum Gerhardo Juliaco, & VVilhelmo Montano in Diplomate Alberti Cæsaris civitati Duisburgensi cōcesso testis, an. eodem 1296 necem Florentii, Hollandiæ Comitis à Vasallis suis nefariè occisi, ultus est; cum enim is in Goylandia venaturus à Gerhardo de Velsen, Gilberto de Amstel, & Hermāno de VVorden interceptus, inq; castrum Muedēse deductus esset, adversus hos parricidas tota Hollandia insurrexit, cui patrocinatus, cognatus Florentii Theodoricus noster, cū Muedâ clā desertâ, cum principe captivo Neerdam properarent, & in fugâ quoq; eū Gerhardus à Velsen vulneribꝰ multis inflictis cōfodisset sicariorum villis exustis, castra VVordense & Cronebergiū longâ obsidione attenuata everterunt, ipsum paricidam in Cronebergio repertum dolio undiq; clavis prominentibus consito, nudū incluserunt, & Neerdâ Muidam tamdiu volutari jusserunt, dum extremum spiritum exhalaret. Hac ultione factâ Theodoricus cū copiis Flandriam cōtendit, ut Guidoni ejus Comiti, cōtra Regem Galliarum Philippum Pulchrum, pugnāti adesset. Pugnam initam

Mejerus describit in Annalibus Flandrorum ad annum 1297. Et Theodoricum nostrum inter primarios Germaniæ Principes recenset. Cum autem controversia Bonifacio VIII. Pontifici inter Regem & Comitem definienda commissa esset, Theodoricus è Flandria, ad suos redux in Dorstenses arma convertit, eosque quia pactis de munitione oppidi cum Avo Theodorico VI. anno 1251 initis non steterant, ut muros dejicerent, & solo æquarent, compulit. Donec Theodoricus IX. ejus filius secundogenitus; ut ipse comitesque Clivenses urbe promiscuè cum Episcopo Coloniensi uterentur, anno 1310 perfecit, ut supra dictum est.

Status politicus. Ad statum quod attinet Politicũ, Theodoricus hic octava Margmense Julio anno 1277 præsentibus fratre Theodoro Præposito Santensi Avunculo Henrico à Leck, Godefrido à Gehmen, Stephano à Zuilen, Bernardo à Strunckede, Eberhardo ab Horst, Theodorico à Vonderen, Theodorico à Munimento, ejusque filio cognomine, Alberto Areluzone ab Hunnepel, Rütgero à Botzelaer, Gerlaco dicto Witter/à Steenhuisen Cæsario ab Horst, Præfecto Stephano ab Oirsbeck, *Theodoro à Barle*; equestris dignitatis viris, Alberto Decano, V Vesselēse, & Gerlaco Secretario, urbi V Vesaliensi à majoribꝰ suis accepta privilegia de tributo contra civium voluntatem non pendendo, successione mariti & uxoris, itemq; liberorum & proximorum agnatorum: exemptione civium ab aliis provinciæ Clivensis judiciis, delectorũ, læsionis vel homicidii à civibꝰ vel Scabinis perpetratorum prænotione, servitiis principi debitis, teloniorum immunitate, censu post mortem, bonis Emphiteuticis & Latonicis, panis & cerevisiæ coctionis controversia à consule judicanda, libera Magistratus Electione, & gruitæ pro 16 libris annuis pignore confirmavit.

Anno 1280 Godefrido & Gosvino patri & filio dominium Ghemẽnte in feudum concessit.

Anno 1287, iterumq; 1294 Theodoricis patri & filio, cum hujus fratre Friderico comitatum Mörsanum in feudum largitus est.

An. 1290 ut supra in comitum Theisterbandiorum & Dominorum Heusdanorum serie anotavimꝰ, Florentio Hollandiæ comiti, jus omne quod in ditionẽ Heusdanam ac Altenanensem habuit, factis ea de re publicis tabulis, sub prandio liberali manu largitus est.

Anno 1297 controversiam de Nemore Imperiali cum Reinholdo Geldriæ Comite amicabiliter composuit.

Status Ecclesiasticus. In Ecclesiasticis, anno 1281 collegio Furstenbergio vestalium nobilium quinque modios Siliginis singulis annis in festo Martini ex horreo decimali Vesaliensi emetiendos contribuit.

Præter cœnobium Clivopoli Franciscanis minoribus ædificatum, etiam anno 1291 à Capitulo Lubecensi fratribus impetratis, arcaque ad ædificandum Monasterium aptâ, Gualtero Steckio, Suedero ab Alpen, Arnholdo à Sluisen, & V Vilhelmo à Kervenheim Equestris dignitatis viris præsentibus concessa, V Vesaliæ Conventum Dominicanorum sive Prædicatorum instituit:

instituit: quem anno 1296 Emanuel Iuris Canonici Doctor, Episcopus quondam Gremonensis, in memoriam B. Virginis Mariæ, matris Domini altari consecrato, inauguravit. Cum autem sequentibus temporibus anno nimirum Christi 1354 sub Joanne II. Comite Clivorum istius prosapiæ ultimo, Wesalia 7 Augusti sive ipsa Donati cum conventu hoc vastissimo igne conflagrasset, ope Adolphi & Theodorici comitum Marcanorum Ludovici de Foro Fogiensis, & Theodorici VVrselii Naturensis Episcoporum, qui ex eodem ordine erant, cœnobium instauratum, largissimisque impensis ditatum est: In quo ante majus altare Theodoricus Marcanus, Dynasta Dinslacensis anno 1406 tali epitaphio conditus est.

Diederich de Marca vir nobilis hac jacet arcâ
Natus Gelrensis, Arberch, Marcaque Clivensis
Anno milleno quadrinteno quoque seno
Vrbani festo decessit, Rex memor esto
Atque Maria pia sis sibi propitia, Amen.

Anno 1244 idem Theodoricus, noster Clivorum comes; Monasterio veteris Campi libertatem in teloniis suis concessit: Et anno 1301 bonorum Monasterii in Repeler sitorum, immunitatem largitus est.

Tandem post triginta annorum fœlix atque auspicatum imperium, anno Christi 1305 exspiravit, de quo Streithagenus:

Splendorem antiqui generis ceu luce recenti,
Austriacus thalamis auxit, & auxit opes.
Namque per imperii vicinas inclytus urbes,
Cæsareas obiit non sine laude vices.

Otto ejus nominis primus dictus Pacificus sub Alberto Austrio, & Henrico VII. Lutzenburgio Impp. comes Clivensis quintus & vicesimus binas quoque uxores habuit.

Primam Adelheiden Engelberti hujus nominis secundi comitis Marcani in ordine noni filiam: Ex qua Irmgardim Joanni Herculeo Heusdæ Domino nuptam suscepit. A quo vicissim Otto Herculeus, & ab hoc cum Joanna Julio-Geldra Robertus & Joannes Trajectensis & Leodrensis Episcopi Catharina Heusdæ Domina, & Joanna Emensis in Seelandia Domina Ioannes Herculeus pater VVilhelmi qui in conflictu Gorcumiensi periit cum Ioanna Ioannis & VVilhelmi Iselstiniorum Arnholdi denique Egmundani fratrum matre descendunt: A filiabus vero Hornenses, Heinsbergii, Gennepii, Brederodii, Veerii, Cruningii, Drongelii, Mervenii, Vlietani, Ostendii, Henevlietii, & alii complures Dynastæ originem trahunt.

Secunda uxor fuit Mechtildis Vierneburgia, Henrici Archiepiscopi Col. soror sterilis.

Hic Otto etsi Pacifici nomen adeptus, quod pacis amator, atque recuperator esset, nonnulla tamen bella lacessitus suscipere coactus est.

Vtpotè quòd primo principatus anno injuriis crebris Joannis Dosrinchovii nobilis haud longè à Borcken siti impetitus, arcem ejus obsedit & cœpit. Deinde altero principatus anno Guidonis Flandriæ Comitis filius, ob patrem eorũ à Philippo Pulchro Galliæ rege interemptum cum Joanne Brabantiæ duce, Reinholdo Geldriæ, & Wilhelmo Juliæ comitibus, sibi confœderatis, auxiliares copias submisit, à quibus Gallis cæsis, flos militiæ Gallicanæ tũc fermè periit. Post modum autem Philippus Guidonis filius ex Apuliâ redux Artosiã invasit, & Tornacum Nerviorum obsidione cinxit, dum induciis anni unius factis pater libertati restitueretur, qui postea tamen iis finitis ad carcerem rediit, inque eo octuagenarius mortuus est. Post ejus obitum Joannes Hollandiæ comes Philippo regi suppetias tulit, filiumq; Wilhelmum submisit, quo cum Guido alter filius navali prælio propè Casantiũ decertavit sed victus fuit: proinde bello instaurato Seelandiam ingressus, Valachiam ferro & flãmis depopulatus est, & bis Hollandos una die propè Veeram scil. & Armuidam fudit, totamq; provinciã, excepta Zirixæa Seelãdiæ oppido, quod obsedit, & occupavit; ex eo VVilhelmus clam noctu ad Guidonem Hannonium Trajectensem Episcopum, patruum, & patrem Joannem Hollandiæ Comitem se recipiens ad solvendam obsidionem copias contraxit, & in Divelandia castra locavit, sed à Flandris noctu obrutus iterum cæsus, & Guido Episcopus cum urbe ipsa à Viliboldo æstuante dedita, captus est, ille verò ad Regem Philippum sororium denuò confugit. Idcirco Guido Flander porrò Holl. orientalem universam solo Harlemo excepto, Ioannes Dux Brabantiæ Occidentalem Hollandiam occuparunt, hic verò à Dordracensibus ad Sylvam Ducis usque repulsus est. Hollandi contra sub Vittone Hamstedio Florentii Hollandiæ Comitis filio naturali, animo resumpto Gallorum classi conjuncti prælio navali anno 1304 in festo S. Laurentii Guidone capto, & decem millibus cæsis, Flandros superarunt: & cum porrò Rex Philippus ad totam Flandriam occupandam ingentem exercitum adduxisset, illi quidem Philippus Flander, & Ioannes Comes Namurcensis occurrerunt, sed occiso VVilhelmo Guidonis filio cum sex millibus Flandrorum iterum victoria penes Hollandos mansit; Lilla obsessa; ad quam liberandam cum Ioannes Namurcensis sexaginta millia adduxisset; pax tandem hac lege inita, ut persolutis regi Philippo ducentis coronatorum millibus pars illa Flandriæ quæ est ultra Liseiæ flumen, Gallis, altera Guidonis filiis permaneret.

Idem Rex Philippus Pulcher cum Clemente V. ordinem Templariorum anno 1307 delevit.

Anno eodem nempe 1307 Otto Clivius Dominium Altenanum Gerhardo Hornano in feudum largitus est.

Idem anno eodem 1307 feria post Pentecosten tertia, ne homines servilis conditionis Ecclesiæ Santensis in aliorum oppidorum Clivensium cives adscriberentur, vetuit.

Anno

Anno 1301 Crucem illam in arbore ut ferunt ex Hostia cõsecrata ob nauseam ab Opilione egesta natam Craneburgum transtulit. An. 1309 ut Ludovicus Henrici infantis Hassiæ ex Mechtilde Clivia filius Episcopatu Monasterienſi potiretur. favente sibi Capitulo, & Nobilitate, effecit, qui anno 1320 iterum in fata concessit.

Cum Henrico Vierneburgio Archiepiscopo Col. affine propter comitatum Hulckenradium controversiã habuit, quæ Comitatus venditione à Theodorico dicto Luyff facta approbata sopita est; obiit ultima Septemb. an. 1311 Hostmariæ Westphalorum, indeq; Cliviam delatus in Bedbergâ tumulatus de quo Streithagenus:

Ter geminos inter Major natalibus Otto
Proximus à patrio funere jura dedit,
Post vita excedens sterilis sine pignore lecti
Fratribus ad Regimen stravit ademptus, iter.

Theodoricus IX. cognomento *Pius*, sub Henrico VII. Lutzenburgio, & Ludovico IV. Bavaro Impp. quorum hic tamen Imperii rivalem Fridericum III. Austriacum habuit, Comes Clivensis factus in ordine 26.

Ex Margareta Reinholdi ultimi Geldriæ Comitis gnata, unicam tantum filiam reliquit, itidem Margaretam dictam Adolpho nominis V. Marcano Comiti in ordine 10 nuptui datam. Inter res ejus gestas numeratur quod Ludovicum Bavarum Imp. contra Fridericum Austriacum fortiter adjuvit, qui ipsum magnis promissis utpote duorum teloniorum, Griethæ, & Hussenæ Batavicę constituendorum concessione, Duisburgensis urbis Adolpho Montium Comiti, & Cæsaris Insulæ Henrico Vierneburgio Episcopo Col. cui infensissimus hostis erat pignoribus ademptis collatione Vicariatus totius V Westphaliæ à Rheno ad Visurgim usque, advocatiæ denique V Verthinensis largitione, in suas partes pertraxit: eidem etiam omnium privilegiorum confirmationem dedit. Acta hæc sunt anno Christi 1318.

Idem Theodoricus Eduardo Anglorum Regi suppetias contra Philippum Valesium Francorum Regem tulit, ubi in prælio postremo 28000 hominum cæsa Philippus fugatus, & Caletum post diuturnam obsidionem in Anglorum potestatem venit an. 1345. Præterea V Vilhelmum Hollandiæ Comitem in obsidione Trajectensi juvit, quæ urbs intercessione Episcopi sui Joannis Herculei hac conditione in gratiam à V Vilhelmo admissa, ut cives discalceati & semi-nudi supplicitèr ab eo veniam delictorum peterent, cum Reinholdo Geldro quoque anno 1335 adversus Brabantinos, & Leodienses pugnavit. Cum Episcopo etiam Leodicensi Adolpho Marcano Bello Brabantino interfuit.

Quoad statum Ecclesiasticum altera Margaretæ anno 1321 corpus hujus virginis à Monasterio veteris campi commodato accepit, illudque in Ecclesiam Clivopoleos transtulit, ob id autem fratres Campenses libertate Sonsbeecensi, & Orsovia donavit. *Status Ecclesiasticus.*

Anno 1334. 15. Kal. Martii Collegium Canonicorum Monte-

bergæ prope Calcariam fundavit, quod VValramus Julius VVilhelmi I Ducis frater Archiepiscopus Col. inauguravit. Illud vero idem 18 Martii anno 1341 Clivopolim ejusdem consensu trāstulit, & primum novi chori lapidem ibidem posuit, ut vere de eo Petrus Verhagius collegii Canonicorum Clivopolitani Scholarcha ita cecinerit:

Flos Comitum, Imperii Prorex, tibi Regibus orti
Dant Pater. & septem nominis omen avi
(Rollius Eberhardi) *(Alberti) satus es gnata seu Nepte Rudolphi*
Qui primi Austriadum sceptra tulere domos
Per te Monrejugo dotata Ecclesia Clivos
Migrat, & ipsa tuis urbs viget aucta bonis
Imperii laus summa fuit, domuisse rebelles
Sed Major dici reque fuisse PIUM.

Hujus Ecclesiæ collegiatæ structura per Theodorici ex filia Margareta Nepotem Adolphum Marcanum ultimum Clivorum comitem magis expolita, & per ejusdem filium primum Clivorum Ducem elegantissimè consummata est.

Idem Theodoricus Monasterium Fratrum Francisci Minorum 40 modiis siliginis, & totidem hordei aqua macerati, Tauro item laginato & halecibus donavit.

In politicis anno 1134 dimidiatam urbis, & tractus Heusdani partem, cujus jus fiduciarium Pater anno 1290 Florentio Hollando sub prandio liberali manu concesserat, ejus filio Wilhelmo pro 2027 Turonensibus vendidit.

Status Politicus. Fratri Johanni Præposito Colonienſi Linnam & Orsoviam cum quadringentarum Marcarum Brabantinarum annuis reditibus ex telonio Novesio pro hæreditariâ portione ad vitam attribuit. Cui VValramus Julius Archiepiscopus Colonienſis Henrici Vierneburgii successor anno 1343. 200 Reales quos vocant ex telonio Berckenſi adjecit. Anno 1340 Crastina B. Martini Theodoricus hic noster Comes Cliviæ, & Theodorus ab Horn, Dominus in Cranenburgh, Irmgardis Theodori VIII. sororis, cum Gerhardo de Parwys Comite Hornensi filius primogenitus privilegia Cranenburgia confirmarunt.

Anno 1343 Idem Theodorus ab Horn Craneburgi Dominus de aggeribus districtus ejus leges tulit.

Clivis tandem anno 1347. 7 Julii mortuus & in templo collegiali à se fundato conditus est, de quo Streithagenus:

Hinc Theodoricus subiens ætate secundus
Imperii rexit Westphala rura loco.
Quin contra Austriacum Boji Ducis agmina juvit
Qui latius sprevit Marte favente minas

Post mortem eius, etsi filii Adolphi Marcani ex filia sua Margareta Cliviaca nati Engelbertus, Adolphus, & Theodorus successionem ob Matrem sibi jam etiam deberi dicerent, Reinholdo etiam Geldro ut suppetias ferret oppidū Huissense offerrēt, Joannes tamen

men frater Theodorici ejus nominis II. sub Lud. Bavaro, & Carolo IV. Impp. Comes Clivensis 27. & hujus prosapiæ ultimus relictis dignitatibus, Archidiaconatus & Præposituræ summi templi Colonienſis successit, qui ex Mechtilde Reinholdi Ducis Geldriæ filia, & Godefridi Lossensis anno 1342 defuncti vidua (quæ postmodum Comiti de Bloys tertio nupsit, ab eoq; dominia hæc ad mortem usque Vsufructu possedit) nullam suscitavit prolem.

Anno 1344 arce Clarenbeccia Theodoricum à Bentingh donavit & investivit.

Anno 1348 die circumcisionis Domini privilegia urbi Metropoli Clivorum partim nova dedit, partim priora cõfirmavit, qualia sunt de successionis hæreditate adeũda, telonii Rheni & Vahalis, Orsovienſis, Smithusiẽsis, Huissensis, & Neomagẽsi, itemq; ab arrestis, & exactionib⁹ immunitas, de juramẽto Prætoris prẽter Principem urbi præstando, census augmentum, seu diminutio: Præsentibus Ottone Clivio Præposito S. Gereonis Coloniæ, Theodorico de Horn Domino de Cranenburgh consanguineis suis, Arnholdo de Arckel, Eberhardo, & Wilhelmo de Vlfft, Alberto de Eyll, Friderico de Hunnepel, VVilhelmo de Genth, Rolando de Hagdorn, Joanne de Ossenbroich, Theodorico de Brynen, Henrico de Romlian, Eberhardo de VViſſel militibus, Theodorico Lockers, Suedero de Sarbruggen, Henrico de Gruithauſs armigeris.

Primo hoc principatus sui anno, Engelberto quoque Marcano Episcopo Leodienſi, auxiliares copias, quibus sibi rebelles cives compesceret, adduxit, sicut etiam propè Hasseltum ipso autore, 1600 ex rebellibus cæsi.

Exorta autem anno 1351 exitiali in Reinholdum & Eduardum Geldriæ Duces Germanos fratres seditione, Joannes noster quia Embricam pro 2107 Scutatorum pignore anno 1355 ab eo acceperat, Reinholdo primogenito patrocinatus est: sed Reinholdo in prælio apud Tielam, anno 1361 à fratre Eduardo superato, capto, & custodiæ tradito anno seq. 1362 cum Joannes noster quoque dotem uxoris Eduardi sororis Mechtildis expeteret, is tum ob suppetias fratri Reinholdo præstitas, inprimis ob petitam dotem Gochà Clivensem ditionem ingressus VViſſelium, Tyllium, alioſque circa Calckariam, & Grietham pagos incendit: contra Joannes per Duisburgum Neomagum penetrans vicissim Geldros clade affecit, immò parum abfuit, quin Neomagum Ottone Lonensi Equestris dignitatis viro, & Henrico Boeth Eduardi Secretario ære corruptis, & traditionem cum aliis quibusdam civibus pollicentibus, occupasset: Et licet civis quidam Gochensis Eduardum in castro ibidem per latrinam ad Niersam sagitta interfici posse significasset Joanni, hic tamen pietate motus Eduardo illud revelans in amicitiam ejus iterum admissus est.

Ipsius quoque opera Joannes Nassoviæ Comes, qui Margaretam Marcanam Adolphi & Margaretæ Cliviacæ filiam anno 1357 in aula VVerthinensi duxit Comitatum Marcanum integrum

Adolphi

Adolphi filio Engelberto, pro jure suo 18 aureorum millibus acceptis reliquit, post cujus obitum eundem Adolphus frater ex conjugio Clivorum quoque Comes factus iterum consecutus est.

Idem oppidum, & arcem Griethusiam struxit inque oppido monasterium Vestalium constituit.

Dominium Rynarense consensu Imp. Caroli IV. ab Abbate Epternacensi in feudum impetravit.

Cæsaris insulæ etiam atque Duisburgi arctiorem oppignorationem magno ære ab eodem Cæsare Carolo mercatus est.

Obiit 19 Novembr. anno 1368. Clivis juxta fratrem conditus deque eo more suo Streithagenus:

Vltimus è fratrum numero, quin ultimus ipse
E prisci Eliæ posteritate fuit.
Namque licet templi mutasset conjuge dotes,
Vllius sobolis non tulit esse parens.

ADOLPHUS MARCANUS

Clivorum Comes 28, & ultimus.

QUia ergo in Ioanne hoc stirps masculina Comitum Clivensium desiit, & per conjugium Margaretæ Clivensis cum Adolpho V. Marcano Comite anno 1332 Dominica Reminiscere copulatæ, ad familiam hanc Imp. consensu transiit, Adolphus filiorum ejus secundogenitus matre adhuc superstite (nam Pater antea anno scil. 1347 obierat) tanto amore prosecutus est conjugium, ut Monasterienſi, & Colonienſi Episcopatibus relictis, Margaretam Montanam Gerhardi Iulii ultimi Montium Comitis filiam, & VVilhelmi primi Montium Ducis sororem, insigni præstantem formâ virgin, ideoque sibi charissimam, in spem successionis Cliviacæ, anno 1364 duceret. Hinc idem fratribus Engelberto primogenito, & Theodorico unitus, cum Reinholdo vero Geldro de Emmerica, Sevenahria, & Limersia pactus, viduæque Ioannis Avunculi, Linnæ, Orsoviæ, Budbergæ, & Monrebergæ reditus (proprietate quæ anno 1370 ad fratrem Engelbertum rediit, sibi servata) concedens, in comitatu Clivensi successit.

Etsi enim Otto Herculeus, Ioannis filius, Eduardi Ducis Geldriæ operâ adjutus, ob matrem unicam Ottonis primogeniti filiam, Comitatum sibi deberi existimaret, saltumque ejus, seu Cameram Clivensem ad mettropolim ingressus, urbem, & castrum obsidione cingeret, Theodoricus etiam Dominus de Horn & Parwys in aula Clivensi apud Ioannem educatus, se tanquam sororis filium proximiorem diceret, & post mortem Avunculi in Campo Gallinaceo exercitu exhibito, quamprimum Clivensem, Craneburgiam, Orsoviensem, arces (ex quibus Craneburgiam, cum

oppido

oppido titulo pignoris jam dudum possederat) occuparet: Adolphus tamē Marcanus, quia mater ejus adhuc superstes, Herculeorum verò exciderat, ad se ob eandem quæ utpote fratris filia, sororis filio Theodorico Hornano & Parwyschio in feudo proximior erat, successionem devolutam proposuit, & Ottoni Herculeo, atque Theodorico Hornano, ex reconciliatione Ioannæ Brabantinæ, pecuniā numeratā, fratrique Engelberto integro Comitatu Marcano cum Limersia, & medietate telonii Buiricensis, Theodorico vero Dominio Dinslacensi, Duisburgensi urbe, & reditibus Rurorthensibus assignatis, Provincialium, inprimis Heymriciorum favore, Comitatum Clivensem adeptus, eoque à Carolo IV. Imperatore investitus est, factus Clivorum Comes in ordine 28, & ultimus, de quo in mox Comitibus Marcanis ante Duces Clivenses sex, qui ex iis originem suam habent.

VNITA-

VNITARVM

Cliviæ, Juliæ, Montium, Marchiæ, & Ravensburgiæ Provinciarum

MEMBRVM SECVNDVM,

Duabus Sectionibus explicatum:

In quarum prima,

De Comitatu, & Comitibus Marchiæ Westphalicæ primis tredecim,

In Secunda,

De Ducibus Cliviæ sex, qui ex iis orti, & simul quoque totidem Comites Marcani, adeoque in universum 19 fuerunt.

SECTIO PRIMA,

De Comitibus Marchiæ tredecim.

QUIA Duces Clivenses ex Marcanis Comitibus originem suam trahunt prius de eorum majoribus dicendum, quod antequam fiat ante omnia Comitatus ipse, ejusque situs, cum statu politico, & Ecclesiastico nobis exhibendus est.

De Comitatu Marchiæ Westphalicæ.

EST ergo Comitatus Marchiæ VVestphalicæ amplissimus situs, ut inter Rhenum & Albim vix parem habeat, in forma triquetra ad Septentrionem Lippiam, ad Orientem Paderbornensem Diœcesim, & Hassiam, ad Meridiem, & Occidentem provinciam Montanam respiciens.

Statu politico Comitatus Marcani.

Præfecturæ sunt in eo quindecim, sedecim urbes & oppida municipia 8. Præfecturæ sunt Hammonensis, Vnnensis, Camensis, Altenanensis, Iserloenensis, Bochumiensis, Lunensis, Swertensis, Hordensis, VVetterana, Blanckensteinensis, Neostadiensis, Neoradiensis, Plettenbergensis, seu Swartzenburgica Lippiensis.

Urbes majores sunt 8. totidemq; minora oppida, & municipia.

Inter

Inter majores principatum sibi vindicat Susatum perquam vetusta, & opulenta civitas suis tamen privilegiis gaudens.

Lippolis etiam medietas cujus altera pars Comitibus Lippiacis paret ad Comitatum pertinet, tum Hammona, Vnna, Camena, Iserlona, Swerta, Luna; has sequuntur minora oppida itidem 8. Hattnegium, Bochumium, Neostadium, Neoradium, Breckerfeldium, Ludenschedium, Plettenburgium, Swelmium. *Oppida minora 8.*

Municipia denique octo sunt, Altenanum, Hoerdense, Castropium, VVattenschedium, VVesthovium, Blanckensteinium, Volmensteinium & VVetterenum. *Municipia 8.*

Susatum Angariæ metropolis ab additamento (Zusatz) quidam dictum volunt: prius enim castrum fuit, quod postea aliis ædificiis accedentibus in tantam molem excrevit, illudque ut diploma S. Annonis in Armario S. Cuniberti loquitur, Cunibertus Col. Antistes acquisivit: Hermannus vero Dives effosso Cuniberti corpore, & huc trãslato, & ab injustis, & importunis hæredib⁹ obtinuit. Vrbs ipsa amplissima est, quippe quę cõplexu suo præter Archidiaconale collegiũ duo virorum, unumq; virginũ collegia, & sex Parochias cõplectitur. Henrici aucupis autoritate muro circumdatum est, atq; opificia in pagis exerceri prohibita magnus Bruno Archiep. Col. Henrici Aucupis filius per hucreatum Leod. accęptis à Carcassonensi in Gallia Episcopo S. Patrocli reliquiis illud honoravit. Philippus Hinsbergius 12 viros in Magistratum cooptavit, duosq; Tauros in publicum ministrorum usum instituit mactari, atq; alia præterea munera ac beneficia complurima ei contulit. Gogravius vero judicis dignitate oppidanis, circumfusoq; ad milliare territorio præest, anno 1399 ab Archiepiscopo deficere cœpit, anno vero 1441 quod ultra privilegia, & consuetudines suas à Colonienśibus adhuc magis oneraretur, initâ cum Adolpho primo Clivię Duce, Comiteq; Marcano amicitiâ plenius inclinavit: sed interpellatis Metropolitano Capitulo, statibusque, & nobilitate Westphaliæ res per triennium agitata quodammodo cõposita fuit: attamen novis mox queremoniis ad Cæsarem Fridericum ejus nominis III. Austriacum delatis, Bernhardus Saxonię dux arbiter datus pro Theodorico Morsano Archiep. Col. anno 1414 pronunciavit: in cujus arbitrio cives haud acquiescentes die decem millia Martyribus cõsecrato, eodem anno 1444 Joannem primum Ducem Clivium Adolphi primogenitum cum exercitu in urbem intromiserunt, illiq; ac posteris ejus strictâ fide clientelę officia jurejurando spopondерunt, seu homagium præstiterunt, unde bellum funestum inter Archiepiscopum Col. Theodoricum Moërsanum & Clivorum Duces exarsit de quo in Joanne Bellicoso. Vrbem ipsam ita celebravit Bernhardus Mollerus in descriptione Rheni:

Mœnia Susati surgunt altissima visu;
Incola prudenti rusticus arte sapit.
Vrbs est prisca situ, testatur temporis ævum
Fœda luto, calleis sorte platea secat.

Marte

Marte Boemorum simul ac obsessa fuisset
Lippia per Duces quatuor atque decem
Cœperat armato Susatum milite cingi
Cœperat amoto fortius esse metu
Ad spatium mensis simul ac contra sa fuissent
Mœnia tot simul hostibus icta forent
Deficiunt hostem vires cessere Bohemi
Sanguineæ Martis destituuntur ope
Cæde quadraginta totidem quoque millia cristi
Incola susati cedere vidit agro.
Bellicausa fuit Susatum Clivia cepit
Imperio Victrix associare suo.

Lipstadii. Lupiæpolis à fluvio Lupia interlabente ita dicta est, quum Comites à Metropoli appellati familiâ suâ illustri nobilitarunt. Hæc, anno 1150 à Bernhardo Comite condita, & anno 1376 die Margarethæ, Engelberto III. Marchiæ Comiti à Simone Lippiensi in pignus tradita, sed postmodum anno 1443 Ioannes primus Dux Clivius ejus medietatem, à Bernhardo & Simone comitibus Lippiacis certis conditionibus consecutus est, cujus filius Ioannes nominis II. eidem pedagii immunitatem ad revocationē largitus est. De ejus antiquitate & celebritate ita Bernhardus Mollerus in descriptione Rheni:

Mœnia Romani statuerunt: mœnia quondam
Clade Bohemorum nobilitata gravi.

Hammona. Hammonam alii ab Hammone Jove Lybico, alii ab Hamma pugile, qui ibi à Starcutero victus, alii à pernis salitis & infumatis, ut Goropius Becanus, alii denique verius à saltu vel nemore ob naturam loci dictam putant, qui ut est Lupiæ & Aæ fluviis contermin⁹, ubi rivum Dunckerum ex Borda Sulatensi missum, ad Angulum hauserunt ab iisdem omnibus irriguus, gramen atque pastum pecori præstat aspectu viridem ac jucundum: loca autem pascua Hammi lingua Teutonica, jam olim, hodieq; dici vulgo est notissimū. Anno 1226 ex ruderibus castri Novipontani die Cinerum à Ludolpho à Boenen Adolphi Comitis præfecto ædificari cœpta est. Anno 1287 pridie assumptionis Mariæ bona ejus pars conflagravit, deinde instaurata, Anno 1307 vicissim ab ignis incendio octavâ Pentecostes pene tota absumpta est. Eidem Joannes nominis II. Dux Cliviæ, Comesque Marchiæ, pistrinæ, & cerevisiæ censum, dum revocetur, indulsit. Et anno 1495 de hæreditate in toto Comitatu Marcano liberè adeunda privilegium dedit. Laudes ejus Joannes Marmelius Ruremundanus in Eclogis suis decantavit.

Vnna. Vnna quasi Camenis vicinam nimis (vnis tonijs) appellatum volunt, urbs Lupiam ac Ruram inter ad Aam fluvium condita, cum præfecturam quam vulgo Advocatiam vocant Conradus Hocstedenus Archiep. Col. anno 1243 Adolpho Marcano tradidit, unde immunitas ejus, inprimis quòd aliquando Carolus IV. Cæsar in ea coronatus est, cerevisiam coquit etiam præstantissimam, & vicinis

gratissi-

gratissimam, à Ioan. ejus nominis 2. Duce Clivio 3. Comiteq; Marchiæ 16. pistrinæ & cerevasiæ censu liberum cum Hãmona accepit.

Camena vel a Chamanis, vel potius ut supra annotavimus, a Sicambris appellationem sortita est. an. 1278. cum Engelbertus Falckenburgius Archiepiscopus Col. Terram Marcanam ingressus contra Engelbertum ejus Comitem moveret, â Theodoro Vollenspiet ne Archiepiscopi miles ibi hospitare posset, succensa. *Camena.*

Iserlona à ferro quod in illa cuditur denominata est. *Iserlona.*

Swerta â gladiis forte dicitur, vel potius lebetibus, aliisque instrumentis, & filis ferreis seu orichalcis, quæ ibi quemadmodum etiam Altenanæ, Ludenschedæ & Neostadii, conficiuntur. *Swerta.*

Lunam a Planeta cognomine Lucina vel Diana denominatam volunt, quæ ibi eo tempore cum Carolus Magnus Saxones ad fidẽ Christi amplexandã adduceret a quodam ejus loci Dynasta in columna depicta, & culta, sed â Nortberto converso dejecta, & auspiciis Theod. Episc. Monasterien sis sub Henrico I Imp. an. 1018. templum in memoriam B. Virginis Mariæ matris Domini cõstructum est: Ab hac origine Castrum paulatim eo loco, ubi Zesacus fluvius Lupiam illabitur, ædificatum, primum ducibus paruit Brunswicensibus & Lunæburgens. ab iisq; leonem rubrum in solo aurato accepit. Eadem ætate an. sc. 1122. Godefridus Saxo Cappenbergius castrum suum in monasterium convertit, qui an. 1127. in Elvenstadio mortuus est. An. vero 1253. in bello Episcoporum Col. Osnabrug. Paderborn. & Ducum Saxoniæ, Leoburgensium in pago Brectio prope Tremoniam superioribus Episc. pro salario illud Theodoro Dynastæ Volmenstenio cessit. Theod. Oppidum an. 1340. ob Civium inobedientiã Adolpho Marcano cognato vendidit, cujus filius Engelb. illud in locum Bpfangh dictum anno 1348. in bello cum Ludovico Hasso Episc. Monasterien si transtulit. Ecclesia vero Parochialis ibidem consensu Archiepis. Col. Friderici Sacrioerdani, & Abbatissæ Essendien sis an. 1366 ædificata, & privilegiis dotata fuit. Oppidum an. 1457. bis conflagrationẽ an. vero 1463. inundationẽ aquarum passum. an. etiã 1512 incendio iterum suborto afflictuum. *Luna. G. Sperenmeccer Clsul Lunensis in descriptione urbis patriæ.*

Ad minora quod attinet Oppida, ex iis primum, Hat-negium quasi Hoff-negium ab Engelberto Comite Marcano vicinam Montium provinciam vallo cinctum à novem villis, quæ ad Ruram ponte lapideo hic structum sitæ Oppido exstruendo occasionem dederunt, derivatum volunt, ut proinde Novem-villanum appellare possis, ut vere canit Cornelius à Mewen hinc oriundus. *Hattnegiũ.*

Vrbs est Marchiacis certe haud incognita terris
Hat-negum primum Veteres dixere Coloni,
Quod ter trina suo teneat gurgustia fundo,
Quæ Agricolæ quondam totidem coluere vetusti
Hanc Engelbertus fertur magis urbibus unam
Incoluisse aliis πόλισισque ornasse statutis
Atque in Montanos vallo cinxisse propinquos.

Bochumium à fagorum multitudine appellatum, quia hæ excisæ *Bochumiũ.*

oppido condendo nomen,& locum dederunt,qui cum agro adjacente olim titulo Comitatus Kofbucheim insignitus fuit, ejusque medietatē unam,cum jure patronatus Ecclesiæ Henr.à Molenarck Archiepis. Col.ob Antecessoris Engelberti Comitis Montium parricidium an.1225. â Frid. Altenano Isenburgi, & novi Pontis domino designatum ad se traduxit. Conrad.vero Hochstedenus Archiepis.in Adolphum Marcanum jure feudi iterū an.1243.transtulit,donec alterius medietatis præturam cum jure patronatus Eccl, partim permutatione,partim emptione acquisitam in Adolphum Marcanum Clivorum Comitem 2 May an.1392. Frider.Saerwerdanus,itidē Col.Archipræsul cum vico Swelmio,& Hagenio pagis transtulit oppidum; an.1517.vorax flamma pene totum absumpsit.

Neostadiū. Neostadium,& Neoradium a nova structura oppidorum dicta sunt:quorum illud die S.Servatii anno 1301. a Rutgero ab Altena præfecto ædificari,& muniri cœptum:an.1353.à Præfecto Gerhar-

Neoradiū. do Plettenbergio cum castro contiguo conditum, & eodem anno cum Neostadio perfectum atque absolutum est.

Breckerfeldium. Breckerfeldium quod terra ibidem saxea difficulter aratro scindatur vocatum existimant,ubi elegantes cultri parantur.

Ludenscheidium. Ludenscheidium ab hominum eorumque terminorum habitationis distinctione dictum.

Plettenbergium. Plettenbergium à familia nobili denominatum est,unde prognatus Hunholdus Plettenbergius,à quo Rutgerus Altenanus Engelberti 3.Comitis Marcani II præfectus,in absentia ejus in terra Sācta oppidū emit,castrumq; ei connexum Swartzenbergiū.an.1310 construxit,cujus Ioannes nominis 2.Dux Cliviæ 3.Comesq;Marcę 16 jus venationis liberum,sicut etiam Hatnegio, Neostadio,& Ludenschedio oppidis,jā memoratis,Altenano,& Castropio Municipiis cū dominio Hulschedeno an.1484.largitus est. ipsū Plettenb. vero in familiam eandem nobilem, Idem Dux Ioannes. an.1504. transtulit,qui illud titulo pignoris etiamnum hodie possidet.

Swelmium Swelmium olim vicus nobilis ferraria celebris juxta cognominē rivulum Swelmam,inter Breckerfeldium, Lennepium provinciæ montanæ oppidum,Hatgenium & arcem Wetterenam profluentē, cum oppidi Bochumii medietate,& pago Hagenio. A.1392.ut modo annotavimus,partim permutatione cum ditione Aspelia, Urbeq; Reesa cum ditione Linnensi, & telonio Cæsarinsulano inter Frid. Saerwerdanum Col.Archiepis.& Adolphum Marcanum Comitē Clivensē instituta, partim propter 57.mille Florenorū antichresin Marcano Comitatui accessit,tandemque jure civitatis donatum.

Municipia Comitatus Marcani. Municipia denique 8.quæ Comitatus Marcanus numerat,sunt. Altenanum à prima Comitatus Marcani appellatione , & sic ab arce illius præcipua, ad cujus radices hæret,denominatum.

Hœrdense & Castropium à duabus familiis nobilissimis, quæ castra illa.cum dominiis subjectis possederunt,derivatum, post eorum mortem Comites Marcani ceu feuda sibi aperta acceperunt.

Wattenscheidium,quasi aquarum distinctio est.

Westhovium à situ dictum. Blancken-

Blanckensteinium castrum à figura externa appellatum, ex ruderibus castri Isenburgici ad Ruram diruti die Pancratii an. 1227. à Ludolpho à Bœnen Adolphi Comitis Marcani præfecto ad confluentes Ruræ & Torrentis Muttenbeccii structum est, cum quo municipium connectitur.

Volmensteinium vetus à familia quæ illud possedit nobilissima appellatum, an. 1324. destructum Engelbertus nominis 3. Comes Marcanus II. instauravit sibique impetravit.

Wetterenum itidē ab arce illius præfecturæ insignis appellationē sortitur, Municipiis Altenano, & Castropio libertatē venationis Joan. nom. 2. Duce Cliviæ 3. & Com. Marc. in ordine 16. largitus est.

Vasalli atque inferioris ditionis domini Comitibus Marcanis subjecti sunt Herbedenus, Stipelius, Wittenig, Hostius.

Dominia inferiora Comitatus Marcani

Dominium Herbedenum nobilissimis ab Erverfeld paret. Hujus enim jus Guilhelmus Dux Cliviæ, Comesq; Marcæ à Maximiliano II. Cæsare ob destructum cœnobium Kaufingense consecutus, illud certis conditionibus in Cōradum ab Erverfeld transtulit.

Stipelium & Horstium Reckiis, Mengedenum Boedelsweiniis & Burenis conjunctim subjecta sunt.

In Comitatu etiam hoc ejusq; tractu antiquis temporibus domicilia, & ditiones suas Barones sive Dynastæ, Castropii, Crangii, Rurenthalii, Vitinchovii, & Volmensteinii habuerunt, quorū familiæ à stirpe interierunt, Castris eorum partim destructis, partim ad Comites Marcanos feudi Dominos, aliasq; familias nobiles per conjugium, & emptionē ipsorū, Dynastiis delatis. Castropia enim March. adlegitur, Crangia ad Eickelios, Vitinchovia ad Schelios devenit.

Volmensteinensis Bruschius meminit in Monasteriis quādo Gerbicum nobilem de Volmenstein ex milite monachum Siegebergensem factum, deinde Cœnobii Eremitarum vulgo **Waldtsassen** circa an. Christi 1132. initiū fecisse narrat; Ex eadem familia quoq; Henr. ortus qui jussu Frider. I. Imperatoris electionem Archiepis. Col. Friderici Anno 1099. promovit: Radbrandus denique Volmensteinus circa annum Domini 1001. Abbas VVerthinensis fuit in ordine 16. qui 5. Idus Aprilis Anno 1022. obiit.

Tria autem Volmensteinia castra numerantur, quæ omnia anno 1324. in Vigilia S. Iacobi Carolus 4. Rex Bohemiæ destruxit, Vnum autem ex tribus Engelbertus Marcanus Adolphi filius à nobili Volmensteinio emptum instauravit, reliquis duobus in Colonien-si, & Montensi terra solo æquatis: undē Versus.

In Iacobi festo Volmenstein memor este
Volmenstein gemo victum à Rege Bohemo.

TREMONIA.

In tractu Marcano Tremonia Civitas Imperialis quoque sita est, quæ etsi ad eum non spectet, Nos tamen de illius initiis, atque progressu pauca ex Chytræi Saxonia lib. 17. & Henrici Meibomii Witek. pag. 63. indicabimus.

Trothmanna ergo (sic enim antiquitus à Truthmāno viro illustri

Saxonibus præfecto appellata)eo loci ubi duo olim pagi, vetus, & novus exſtiterunt, tempore Caroli magni Saxones ſubigentis paulatim ob ſoli ubertatem,& ſitus præſtantiam à Colonis condita, & Comiti Imperii,ſeu vicario regio attributa fuit,conſilio Borchmānorū,ſive Caſtrenſiū,ex antiquæ nobilitatis familiis addito.adeoq; Comitatus liberi atq; imperialis nomine audiit,quod diploma Caroli an.788.datū & nomina agrorum regiorum,& imperialium arguunt. Poſtea Caroli poſteris exſtinctis ſub Saxonum imperio ab Hunnis cum tota reliqua Germania an.917.afflicta fuit, quod Veſtigia Hunnentrenck & Streitheit docēt;an.938 Ottoni I.Imp.in bello contra fratres inteſtino dedita fuit,an,1006.comitiis Henr.II. Imp.nobilitata,ſub Henr.IV.ob Saxonum rebellionē iterum exagitata , ſed ſub Frid.Barbaroſſa conventibus multis ibi habitis recreata,creſcente vicinorum Comitum Altenanorum,ſeu Marchiæ Weſtphalicæ potentia,diu cum illis colluctata eſt,Eadem incendio triſtiſſimo an. 1297.languefacta fœdus cum iiſdem iniit, Comitum vero ejus dignitas,quæ antiquitus à ſolâ Regum beneficentia pendebat,à domo Saxonica alias familias diademate Cæſareo trāſlato, qui rarius in Weſtphalia verſabātur hæreditaria eſſe cœpit , donec an. 1343.Conr.Comes,ut venditionis ipſius tabulæ docent, alienatione à Majoribus facta ſub certis legibus cōfirmata in ſenatū tranſtulit,alteram vero medietatem Joannes Steckius jure dotali (Bertius habet hæreditario) ab Linden-Horſtiorum familia aquiſitam cum jure gladii Senatui Tremonienſi ſimiliter vendidit, adeoque totius liberi Comitatus, ſeu Vrigraviatus adminiſtratione & cura Proconſules ibidē utuntur,an.1381.à Friderico 3.Archiepſc.Col. 56.omnibus vicinis Epiſcopis ac Comitibus eum juvantibus, graviſſimā & maxime diuturnam totos 22. menſes obſidionē ſuſtulit: liberatam civilis diſcordia,externo bello multo periculoſior,excepit, quæ exactâ inter cives viritim pro ſingulorum facultatibus pecuniā,quâ æs alienum diſſolveretur , plebeis etiam in ſenatum,qui totus ex nobilibus antea conſtabat,lectis,an.1400.ſedata eſt;Deinceps cum vicinis Marchiæ & Cliviæ Comit.ac Ducibus pacem ac fœdera certa hucuſq; ſervavit.Immediatè tamen Romani Imperatoris patrocinio ſubjecta,à Maximiliano I. an.1504. à Carolo V.ejus nepote an.1520 antecceſſorum Friderici II. Ludovici Bavari & & Caroli IV. privilegiorum confirmationes accepit; Atq; ſic ſenatus per Urbem & Comitatum integrum plenā gladii poteſtate fruitur,Prætorem Urbanum dirimendis litibus conſtituit cœteraq; diſponit,quæ liberæ Civitates diſponere ſolent, Inter celebriores denique Hanſeaticas non poſtremum locum occupat.

Status Eccleſiaſticus Comitatus Marcani.

Statu Comitatus Marcani politico explicato ad Eccleſiaſticum accedimus: quo non tantum Prælaturas duas maximas atque Imperiales diverſi ſexus: Aſſindienſem hodie Eſſendienſem dictam, quæ Sacerdotes maximas ſive Abbatiſſas non niſi ex Principum, Comitum , & Baronum filiabus admittit , & VVerthinenſem Abbatum Imperialium,ſed etiam monaſteria Veſtalium nobilium

Herdickia-

Herdickianum, Frundebergium, Kentorfium, S. Claræ Hœrdenſe, & Gevelſbergium; Monachorum vero Schleidanum, Marienheidenſe, & Hammonenſe, Conventum Unnenſem, Camenſem, Tremonienſem minorem, & Rynarenſem monialium. Hoſpitalia denique Nordenſe & Wattenſcheidium ſub ſe complectitur, de quibus etiam nonnulla huc annotabimus.

Abbatia Eſſendienſis

Eſſendienſis Prælatura, quemadmodum etiam Eltena, Vitimontia alias dicta Ducatu Clivio, Vredenſis, Notelenſis Freckenhorſtana, Metelenſis, Borchorſtana, in Diœceſibus Col. & Monaſterienſi, Hervordienſis in Comitatu Ravensburgio, ut diximus, & prælatas, & collegas ex illuſtri tantum familia delegens an. 887. ab Alfrido 4. Hildesheimenſi Epiſcopo inſtituta ſorore Gerſuida primâ ejus Antiſtitâ ordinatâ; Hujus Alfridi reliquiis, ſicut & Coſmæ, Damiani, Baſilii, Quintini, Remigii, Pinnoſæ, Marſi hierothecæ aureæ incluſis, aliiſque Lipſanis gloriatur, Mechtildis præfecta Ottonis 1. Imp. filia, Ottonis 2. & Thephaniæ ejus conjugis orientis Imp. Baſilii Nepotis ſoror, quę ſicut Aſſindienſis, ita Quedlinburgẽſis etiã in Saxonibus antiſtita fuit, Rellinghauſanũ quoq; collegiũ fundavit.

Hujus Abbatiæ Comites Marcani Advocati ſeu tutores ſunt.

Primus ex hac familia tutelam ejus geſſit Arnholdus: Poſt cujus fata Fridericus Hensbergius ipſius filius ſucceſſit: qui cum Engelbertum Montenſem Archiepiſcop. Col. an. 1225. necaſſet, hujus in hac dignitate ſucceſſor Henricus à Molenarck poſt parricidam in rotam actum tutelam ad ſe tranſtulit, quam Conradus Hochſtedenus Archiepiſ. Adolpho Marcano an. 1247. iterum largitus eſt. Vnde ſequentes omnes Comites Marcani uſq; in hunc diem (Reinholdo Kerckholde in manuſcripto Chronico teſte) eandem continuant, Idẽ Adolphus Marcanus circa annũ 1227. prætorium Baldeinnew, quaſi dicas cito novum, & aliud ſtruxit, quod eſt fundus Clientelaris Eccleſ. Eſſendienſis, eoq; diuturno tempore Comites Limburgii ad Lenã, de hinc Equites Steckii, Eilii tandem Neuhoffii donati ſunt.

Abbatia Werthinenſis.

Werthinenſem Imp. Abbatiã Ludgerus ex nobili in Friſia progenie circa annum domini 730 natus, Et Hildegrini ex Cataloniẽſi Epiſcopo primi à Carolo magno deſignati Elboras Stadienſis Antiſtitis frater, primus Mimingardenſis (nunc Monaſterienſis) ab eodẽ Carolo an. 746. conſtitutus Epiſcopus ejuſdẽ Caroli Auſpiciis Deo revelante in ſolitudine Weveſwaldt inter duos montes Wredenbergh, & Aldenbergh arboribus fato quodã cadentibus in loco ob Ruræ præterlabentis, aliorumque limpidiſſimorum fontium amœnitatem amabili, circa annum Domini 778. fundare cœpit; ſed an. 802. perfecit atq; inauguravit, Benedicti regulã ſequentẽ. Huic collegium alterum Helmſtadienſe ejuſdẽ Caroli adverſus Vandalos ibi belligerantis pietas adjecit, quod certis cõditionibus ab Hermanno à Kellenbergh dicto Holteno, ſive Nylonio, qui ab an. 1540 uſq; ad annum 1572. Abbatiæ præfuit, quod cives præſuli inobedientes, & ob longius diſſitum locum Werthinenſi inutilius eſſet,

Henrico Duci Brunſuicenſi & Lunenburgenſi pro nominata pecuniæ ſumma venditum eſt, ejuſque filius Iulius Academiam ex eo effecit celeberrimam Anno 1576.

VVerthinenſi Abbatiæ Zwentiboldus Rex Franciæ, & Lotharingiæ dominium Freimorsheimium Anno 898. donavit: quo viciſſim ab Abbatibus primo VVilhelmus Freimorsheimius, deinde Eberhardus Marcanus anno 1297. inveſtiti ſunt. Poſtremus ad Comites Marcanos, & qui ex iis orti, Clivorum Duces derivavit. S. Ludgerus etiam fundum habuit ad Arnapham fluvium, hodie Erfft vocatum, prope Noveſium patrimonialem ad 55. Cruces dictum. Eidem B. Anno Epiſc. Col. an. 1068. de Villis, & decimis privilegium dedit, teſte inter alios Adolpho Hermanni filio patre Eberhardi, Comite, & Advocato de monte.

Ægidius Gelenius in ſtaurologia

Hujus quoque Abbatiæ Comites Marcani Advocati ſeu Tutores ſunt.

Monaſterium Frädenburgicum Ægidius Gelenius in ſtaurologia

FRUNDEBERGIO, quaſi communi amicorum Monti ſacro, ordinis Ciſtercienſis veſtalium nobilium Monaſterio in Monte Haſleo ſecundum Ruram occidentalem in Comitatu Marcano de quo agimus ſito, originem dedit B. Menricus ex Lubecenſi Canonico Anachoreta in iſto tractu factus.

Cum enim is ab Henrico de Molenarck Archiepiſc. Colon. qui Engelberto Montium Comiti anno 1225. à Friderico Iſenburgio-Altenano cognato ſuo fœdè necato ſucceſſit, & uſque ad Annum 1237. præfuit, facultatem Monaſterium hoc condendi petiiſſet; Et vero Archiepiſcopus cum examinans, ac propter nimiam ſimplicitatem rei perficiendæ inidoneum atque imparem eſſe metuens rogaret, ut quanta ad hujuſmodi conventum amplitudo deſideretur, oſtenderet, Vir pius ductis in locum inſtituendi Cœnobii Archiepiſcopo, una cum Godefrido Arnsbergio, & Ottone Altenano (Adolpho rectius) Comitibus ac Ardcianis, aliiſque nobilibus coram miraculoſa B. Virginis ſtatua in genua procumbens, è cœlo ſereniſſimo lucidiſſimam precibus ac lachrymis deduxit nubem, in cujus medio aureum crucis ſignum clariſſimis radiis fulgens, non tantum locum Monaſterii ædificandi, ſed etiam aram crucifixo domino in novo templo dedicandam exſtruendi deſcripſit, quæ hactenus in multa veneratione habita ſunt.

Monaſterium vero accidentibus aliorum, imprimis autem Marcanorum Comitum oblationibus, mire ditatum, Mauſoleum tandem eorundem evaſit. Hic enim Eberhardus 2. Engelberti primi anno 1277. defuncti filius Anno 1308. mortuus, ejuſque ſucceſſor & hæres Engelbertus II. an. 1328. defunctus, itemque hujus filius Adolphus nominis V. qui An. 1347. obiit, ex Geldria cujus moderamen geſſit, huc delatus, ejuſque primogenitus Engelbertus 3. an. 1392. extinctus, conditi ſunt.

Kentorfium

Kentorfium propè Hammonam ordinis Ciſtercienſis Veſtalium Abbati veteris Montis in Provincia Montana ſubjectum cœnobium ſub Eberhardo Marcano Comite An. 1290. in Aprili eo tranſlatum,

latum, anno 1293. 6. Cal. Octob. ædificia ejus erecta, anno 1295. Ecclesia dedicata, an. 1296. occupatum, anno 1460. mense Septembri die S. Hieronymi à Joanne primo, Duce Clivorum secundo, Comiteque Marcano in ordine 15. reformatum, & clausum; S. Claræ Hoerdense monasterium Conradus Marcanus cum uxore An. 1340. construxit, eique bonis multis prospexit. *Hoerdense.*

Gievelsbergium ordinis Cisterciensis prius sacellum lign eum, cui crux itidem lignea imposita fuit, postea in Cœnobium Vestalium Cistercienſium transiit. *Gievelsbergicum.*

Prope hoc Engelbertus Montanus Archiepiscopus Col. Anno 1225. necatus cultellum, quo peremtus Moniales montium Comiti accepto ab eodem in præfectura Misenloenensi prædio, tradiderunt.

Ex Monachorum Cœnobiis præcipuum est Scheidanum Ordinis Præmonstratensis à distinctione finium Col. & Marcani territorii ita dictum, Anno 1170. à Philippo Heinsbergio Archiepisc. Col. inauguratum; cui Anno 1173. Godefridus & Henricus Domini de Hagen prædia quædam donarunt. Eidem anno 1215. decimæ in Berendorp per Hermannum Wennemerum, Arnholdũ, & Erenwerthum fratres de Caminata, hodie Camen, vel Kemenæ, Lamberto SS. Apostolorum Coloniæ Decano teste assignatæ sunt. Jus Patronatus etiam Ecclesiæ Mengedenæ illi Jonathan ab Ardea approbante Engelberto Montano Archiepiscopo Col. præsentibus Adolpho Comite Altenano, Friderico Isenburgio, Bertholdo Bureno, & Friderico Wittenio anno 1216. attribuit. *Scheidanum.*

Marienheidano in præfectura Neostadiensi instituti Dominicani Monasterio Anachoreta illic habitans occasionem dedit. *Marienheidanum.*

Hammonense observantium Franciscanorum Cœnobium anno 1461. ante obitum Gerhardus Marcano Clivius, Adolphi primi Clivorum Ducis Comitisque Marcani frater, struxit. *Hammonense.*

FLVMINA

Comitatus Marcani præcipua sunt;

Flumina Comitatus Marcani.

Rura, quem, Lena, Bicha, Hennæpa, Volma, Mona, & Veistera, ingrediuntur, Æmsuris, & Lupia sive Lippia,

Rura duplex est: Orientalis, de quo in provincia Julia, & Occidentalis, de quo hic dicendum.

Occidentalis Rura, ex Montibus Abnobicis non procul à Wintetberga natus, inter valles strepero semper cursu resonans, præclaris fluviis apud Oistivicum, Volma apud Meschedam, Henna apud Vriennolam, Venna apud Bedenburgum, Honna & Lena modo dicto apud Castrum **Spburgh** acceptis, infra arcem **Volmenstein** è regione Montis Cæsarei jam dirutam, spectrisque sicut etiã supra eam Rurendalia (vulgo Rouwendael) apud desolati Castri reliquias, multis portentis celebris famosam, Volmæ commiscetur: *RVRA.*

Volma vero non procul à Monasterio Hevelsbergio Hennæpam fluvium habet cum quo Ruram influit. Mona autem fluvius colle quodam absorptus arenoso, primo quidem totus sub terram cadere videtur, sed tandem actis redux cuniculis, solitumq; continuans alveum Ruræ deditur, antea tamen fluvium Vesteram, qui glacie nunquam indurari sed semper tepescere fertur, capit, & in eum Ruram conducit: Porro multa Rura hæc oppida castra & pagos alluit, utpote Winterbergam, Meschedam, Montem aquilæ Arnsbergh, Swertinam, Sicamburgum, Hærdicum, Cæsaris montem, Volmenstein, Wettereniam, Monasterium, & per Tenecteros Hattnegum. Catvicum, Mulheimium, Duisburgum, & Rurohrtam, ubi prius, Æmsurim prope Beeckium pagum hausit, Rhenum influit, eumq; flumine validissimo auget; prout Bernhardus Mollerus eundem sequentem in modum descripsit.

Descriptio Ruræ metrica.

HAssiacis fontem simul ac eduxit Abnobis
Altisonis Rhenum Rura fatigat aquis.
Curvus abit flexu veluti Maandros adunco,
Orbisluis inter saxo rotatur Equis.
Quam subito Mædus fluxu defertur Hydapses,
Tam subito labi Rura furore solet.
Præcipiti semper scopulo decurrit abactus
Præcipiti semper valle coactus abit.
Instar Pantagiæ vasto dum curreret amne,
Passibus audiri flumina mille queunt.
Adde scatet monstris passim monstrosa relinquit,
Mœnia monstrosis nomine RURA *suo.*
Nobilium prima steterant ætate Penates
Ad geminum ripæ tecta stetere latus.
Sed scelus excelsâ Dominus punivit ab arce,
Quæ sceleris causam tecta dedere ruunt
Nam domuum postquam Domini, spelæa latronum,
Efficerent postquam latro præesset aquis.
Depositò frontem vertit Fortuna favore,
Tutus & in tuto desit esse locus.
Quin etiam Cæsar multæ victrice subegit,
Clade domos, victo, diruit hoste loca:
Stirpitus eruitur vesanæ mansio gentis,
Crimine majorum cogitur esse nocens.
Hinc Lemures diro stygii clamore vagantur,
Manibus unda fremit, manibus arva fremunt.
Agricolas Dæmon crebro prævisus abegit,
Agricolas crebro fecit abire metu:
Tertia monstrorum coguntur cedere spectris,
Bruta quibus fœdi constat inesse nihil.

Quin

Quin etiam notæ visuntur imaginis umbræ,
Post obitum maneis Parca redire facit.
In cameris etiam choreæ peraguntur inanes,
Sæpius organicum carmina fingit opus.
Sæpius horrendi simulant incendia fumi,
Sæpius audiri fulmina luce solent,
Fulmina mentito deterrent, fulgure terram,
Nulla licet nubes axe minetur aquam.
Sulphur ab ambrarum cathedris afflatur, & aura,
Naribus hostilis fumida peste cadit.
Sic adamantæo sedes ardore ligantur,
Nemo queat fixas ut removere loco.
Tartara si dubites hic volvere talia præsto,
Hic tibi Ruranæ Tartara vallis erunt.
Dum non rite pilis videantur ducere nomen,
Rectius hæc Rura nomina vallis habet.
non Rotwenthal / sed Rurenthall.
Eruta deserti spectantur rudera castri,
Tecta latent, tecti monstrat arena pedem.
Cella patet præbens aditum diversa latebris,
Dira pavimentum turbat imago stygis.
Desolata jacent aliis vestigia castris,
Tractibus hæc etiam Dæmone plena jacent.
Visitur horribili Volmenia Dæmone rupes,
Horrida terribili visitur arce locus.
Monte canes degunt furvi terrore colonos
Afficiunt, alto tecta fragore tonant.
Quisquis Cæsareo suspectat vertice castrum,
Degenerem nescit dissimulare metum.
Proximus Oestvico Volmam prædatur, & Hennæ
Brachia, Mescheda proximus ore rapit.
Venna Vrunnolæ Ruram delapsus adurget,
Henna Vredenburgæ raptus omittit aquam.
Castra Sicamburgi simulac accessit eundo,
Inferius Lenam Rura furore bibit.
Præterit Heerdicum (dextrò stat limite pagus)
Ponte sub oblongo Rura sed arctat aquas.
Deserit ad lævam salebrosi fragmina montis,
Cæsare deductum fragmina nomen habent.
Adjacet excelso Volmenia vertice rupes,
Stirpitus eversam culmine Rura videt.
Turris adhuc quadrata situ munita repâglis
Surgit, adhuc tecti signa videre licet.
Subjacet horrendi scapulo Weterenia montis,
Sæpius elabi culmina monte timet.
Flumine Tencteros sinuato dissecat amnis,
Amnis ad Hatnegi mœnia pene ruit.

Culmina

Culmina Werdena fluvii sic nomine dicta,
Culmina Ludgeri nomina clara subit.
Pensilis accedit Catuicum tegmine pontis,
Et valido validas ponte coarctat aquas.
Candida Mullemi fœcundat gurgite tecta,
Candida Duisburgi gurgite tecta videt.
Mœnia pulchella Rurordum defluit urbis,
Angulus hæc Rura nomina ferre potest.
Rura gravi tandem motu defessus aquarum,
Cum famulis Rheni sceptra subintrat aquis.

Idem Mollerus de Lena, Bicha, Hennæpa, Volma, Mona, & Veistera fluviis Ruram ingredientibus, ita canit.

Descriptio Fluviorum Ruram ingredientium.

Lena capit Bichæ fluctus, præcelsa Siburgi,
Castra Sicambrorum laude notata rigat.
Præterit Altenam, Limburgi præterit arces
Lena, sed amisso protinus amne perit.
Bicha Bobanolæ simulac vimatur agellos,
Saxifragis Lena conciliatur aquis.
Quâ relevat parvo sedeis Hustena nitore,
Rura subit Ruræ flumen amicus init.
Claustra Gevelsbergi simulac Hennæpa reliquit,
Digerit Hennæpam robore Volma suo.
Qui simul ac nomen Volmenæ præstitit arcis,
Perditur in Ruræ viscera mersus abit.
Perditus effracto terrarum Viscere Monæ
Conditur, integro protinus amne redit:
Montis arenoso quoniam sorbetur hiatu,
Ex postliminio redditus inde fluit.
Oppidulum propter veniens illustre Nehemi,
Rura statim Monas flumen adesse videt.
Infra Belichium miscetur Veistera Monæ,
Veistera durari frigore nescit aquam.
Est calidus, pleno dum Cærula frigore constant,
Dum gelido tellus marmore stricta riget.
Nec prius ac Ruræ datur frigescit in isto
Flumine persentit tergora stare gelu.
Candida per plures despectant ostia vici
Culumina pro multis dicere panca libet.
VVinterberga caput Ruræ Clivosa ministrat,
Postea Meschedam gurgite Rura venit.
Alluit Arnsbergum, Suvertenæ præterit oras
Marchiados, strepero cuncta fragore subit.

DE

DE LVPIA

Variæ sunt authorum sententiæ.

LVPIA.

Joachimus Vadianus in notis ad Pomponium Melam, Neccarum vocat, sive Nicrum, qui haud longe à Danubii fontibus ortus, perq; Wirtenbergensem Ducatum lapsus, Heidelbergã transiens, mox occasum versus Rhenum ad Manheimium Archipalatinatus propugnaculum insigne, sensim illabitur.

Strabo longe à Mela alius, Lupiam in Visurgim deferri ait, sed uterque toto cœlo errat. Lupia enim ex fonte Bullerbornio resono sub fruticanti quodam tumulo ad castrum Lipspringam in Bructeris ortus, à Dextris Dalbruggas præteriens, Padam & Almonam fluvios apud Nienhuisiam consequitur. Lippiam sui nominis urbem irrigat, & infra Capellam Monasterium, iterum Glennam, apud Hammonam Aham fluvios accipit, Aha vero Rosonobellam, & Alpham Vrbe Susatensi missam capit, cumq; istis Lupiam intrat, quæ inde novam & veterem Lunam dirimens ad Lævam Zesacum fluvium apud pagum Lunerum exortum absorbet: Ex monte Boumberga lapides arboresq; structuris ædium accommodas per totam Germaniam administrante fluvium Steveram non procul ab Oppidulo Halterenio adhuc excipit: Stevera autem ex Clivo Montis prædicti egressus non procul à Notileno Nobilium Virginum cœnobio statim ab ortu sui molas circumagit, villæq; Steveræ nomen facit. Solis ad exortum primo labitur, postea sese ad Austrum gyrans Ludinchuisium alluit Castrum, indeque Lupiæ ad dexterum latus jungitur: Lupia vero Recolinckhusiam à sinistris, à dextris Halteremum ipsum, Ranstorpium, Harvesium, Dorstenum oppidum præterit, Velledæ, Bructericæ aulam parum supra Vesaliam ubi Spelleden Viculus est, præterfluit; ipsamque Vesaliam à sinistris alluens, statim Rheno conjungitur, sicut ex hac ejus descriptione in Rheni perigraphe Bernhardi Molleri apparet.

DESCRIPTIO
LUPIÆ METRICA.

Lippia campestri derivat flumina tractu,
Hic ubi Lipspringæ nomina tractus habet.
Eminus apparent, resoni miracula fontis, (Bullerborn)
Dicitur hoc etiam Lippia fonte dari.
Quem revocans longo recipit Lipspringa meatu,
Sub terra simulac longius egit iter.
Lubricus & celsâ simulac descivit ab arce,
Lippia dividuo redditur amne duplex.
Mox redit in sese repetito latior amne,
Insula nec longe tenditur, arcta situ.

Quem

Quem media genetrix peperit Parderborna ſub ade,
Lippia puniceo digerit amne Padam.
Hic Pada quadrifidi diviſus in oſtia fonte,
Currit viginti circulat amne rotas.
Vt ſex atque decem ſtadiis defluxit ab urbe,
Maximus in minimo perditur amne Pada.
Almona fallaci concurrens perditur æſtu,
Lippiacis flumen cedit utrumque labris.
Hic ubi confluxu miſcentur flumina trino,
Caſtra domus ſurgunt nomen adepta nova. Nienhuilz.
Auctior hinc gemino dum Lippia gurgite vadit,
In Zephyros ſenſim grande recurvat iter.
Hinc gemino tellus prodit concluſa fluento,
Tellus Bructericæ nomina gentis habet.
Incola vulgari Delbrugas nomine ſignat,
Incola barbarico ſævior hoſte coheret.
Inde quadraginta ſtadiis Paderborna recedit,
Mille duo paſſus hinc Detemolda fugit.
Contigua facilis regione profunditur aqua,
Roſcidus ebullit paupere rivus aqua:
Lippia Dalbruggas Vari cum ſanguine linquens,
Funeris haud Latii deſinit eſſe memor;
Teutonicumq; Rheno properans inferre triumphum
Sanguineas Vari clade miniſtrat aquas.
Fluminis adventu pagi latantur & urbes,
Vrbs ſubit ex fluvio Lippia nomen habet.
Accipit albentis dextrorſum brachia Glenna,
Glenna capellano dignus honore latex.
Præterit Hammonem celeri quam Verberat Aha
Flumine, quem celeri Lippia mole bibit.
Hic Roſenobellæ fluctus exantlat amœni
Aſa, nec imbibito tardior amne fluit.
Amne nec accepto melior nec pulcrior amne,
Aſa, ſed acceptis nomine cedit aquis.
Omnia concurrant fluviorum nomina, nomen
Ad Roſenobellæ cuncta ſilere rear.
Aſam fluminibus ſubit auxiliaribus Alpha,
Alphaque Suſato miſſus ab urbe cadit.
Præterit Heidfeldum, Lipburgi præterit oras,
Lippia pagorum nomine lætus abit.
Hezenium fluctu lambens fœcundat opimum,
Alveolo vernam diffugiente videt.
Lippia deſcendit duplicis ſub culmine Lunæ:
Labitur hinc veterem deſerit, inde novam.
Qua jam poſterior conſurgit, Zeſacus undam,
Advehit, hunc lævo Lippia fine rapit.

Zeſacus

Zesacus effundit pulchello cornua fonte;
Flumina Luneri devehit orta casu.
Vrbis & antiquæ retinent vestigia dextram
Fluminis hic nullum Lippia flumen habet.
Obviat Haltremum, dextro quod limite surgit;
Eminus ac ovium vellere curat opus.
Asper Boumbergus sequitur mons latus ab illo
Stevera quem sociat Lippia dexter aquis.
Protinus ebullit Notileno flumine claustro
Contiguis nomen donat inesse molis.
Solis ad exortum primò defertur ab ortu
Postea morbosi fertur in arva nothi.
Ludinchusiados castrum rimatur arena,
Postea Lippiaco totus in amne perit.
Vt Recolinchusi terras respexit abisse,
Lippia continuo longius amne fluit.
Cominus Ostdorpum, Ransdorpia cominus astant
Fluctibus Haltreni Lippia radit agros.
Inclyta Dorsteni metitur gurgite tecta.
Pontibus urgetur, Carbasa nave vehit.
Rheno proximior Velleda: præterit aulam
Nomine jam dubio virginis aula latet.
Velledæ Spelda quadrat mutata prioris;
Arguit hoc radix nominis atque loci.
Deferat ulterius, Vesalia fluctibus instat
Lippiacis, Rheno Lippia perdit aquas.

Amasis vel Amasus à fonte Lupiæ 40 stadiis versus Septentrionem distat, ubi arces Teutoburgensis, hodie Tecklenburgh & Iburgensis, campus victoriosus, rivus roseus, aliaque Varianæ cladis vestigia etiamnum prostant: de quo ita Fiedlerus Poëta: *Amasis.*

Profluit Hassiacis Amasus de fontibus ortus,
Et per Westphalicam carulus errat humum.
Has ubi caruleo peragravit flumine terras,
Hicque colloratum gramine tinxit humum.
Vda rebellantis Frisi secat ora rigatque
Embda tuos fluvio proximiore domos.
Inde via fessus cumuloque gravatus aquarum
Ingerit Oceano pondera vasta Patri.

Alius igitur hic est Amasus ab Æmsuri, qui Ruram prope pagum Beeckium incurrit, & cum eo Rhenum intrat, ut jam dictum est.

Invenies quoque in Marchia fontes limpidissimos, sylvas amœnissimas, pascua & prata florida, ut lumen VVestphaliæ non immerito dici, nomenque ipsum à Medulla promanasse credi possit.

Sed ad ipsos hujus Marcæ VVestphalicæ Comites jam porro Sectione primâ accedamus.

Deinde Ducum Cliviæ 6. qui ex iis orti, historiam Sectione secunda explicemus.

Additis viri cujusdam in Clivia nobilis versibus poëticis, quibus Comites Marcanos panegyricè prosecutus est.

SECTIO PRIMA.

De Comitibus, qui Marcæ Westphalicæ præfuerunt primis 13.

COmites Marcani ex Altenanis, & hi ex Montanis, ut in iis indicabimus, progressi sunt. Nam non tantum utramque provinciam conjunctim possederunt, sed etiam tum ante, tum post ejus divisionem factam, propagarunt. Primus Montium & Altenæ Comes fuit Adolphus qui iterum Adolphum II, & hic Adolphum III. successivè genuerunt. Adolphus III. filiis inter alios duobus Engelberto, & Eberhardo Comitatus binos divisit, Montanum Engelberto, Altenanum Eberhardo tribuendo. Eberhardus autē ejus nominis primus Altenanus Comes in ordine 3. frater Engelberti Comitis Montensis, ex uxore Margaretha Julia Arnholdum, Fridericum & Adolphum post patruum Brunonem III. Col Archiep. genuit. Ex quibus Adolphus castrum Isenburgium ad Ruram oppidumq; Rudenium construxit: & cum an. 1197. 11 Kal. Octobr. die Michaelis Henr. Barbarossæ filius Rom. Imp. in Apulia fatis cessisset, ejus mortē gravissimum schisma, cui Adolphus hic quoq; noster implicatus fuit, in imperio secutum est. Aliis inter quos Siegfridus Epsteinius Archiep. Mog. & Adolphus jam nominatus Ottonem IV. Henrici Leonis Bavariæ quondam Saxoniæq; ducis filium, Andernaci (Mutius Coloniæ) Germaniæ Regem proclamantib⁹: aliis Philippo Suevorum Duci Henrici fratri, alteri Barbarossæ filio, Ephurdiæ coronam deferentibus: Ille apud aquas Grancas 4 Nonas Julii, hic in vangionibus Wormatiæ Dominica in Albis (aliis Moguntiæ) in Assumptione Mariæ, an. 1198 diademate cum benedictione solenni accepto, uncti, & coronati. Philippus ergo Mosellæ ripis obsessis, inde in Col. diocœsim excurrit, Regiomagium, Bonnam aliaque loca in reditu etiam Andernacum exussit, multaque damna intulit, an. 1200 Innocentius III. Pontifex Romanus Ottoni imperium prorogavit, Philippo abrogavit. Otto igitur ut Adolphum hunc Altenanum Colonienſem Archiepiscopum, de quo sermo, suo obsequio arctius illigaret, jura nonnulla Ecclesiæ Colonienſi confirmavit, consuetudinem verò & usum fisci regii, de hæreditate Ecclesiasticorum relictâ, à proximis agnatis adeunda sustulit, & Ducatus Angariæ atque V Vestphaliæ Philippo Heinsbergio, à Barbarossa devicto Henrico Leone Duce Saxoniæ, anno 11⁹⁰ donatos stabilivit, præsentibus Episcopis Argentinensis Theodoro Traject. Diethm. Mind. Bernhardus Pad, Heriberto Abbate V Verthunensi Ludolpho majoris templi Col. V done

Dec.

Dec. Brunone Bonnenſi Theod. Gereonis Gerh. Santenſi, Theod. SS. Apoſtolorum Engelb. S. Georgii præpoſitis, Herm. ChoriEpiſcopo Rudolpho ſcholaſtico, ſæcularibus verò principibus, Mechtilde Brab. Henr. Luneb. Ducibus, Bald. Flādriæ Ottone Geldriæ, Arnholdo Cliviæ, VVilh. Juliæ, Theod. Holl. Godefrido Arnſberg. Herm. Lipp. Godef. de Epſtein, Herm. Waldecciæ, God. Pyrmōtis, Henr. Seinæ, Simone Tecklenb. VValfr. Rheni, Henrico Cuickio, Alb. Eberſt, Henr. Keſſel, Arnh. Alt. & Adolpho Montium Comitibus Gerh. Volmenſt. Hen. Hoeckeſwagio aliiſque Dynaſtis, quos in Arnholdo III. Comite Clivio recenſuimus.

Contra Suevus anno 1201 tranſmiſſo Moſella in ditionem Col. validiſſima movit manu, Col. Agrippinam obſedit quidem, ſed non cœpit, graviter tamen eam afflixit, quod Adolpho huic noſtro Epiſcopo, aliiſq; principib⁹ rumpendę Ottoni fidei non minimam occaſionem præbuit, an. 1204 ſubſecutæ. Cum autem Otto juramentum ſedi Apoſtolicæ Noveſii præſtaret, Philippus an. 1203 ab eodem excommunicatus eſt; nihilominus tamen an. 1204 Saxoniam ingreſſus, ſed ab Ottone obvio repulſus Thuringiā vaſtare cœpit: in qua & Bohemum ſuppetias ferentem in fugam conjecit, & Hermannum Landg. ſibi ſupplicem fecit, tandem fortunam ereſcentem proſecutus Col. diœceſim invaſit, Præſulemq; Adolphum Altenanum ferro auroq; expugnavit; Noveſium ante occupatum eidem reddidit. Hic igitur ipſum invitis Colonienſibus in feſto Epiphaniæ Domini, anno 1205 ægro Agrippinæ Ottone, apud aquas Graneas cum conjuge coronavit, ob id, ab Innocentio III. Pontifice in ipſius locum Brunone nepote ſubſtituto, exauthoratus, ſed à Philippo Noveſio capto reſtitutus, Ottone denique auxilio Henrici Limburgii apud caſtrum VVaſſenbergēſe triumphato, & Brunone capto multi magnates ſchiſmatis ſopiendi ſtudio eò rem deduxerunt, ut amico colloquio controverſia definiretur: quo factū ut reliquo quo Suevus ſuperſtes fuit biennio, prior quidē crudelitas deſævierit, pax tamen haud confirmata fuerit. Nam Otto in Angliam ad Regem avunculum Henricum II. profectus, Colonienſes verò à Philippo intercedēte Brabantino Bodobrigæ recepti ſunt: Adolpho autem Altenano & Brunone Seinenſi ſimul Epiſcopatu Col. exutis, & animi corporiſque vinculis ſordeſcentibus Eccleſia Col. gubernatore ſuo deſtituta, incertis fluctib⁹ ferebatur, nec annus ſubſequens 1207 huic malo remedium attulit. Nam Philippus in Sinzigienſi Imperii oppido ſupra Regiomagium ad Rhenum ſito Comitia quidem celebravit, precibuſque invitatus Colonienſium in pervigilio Paſchatos Agrippinam venit, & novem ibidem dies commoratus, immodicis vectigalium exactionibus, & injuſta moneta Imperii ordinibus interdixit, nuper etiam adeo datam fidem Col. conſtabilivit, verum in negotio Adolphi & Brunonis nihil actum, niſi quod Pontifex pro Brunone pronuntiavit, qui in commemoratione animarum in caſtro Blanckenbergenſi mortuus Coloniæ in Eccleſia metropolitana inhumatus eſt.

Eidem Theodoricus non Montanus, ut communiter ab omnibus ferme appellatur, sed Heinsbergius Godefridi I. filius Henrici frater anno 1208 successit, ab Ottone confirmatus, vetera cum Brabanto amicitiæ fœdera renovavit.

Idem Otto Imp. magno cum apparatu Italiam ingressus 3 Non. Octobris ab Innocentio III. Papa consecratus est, non longè post tamen ob regnum Siciliæ, quod patrimonium Petri vocant, anno 1212 ab eodem excommunicatus: & cum illo Theodoricus hic Heinsbergius quod sibi adhæret, cui an. 1214 mortuo post controversiam multam anno 1216 Engelbertus Montanus, & isti à Friderico Isenburgio summo scelere, ut dicemus, interempto. An. 1225 Henricus à Molenarck successerunt.

Sed ab Archiepiscopis Col. ad Comites Marcanos revertamur, ex quibus Arnholdus solus familiam illustrem fœcundè propagavit. Altenanus Comes ejus nominis I. in ordine vero 4. Nam ducta Margaretha Henrici Limburgensis Ducis filia Eberhardum & Fridericum præter Episcopos Theod. Monasterienſem præpositum Col. Engelbert. Osnab. præpositum S. Georgii ibidem Philippum Can. & Thesaurarium Col. Brunonem designatum præpositum Traject. Godefridum & Wilhelmum genuit: Ipsius an. 1189 cum Adolpho Montium Comite Henrico Duce Limburgio Henrico Hueckeswagio, Henrico Kesselio in fœderis tabulis inter Adolphum Marcanum Archipræsulem Col. & Windekindum Abbatẽ Corbeiensem initis mentio: Eberhardus ejus nominis II. patriam arcem Altenanam accepit, Comes ejus factus in ordine 5. & ex Elisabetha Hannonia Adolphum genuit de quo postea.

Fridericus demisso Clericatu, & filiâ Walrami Ducis Limburgẽsis uxore ductâ, castrorum Novipontis Nieubrugh ad Lupiam, & Isenburgici ad Ruram Dominium à patre accepit.

Vbi tamen notandum Isenburgicum hoc castrum aliud esse ab Isenburgico ad Loganum vulgò Lanum sito: Illius enim Conditor est Adolphus Marcanus Episcopus Col. ut supra annotavimus, qui illud infra Hatnegam in vertice montis juxta Ruram fluvium ædificavit, inque feudum fratri Arnholdo concessit. Hoc vero florentissimæ Isenburgiorum, & Budingensium Comitum familiæ circa Francofurtum superioris Germaniç Emporium ad Mœnum domicilium est; Novi pontis autem castrum in parochia Heringensi in præfectura Hammonensi ad amnẽ Lupiam excitatũ fuit, utrumq; vero ob parricidiũ Friderici dejectume, orumq; loco Limburgium ad Lenam, itemq; Altuni ut à Limburgio ad Lanum sive Loganum in Westerwaldia sito, distinguatur ab Henrico Duce Limburgio ad Mosam cum Prætorio Baldeinnew, quasi dicas cito novum, & aliud anno 1227 structum: unde Comitibus Limburgiis Bronchorstanis, Stirumiis, Bruchiis, familiæ origo, de qua in Principibus Montanis. Ex radicibus verò castri Novipontani anno 1226 Hammona condita. Ex Isenburgico Blanckensteinium, anno 1227 ad confluentes Ruræ & Torrentis Muttenbecii surrexit.

Cæterum

Cæterum omnes hos Altenanos Comites quia ex Montanis prognati sunt, odis in ipsorum historia prosecutus est Petrus Streithagenus, quo lectorem remittimus, adeoque hic ab Adolpho Altenano primo Marcano Comite dicto ordimur.

Antequam verò de ipso tanquam Eberhardi II. filio historiam texamus, prius hic de bello ob parricidium jam memoratum gesto aliquid dicendum est.

Cum enim Heinricus à Molenarck Archiepiscopus Engelberti Montani Archiepiscopi Col. anno 1225 successor, parricidam Fridericum Herburgium post scelus admissum profugum, coram Friderico Imp. tum in comitiis Noricis agente accusasset; capitalemque in ipsum sententiam, cujus executio sibi demandata impetrasset, fratribus ejus, binis Monasterienſi, & Osnab. Episcopatibus privatis, quibus tamen postea restituti sunt, ditionem Marcanam ingressus, castra Friderici Avipontanum & Isenburgium diruit filios Theod. & Fridericum ditione privavit, patrem ex fuga retractum anno sequenti 1226 Coloniæ in rotam agi jussit. Huic Heinricus Limburgi ad Mosam Dux Comesque Montensis, affinis Friderici (nam uxor ejus Margaretha soror sua erat) se opposuit, castro alio ad Lenam pro nepotibus structo, ut modo indigitavimus; militeque scripto cum eo sicut etiam Steinfurtensis & Lippiensis Comitum auxilio, apud Siesecke in Hedinchusen castra fixit, pagosque Edinchovium, Fledertchium & Boenenium ad Tycosam fluvium vastavit. Cum verò comitatum Altenanum Adolphi Comitis transmissa Rura invadere tentaret, ab ipso Consilio Ludolphi à Boenen præfecti prohibitus est. Postmodum iterum Ruram transgressus, ut ad Lupiam apud Hammonam pagos, Hasene vel Heze, Heidtfeld, Daesbeck depopulatus est. Cui iterum Adolphus militem suum in duas acies divisum opposuit: quarum una in VVredenbrugh fæliciter cum Limburgiis eorumque sociis conflixit, & Vretoriam obtinuit. Altera Steinfurtum versus, & Osnabrugam cum iisdem decertavit. Eosdem Limburgios tertio Comitatum Marcanum invadentes idem quoque Adolphus in nemore lure latitantes, & Arnholdi Knop venatoris, & postmodum janitoris Altenani proditione detectos cum fratribus Arnholdo, Hermanno & Theodorico, Consilio jam nominati Ludolphi à Boenen in vado fluvii Ruræ superavit: Idem denique Adolphus Limburgicos, nec dum cessantes & Swertam succendentes ad Ruram in **Vitlgeist** debellavit, atque sic ditionem Friderici occupavit, suique juris fecit, inque ea Ludolphi à Boenen præfecti sui fidelis opera usque, ut supra diximus, Hammonam inter duos fluvios, Lupiam & Aham ex ruderibus castri Novipontani destructi die cinerum, anno 1226 ædificare cœpit: Castrum etiam Blanckensteinium ex Isenburgio diruto die Panoratii, anno 1227 struxit. Ad quæ loca Friderici supplicio affecti, subditi exules perfugium habuerunt. Idem Boenenius Domino suo castrum de Marck, à quodam Rabodone de Marc emptum acquisivit; unde

Comites etiam non Altenani amplius (quod nomen Fridericus parricidio suo contaminaverat) sed Marcani Comites deinceps appellati, iisdemque cum familiâ hac nobilissima armis gentilitiis, trabibus nempe duabus bicoloribus tesseris, distinctis, usi sunt. Exemplum vero, inquit Levoldus à Northoff, hic Ludolphus à Boenen omnibus fidelibus ministris reliquit, ut non tam suum quam Dominorum suorum emolumentum & commodum quærant, sicut ille totis 25 annis quibus comitatum Altenanum administravit, deque omnibus rationem accuratam reddidit, nil nisi arcem in **alden Medeler**/ sibi posterisque suis, Comiti verò Adolpho omnia acquisivit. Quia vero bellum hoc civile Altenanum sæpius recruduit, illud tandem Conradus Hochstedenus, qui in Archiepiscopatu Colon. Henricum à Molenarck secutus est, anno 1247 ita composuit, ut Henricus Limburgius ejusque nepos Theodoricus, Drone, Swerte villas, Advocatiamque Vnnensem, unde immunitas hujus oppidi, quasi dicas **vnsy**/ id est, Camenis **tho nahe**/ nec non jurisdictionem & villam **Hoffburghem**/ templique ejus collationem itemque medietatem in **Halveren** & **Kirspen**/ aliaque bona cum Burgmannis in Altena & Blanckenstein, atq; Advocatia Essendiensi, Adolpho Marcano cederent, ab Archiepiscopo in feudum recognita, sibi verò Comitatum Limburgium ad Lenam retinerent, qui ob id provinciæ Montanæ feudum hodieque est.

Adolphi. Adolphus igitur Marcanus sub Friderico II. Philippi filio Barbarossæ nepote Comes Marcæ VVestphalicæ in ordine 6. ejus nominis verò quartus, ut ad illum redeamus, bello hoc Comitatum suum egregiè auxit. Idem apud Herschedenum pagum in monte **Goerschenbrugh** contra Dominum de **Wildenbergh**/ & plures alios nobiles qui Comitatum ejus invaserant fortiter pugnando de iis victoriam reportavit.

Conjugii. Ex Margaretha verò Geldrâ Ottonis filia Gerhardi sorore 4 filios Eberhardum, Engelberrum, Gerhardum & Ottonem genuit.

Liberi. Eberhardus major natu in Ludo equestri Novesiensi an. 1243 occubuit, qui idcirco parente Adolpho anno 1249 in Vigilia SS. Petri & Pauli 28 Junii defuncto, fratri Engelberto Comitatum reliquit. Gerhardus Dominus de Recken ad Episcopatum Monasterienſem promotus, & in ordine Episcoporum 31 factus diocœsim laudabiliter administravit. Collegium Borckense fundavit, & Ecclesiæ suæ Dynastiam Horstmariensem tribus à metropoli milliaribus sitam acquisivit, cum Bernhardus ejus dominus in bello Imperatorum Ottonis IV. & Friderici II. cum Gerhardo Randoradio, anno 1214 captus esset. Gerhardus Episcopus anno 1277 altera Laurentii obiit in Choro ante majus altare in Ecclesia Metropolitana conditus. Otto Ecclesiæ Metropolitanæ Leodiensis Canonicus, & collegii S. Mariæ Vltrajecti præpositus fuit, sed his beneficiis abdicatis, & ductâ uxore Irmgarde ab Holt Rudolphi Meinhoeveliæ, Dynastiæ VVestphalicæ non procul ab oppidulo

Gerhardus Marcanus Episcopus Monasteriensis.

Otto Marcanus conjugatus.

VVol-

VVolbeccio sitæ, Domini Vidua à fratre Engelberto partem hæreditatis paternæ petiit, quos ob id dissidentes Theodoricus Clivius,& Adolphus VValdecianus,ita reconciliarunt,ut Ottoni Altenanâ,& Blanckensteniâ præfecturis relictis, Engelbertus residuam Comitatus partem integram obtineret, quæ duæ tamen præfecturæ, Ottone ex vidua hac nullos hæredes relinquente, & anno 1262 in Vigilia Assumptionis Mariæ vivis excedente, ad Engelbertum cum integro Comitatu redierunt: notandum vero hic Ludolphum Holtenum Episcopum Monasterienſem Dynastas hos Meinhovelios ob ablata pauperculis armenta ditione sua ejecisse, adeoque Dynastiam hanc familiæ nobilissimæ à Munster ita dictæ cessisse,qui Tylliam arcem in saltu Clivio eidem postea adjecerunt.

Adolpho vir ille nobilis in Clivia ita musâ suâ parentavit:

Altena qui quondam mavis nunc Marca vocari
Et quæ causa fuit nominis æqua patet.
Præsulis occisi meruit scelus Engelberti
Et secum exstinctus totum abolere nepos.
Multa tibi Authoris pugnat proscripta catena
Sed nex immeritam fœda momordit humum.
Blanckensteinia & Hamma vagis exstructa Colonis
Reliquias muris passa coire tuis.

Engelbertus Comes Marcanus sub Conrado,Henrico VI. multisque aliis Imperii Rivalibus in ordine 7 ex fortitudine justitia, & misericordia celebris,duas uxores habuit; primam Cunegundem, filiam Comitis Schawenburgici, quæ illi Eberhardum III,in Comitatu successorem, & 3. filias Agnetam matrem Adolphi Montium Comitis Henrici vero montani Windeccіæ Domini uxorem, Comites item Tecklaburgensem,& Zegenhainensem procreavit. Mortuâ hâc Cunigunde quia tutor erat Comitatus Tecklaburgici,sede Osnabruggensis Ecclesiæ vacante Episcopus postulatur, quam dignitatem recusavit. Præfectus ejus Bernhardus Bitter, qui prius Gerwini Rinkradii equitis filiam rapuerat, & fratri Engelberti tradiderat, cum oppidanos etiam quosdam Susatenses cœpisset, Engelbertus Falckenburgius Archiepiscopus Colonienſis bellum ei indixit, et terram Marckensem ingressus militibusque Essendiæ, & Iserburgi collocatis oppidum Hatnegum incendit, sed à Blanckensteiniis præsidiariis in Capella multis suorum desideratis repressus est, Engelberto victoriam ad Cattorum usque vicum (Kettwigh) prosequente, contra Archiepiscopus recollectis viribus Vnnam oppugnat, capit, & comburit, Bernhardum quoque Bitterum præfectum in agro Susatensi intercipit, & occidit, ut Theodoricus Vollenspeit, idcirco Camenam incendere, & conflagrare,ne hostis ibi hospitare posset, coactus fuerit. Tandem per Theodoricum Clivium, & Gerhardum Julium pace initâ, Engelberto,Elisabetha,Falckenburgia neptis Archiepiscopi,anno 1262 desponsatur, ex qua Gerhardum & uxorem Florentii Mechliniæ

Engelberti coniugium duplex.

1.

2.

Domini Sophiæ, primi Geldriæ Ducis Reinholdi uxoris, matrem, genuit; ut verò hoc addamus, in bello civili Coloniēsi inter Archiepiscopum Engelbertum Falckenbergium, & civitatem ab anno 1262 modo dicto gesto, cum VVilhelmus Juliæ Comes urbi, Episcopo frater Theodoricus Falckenburgius VValramus Limburgius, Theodoricus Clivius, & Theodoricus Heinsbergius patrocinarentur, eodemque anno 1262 per domum muro adhærentem civitatem scalis admotis occupare niterentur, à civibus & VVilhelmo Julio aditu prohibito Theodoricus Falckenburgius occisus, VValramus Limburgicus captus est, Theodoricus Clivensis retrocessit: tandem novo prælio anno 1267 initio Archiepiscopus in potestatem VVilhelmi Julii cum Theodorico Clivio pervenit, qui eum Nideccam abductum in carcere tantisper detinuit, dum morte ex illo liberaretur. Theodoricum vero Clivium nata sua Elisabethæ filiorum 3. Gerhardo, in matrimonium promissa dimisit. Porro Engelbertus noster, ut res ipsius gestas persequamur municipium Mengedenum munitum obsedit & destruxit. Tandemque anno 1277 circa festum omnium SS. in Comitatum Tecklaburgi. cum negotiorum causa iterum tendens, ab Hermanno de Loen cum complicibus ex insidiis invasus, inflictis multis vulneribus ad castrum **Bredevort** deductus est, dum non tàm ex vulnerum atrocitate, quàm animi dolore, ipsa B. Othmari, seu 5 post festum S. Martini die anno eodem 1277 exspiraret, Cappenbergi conditus, cui idcirco Musa rectè acclamat:

Armis ingenioque patens zelator & æqui
Vis & desidiæ tumba laboris honos,
Difficiles superas lites, uxorius Otto
Prima tibi frater, bella secunda vota.
Et Falckenbergo Præsul de sanguine cretus
In Marcam duxit percutiente pede
Felix ense thoroque domas, prædonum infælix
Præda peris! Eheu quæ sine nube dies!

Eberhardus ejus nominis III. Comes Marcanus in ordine 8. Patris Engelberti successor in juventute ob egregias animi corporisque dotes à Rudolpho I. Habsburgico Imperatore, sub quo sicut etiam, Adolpho Nassovio, & Alberto Austrio Rudolphi filio Marcæ VVestphalicæ præfuit, in aulam assumptus, vivente adhuc Patre Irmgárdem Adolphi Comitis Montium filiam, & Henrici atque VValrami Ducum Limburgensium neptem, Adolphi vero & VVilhelmi Comitum Montium, nec non Conradi Episcopi Monasterienſis, & Henrici VVindeccii fratrum sororem auspicato conjugio sibi copulavit: ex quâ nati Engelbertus Patris in Comitatu Marcano successor: deinde Adolphus anno 1288 in lucem editus, qui primum satis juvenis anno nimirum Christi 1298 ætatis decimo Præpositus S. Martini VVormacienſis: deinde anno 1310 ætatis vigesimo secundo, summæ ædis Metropolitanæ Col. Canonicus, demum anno 1312 Theobaldo Barensi Romæ in conspira-

Eberhardi nominum.

tione

tione adversus Henricum VII. Lutzenburgicum Imperatorem 17 Kal. Junii interempto; Leodiensis Episcopus; de quo Joannes Placentinus Trudonensis in Catalogo Antistitum Leodiensium scribit, quod licet vir fuerit ad optima natus, horrenda tamen semper seque indigna à civibus sustinere debuerit, cui idcirco frater Engelbertus Marchiæ, Adolphus Montium, & Reinholdus Geldriæ Comites patrocinati, victoriâ insigni adversus rebelles cives, anno 1328 potiti sunt. Hic claremonti anno 1344 mortuus, Leodii in ædè S. Lamberti sive summo templo conditus jacet.

Ex eadem Irmgarde Montana quoque prodierunt Catharina vestalis Frundenbergica Conradus atque Cunegundis gemelli, quibus circa festum purificationis Mariæ, anno 1293 editis mater paulo post nempè feria ante Pascha tertia exspiravit Frondenbergæ ipsâ Vigiliâ ejusdem festi tumulata.

Conrado Dynastia Hoerdensis attributa est, qui ductâ uxore, quia sterilis nullos liberos ei genuit, ibidem Monasterium Vestalium S. Claræ, anno 1340 constituit in quo ambo conjuges inhumati sunt.

Cunigundis Theodorico III. Heinsbergæ, & Blanckenbergæ Domino, & post mortem Ludovici ejus avunculi ipsa nocte S. Vincentii, anno 1336 defuncti, refragante tamen Ecclesia Leodiensi, Comiti Lossensi anno 1320 nupsit.

Rei gestæ: Vindicta necis paternæ.

Porrò Eberhardus Marcanus, post obitum patris anno sequente castrum **Bredevort** / in quo corpus ejus exanime aromatibus conditum asservabatur, obsedit, & redditum in **Cappenbergh** honorificè sepelivit; obsidionem verò tam diù continuavit, donec præsidiarii, castro nocturni temporis silentio relicto, clam effugerunt, atque ita captum, tandem consensu Ottonis Rietterbergici Episcopi Monasterienses sibi retinuit.

Bellum Recklinhusium.

Cum sororio Adolpho Montano adversus Colonienses, imprimis Theodoricum **Rigge** Recklinkhusium in **Ahuilz** præfectum, anno 1287 Dominica festum Nicolai præcedente, Camenâ movens pugnavit, castrumque expugnavit, Raffenbergam arcem vicinam, sed sibi infestam pridie Assumptionis Mariæ anno 1287, quando Hammonæ quoque bona pars conflagravit, superavit.

Bellum VVorringense.

Bello etiam VVorringen, quod Archiepiscopus Colonienses Siegfridus de **Westerborgh** contra Alberti Imperatoris edictum de abrogandis teloniis, & immunitatem civium Colonienses, telonio indebitè imposito VVorringam instaurasset, cum Joanne Duce Brabantiæ, Adolpho Comite Montano, qui Limburgensem Ducatum Brabantiæ vendiderat (Reinholdus licet Geldrus eum ob matrem, unicam Ducis postremi filiam sibi deberi existimaret) & Comites Lutzelburgios Henricum, VValramum, & Balduinum assecias habebat, interfuit, in quo bello anno 1288 in die S. Bonifacii pugna propè **Brulwpler** initâ, tres modo dicti comites Lutzelburgii, & frater Archiepiscopi Henricus de **Westerborgh** Equestris dignitatis vir præcipuus cum multis aliis militibus, inter quos

etiam

etiam Rutgerus Vretel/ Swanebolius dictus, Marchicus nobilis occubuerunt, castrum VVorringense deditum, Dux Brabantiæ Reinholdum Geldrum, comes Montanus Archiepiscopum cœpere; quorum ille in arce Valtersen detentus pro liberatione castrum & Ducatum Limburgensem Brabantino cessit: hic verò in castrum Novimontium Newenbergh ab Adolpho Montano abductus, pro λύτρῳ Waldenberg/ Rodenberg/ Wendell/ Aspel/ Wiede/ arcibus & oppidis oppignoratis dimissus est, sed Adolphum dolo iterum intercepit. Eodem anno Eberhardus Marcanus urbem VVerlam obsedit, & ad deditionem compulit, castra etiam Volmensteinium & Isenburgicum expugnavit, & diruit. Anno 1291 Ottoni Tecklenburgio nepoti contra Ludovicum Ravensburgium Episcopum Osnabrugensem in ordine 33 Colonienses, Paderbornenses, Mindenses Episcoporum auxiliis subnixum suppetias tulit. Anno 1292 cum VValeramo Julio capto in pugna VVorringēsi præsule Col. Angrivariam, & VVestphaliā vastavit, an. 1293 cum Adolpho Nassovio Imperatore Misniam ingressus ab eo præses istius provinciæ constitutus est, patriam Marcanam interea Simone Comite Lippiensi, sub quo Lemgoviæ Neapolis condita, Bernhardi filio, & Hermanni nepote regente & defendente. Redux è Misnia Eberhardus anno 1295. Johannis Brab. Johannis in ludo equestri Barrensi, anno eodem, die Inventionis S. Crucis mortui filii auxilio, oppidum Recklinghusium iterata obsidione cinxit, & postquam deditum esset, muros & fossas æquavit. Cum eodem Brabantinus VVassenburgium castrum, anno eodem inter Pascha & Pentecosten occupavit. Eberhardus verò Bernhardum Bitterum equitem, filię Gerwini Rinckradii fratri suo adductæ raptorem severè cum complicibus facinoris hujus ultus est, omnibus ditione sua exactis eodem anno 1295.

Expugnatio VVerlæ.
Volmensteinii.
Isenburgii.
Bellum Osnabrugēse.
Eberhardus Proprinceps Misniæ.
Simon Lippiensis gubernator Marcanus.
Expugnatio Recklinghusii.

Anno 1296 per Rutgerum de Altena Dapiferum castrum VVildenbergicum ab Hunoldo de Plettenbergh emit, commeatu instruxit, & ut illud ab incursionibus Colonienſium in Attendorn & Schnellenbergh/ imprimis adversus Joannem de Plettenbergh VVestphaliæ Mareschalcum defenderet, præsidiarios cum Domino in Bielstein/ numerata iis pecuniâ in suos partes pertraxit. Anno 1297 post Siegfridum VVesterburgium Archiepiscopum Colonienſem (qui salvo conductu à Rutgero ab Altena impetrato prius consanguineam suam filiam de Ruttbergh VVilhelmo Arensbergico Ludovici Comitis primogenito uxorem tradiderat) defunctum & Bonnæ sepultum Eberhardus Marcanus VViegboldum de Holte Osnabruggensem Dynastam (cujus castrum vix quinto lapide ab urbe metropoli, in qua ipsi quoque diu noctuque porta lignea dicta patuit, distat, ab Episcopo posteà Osnabrugensi ob Mercatores Francofurtenses ab Egberto & Engelberto fratribus interceptos, dirutum) cum VValramo Juliacensi Novesii, Coloniâ adhuc excommunicata, in Archiepiscopum promovit; & eodem quoque anno Regi Angliæ Eduardo & Guidoni Comiti Flandriæ

Emptio castri VVoldenbergici.
VViegboldus Holtenus Archipræsul. Col.
Bellum Gallicanū.

Flandriæ contra regem Galliæ, cum Comite VValdecciano suppetias tulit. Eodem anno 1297 Dominium Freimörsheimium ab Henrico VVildenbergio Abbate VVerthinense in feudum consecutus est. Anno 1298 ipsa conversionis Pauli nuptias exquisitissimas filio primogenito Engelberto cum Mechtilde Aræburgiâ copulato magna pompa Hammonæ celebravit. Eodem anno 1298 præposituram VVormatiensem filio Adolpho impetravit. Anno 1299 Dominicâ Reminiscere in Eberhardum à Diest Episcopum Monasterienſem ob cognatum suum Ottonem Comitem Tecklaburgensem movit, ubi urbs Dulmona ne combureretur, pecuniâ ab oppidanis redempta est. Anno 1300 ob suppetias à Sobbone, Archiepiscopo Colonienſi in castro Limburgensi præstitas, turrim ejus in VVerdena super Ruram fluvium destruxit, & castro Limburgensi aliud in monte Erk dicto opposuit, quod tamen Limburgensi Marcanis tradito postea dirutum est. Eodem anno mense Augusto comes Lutzenburgensis Henricus Treverim oppugnat, cui filius Eberhardi primogenitus Engelbertus patre Coloniæ ægrotante suppetias tulit, Albertumque Austrium Imperatorem VVilhelmo Hollando interfecto; in acquirendo Comitatu Neomagum usque progressum, adjuvit, qui tamen renitente VVilhelmo Hannonio retrocedere coactus est. Et cum Archiepiscopis Moguntini, Trevero, & Colonienſi, Comiti Palatino Ducique Bavariæ, idem Imp. Albertus ob telonia Rheni litem moveret, Eberhardus VValramum Comitem Juliacensem, & Colonienses cives ad suas partes pertraxit; pace verò cum Archiepiscopo Colonienſi & Sobbone facta illis castri Waldenbergici redemptionem pro 3000 marcis indulsit.

Eberhardi filiorū Engelberti nuptiæ.

Adolphi status Ecclesiasticus.

Bellum Monasterienſe.

Suppetiæ Henrico Lutzēburgio præstitæ.

Iterūq; Alberto Austriæ Imp.

Anno 1301 ante Philippi & Jacobi festum feriâ 6. mortuo Eberhardo Episcopo Monasterienſe; etsi Henricum domo VVildenbergium, VVerthinenſem Abbatem in ordine 41, Eberhardus noster successorem in defuncti locum eligendum commendasset, Otto tamen Rietbergius ei præfertur, quo eodem anno 1301 die S. Servatii Rurgerus de Altena non tantum castrum Woldenbergh sua pecuniâ nempe 100 marcis ab Hunoldo de Plettenbergh redemptum munivit, sed etiam oppidum Neostadium ædificare & muris cingere cœpit, & postmodum pridie Reminiscere castrum Swartzenburgicum construxit, & turri forti eductâ firmavit, & de omnibus his anno 1307 rationem Comiti Eberhardo reddidit, quæ postea Gerhardus de Plettenbergh / anno 1353 continuavit, & perfecit arce comitis Novali Raedia dicta cum oppido ei contiguo, & castro Clusensteinio adjectis.

Otto Rietbergius Episcopus Monaſt.

Munitio castri Woldenburgici.

Structura Neostadii oppidi.

Swartzenburgici castri.

Anno eodem 1301 in Julio cum castrum Rodenbergium Eberhardus noster, Lechnichium verò Comes Julius VValramus obsiderent, Eberhardi primogenitus filius Engelbertus VValramo adfuit, sicut etiam in pugna nemoris villani victoriam pater & filius contra Archiepiscopum obtinuerunt, filius verò solus, cum præfecto Hammonensi Bertholdo Tuelio prope Hovestadium castrū contra

Suppetiæ Walramo Iulio præstitæ.

contra Hunoldum Plettenbergium ejus præfectum pugnans, eodem anno victor receſſit. Porrò quia Eberhardus Comes caſtrum **Bredevoyt** captum, conſenſu Ottonis Ritterbergici Epiſcopi Monaſterienſis, ut ſupra diximus, ſibi retinebat, anno 1303 poſt feſtum Remigii VViegboldus de **Holte** Archiepiſcopus Colonienſis, anno 1298 ex Decano Colonienſi, & præpoſito aquis-granenſi electus, cujus ſoror Hermanni de **Lock** Bredevordę Domini uxor erat, exercitum colligit, & Dorſtam uſque progreſſus tandem inducias cum Eberhardo paciſcitur, qui deinde arcem Hoveſtadienſem poſt Epiphaniam obſedit & occupavit: ob id ArchiEpiſcopus Landgravio Haſſiæ, & Henrico Naſſovio ſociis per Ludolphum de **Dpcke** Canonicum Colonienſem ſuumque in partibus trans Rhenanis Vicarium, opera Suſatenſium oppidum Vnnenſe ſuccędit, caſtrum Hoeveſtadium recuperavit ac inſtauravit, contra Eberhardus Suſatum obſedit. Mortuo autem Suſati, anno 1303, ibidemque condito VViegboldo Holteno Archiepiſcopo, & Henrico Vierneburgico, anno 1304 ſuffecto, bellum redintegrat Eberhardus, & Dulmonam capit, qua capta Hermannus de **Ludinckhuſen**/qui ditione illâ, cujus metropolis Dulmona, potiebatur, in feudum ei totam tradit. Anno 1305 Eberhardus à Reinholdo ſeniore Geldriæ Comite ad tutelam Comitatus vocatus, eam adminiſtravit, & anno 1308 die B. Odiliæ mortuus, in **Frundenbergh** tumulatus eſt, cui Parnaſſus ita aſſurgit:

Ob caſtrum Bredevordenſe bellum cum Archipræſule Col.

Iam patrios ultus cineres, patrem omnia ſpirans
Et formoſa toga eſt, & tibi forte ſagum
Te Monaſterium, te Antiſtes & Agrippinas
Ne ſpoliis tentent, in ſpolio eſſe velint.
Fœnore non defecta ſuo quæ uſura malorum eſt
Caſtrorum urbana & multa ruina monet
Cæſariis cum armis contraria in arma reſiſtis
Naſſovioque jubes ſubdere colla jugo.
Interea exubiis vis rurſum averſaque rurſum
Atque monaſterio inviſa quietę quies.
Illi iterum inſultant cæſi, cum colligit arma
Diſſipat, & funus Præſulis ira parit.

Engelbertus II. Engelbertus nominis ſecundus, ſub Henrico VII. Lutzenburgico, & Ludovico Bavaro ejuſque rivali Friderico Auſtriaco Impp, Comes Marcanus in ordine nonus, patre adhuc vivo nempe an. 1298 die converſionis Pauli, cum Mechtilde Joannis Arædurgii filia, & Gerhardi filii ex ſorore nepte Hammonæ magna ſolennitate celebratis ex ea liberos, Adolphum ſucceſſorem, Engelbertum, poſt patruum Adolphum, anno 1344 Leodienſem Epiſcopum, deinde poſt reſignationem Adolphi nepotis, anno 1364 Sabbathi poſt Bartholomæi feſtum Colonienſem Archiepiſcopum, & Eberhardum Colonienſem, & Leodienſem Canonicum ſuſtulit. Hic Enbertus Archiepiſcopus multa ab Andernacenſibus, quod oppidum in Vbiis ſitum, & Ammiano Antenacum dictum, anno

Ejus liberi.

Adolphus.

Engelbertus Epiſcopus.

Chriſti

Christi 1120. muris cinctum perpessus telonium indè Lintzium transtulit, & ad coërcendos subditos arcem Andernacensem construxit, Zulpetum à Iuliæ Duce redemit, & ætate atq; laboribus fractus Cunonem Falcosteinium Archipræsulem Trevirensem Vicarium constituit. Ei 21. Augusti anno 1368. Sabbathi post Bartholomæi defuncto Fridericus Saerwerdanus, Cunonis ex sorore nepos, successit, cum prius tamen usque ad annum 1371. Cuno Trevir Colonien-sem diœcesin administrasset. Engelberti hujus, Archiepiscopi, frater Eberhardus, Colonien-si, & Leodien-si canonicatibus relictis, Mariam Ludovici Comitis Lossen-sis, & novi castelli in Ardenna domini, filiam unicam, & hæredem, uxorem duxit, & cum ea prosapiam Aræburgicam per Eberhardum filium Ducatus Lutzenburgen-sis gubernatorem propagavit, obiit anno 1387. Eberhardus autē à Marcka Aræburgi dominus, ex Maria Franci montana, Johannem à Marcka, Aræburgi & Lumengani dominum genuit, obiit an. 1440. Iohannes vicissim ex Anna Vierneburgica tres filios reliquit, Guilielmum, Eberhardum, & Robertum, à quibus Comites Aræburgici, Lumengani, & Sedanen-ses recta serie descendunt: obiit anno 1469. Quia verò masculina stirps in Roberto interiit, & ad filiam ejus Margaretham successio devoluta est, Lumengana subiit, in qua VVilhelmus qui anno 1485. obiit, ex Iohanna Arschotana Iohannem genuit, qui anno 1526. vivis excessit, relicto ex Margaretha VViedanâ & Ronckelien-si, Iohanne anno 1553. mortuo, qui vicissim ex filia Iohannis Baronis VVassenarien-sis Philippum, & iste denique ex Catharina Theodorici, Comitis Manderscheidii sorore, & hærede Ernestum hodiè superstitem produxit.

Eberhardus unde familia Comitum Araburgen-sium

Ad Engelbertum Marchiæ Comitem revertendo; Is cum Ludovico Ravensburgio, Episcopo Osnabruggen-si (quem corpore Zachæum, animo Iudam Macchabæum Ertwinus in Chronico vocat) anno 1308 suppetiis Tecklenburgii, Iulii, Arnsburgii, VValdecciani, Lonen-sis, Ritbergici, Tremonien-sis Comitum, & Episcopi Monasterien-sis bellum gessit, in quo comite hoc Engelberto Marchico ab equo dejecto, cum ei Episcopi miles incumberet per proprium ministrum lethaliter vulneratus Episcopus victoriam obtinuit, sed ex accepto vulnere triduo post occubuit. Engelbertus vero ubi erure, ex lapsu equi divulso iterumque consolidato convaluisset, diœcesin Osnabruggen-sem denuo ingressus est. Ejus quoque tempore nempe anno 1315. magna annonæ caritas fuit, quæ ex sequenti versu dignoscitur:

Res gesta Engelb. 2. Cum Ludovico Ravensburgico Episcopo Osnabrug.

Vt nullam latent tempus famis, ecce CVCVLLVM.

Porro Engelbertus Castrum Furstenbergium anno 1311. obsedit, expugnavit, & destruxit. Ideo anno 1312. Ludovicus Hassus Episcopus Monasterien-sis, Comitatum Marcanum depopulatus, Furstenbergium restauravit, & anno 1320. castrum Porcesterinum obsedit, sed ab Archiepiscopo Colonien-si, & Comitibus Marca-

Cum Ludovico Hasso Episcopo Monaster.

no, Montano, & Vierneburgio obsidio soluta est. Cumque idem Ludovicus Hassus, Monasterienſis Episcopus, Hammonam tentasset, eique Engelbertus, Geldriæ, Montis, Flandriæ, Hollandiæ, & Artesiæ Comitum, ac Episcoporũ Leodienſis, & Trajectenſis suppetiis subnixus, armis resisteret, præfatus Episcopus Monasterienſis anno 1323. in portâ tractili cum 75. equitibus à civibus captus, neque ab Engelberto dimissus est, donec debitâ sibi summâ se eximeret. Ab ipsis Monasterienſibus vero idem Engelbertus in limitaneis Provinciæ suæ, & Diœcesis Monasterienſis ipsa Petri & Pauli victoriam obtinuit: ipsa Margaretha Episcopales qui Metelenam incenderant multis eorum captis prostravit: Mauritio Oldenburgio contra cives Bremenſes belligeranti, eosque superanti, opem tulit.

Continuatio belli Monaster.

Anno 1317. castrum Strunckedenum obsedit, quod cum Theodoricus Clivius liberare non posset, auxilio à Ludovico Hasso Episcopo Monasterienſi postulato, obsidionem continuavit: sed hic ab Engelberto non acie, sed suorum infidelitate, & ob penuriam commeatus fugatus, aliud propugnaculum, ponte per Lippiam strato, Marcanis oppositum. Ad Hammonam tamen cum 75. armatis, ut supra diximus, captus est, & Engelbertus captivitatis ejus tempore Halterenum & Sedenhorstanum oppida cœpit ac destruxit. Dimissus Comiti Geldriæ Reinholdo iterum bellum movit Ludovicus Episcopus, qui suppetiis Theodorici Clivii Bredevordam aliaque castra occupavit, diœcesin Monasterienſem depopulatus est. Ludovicus Episcopi Osnabruggenſis Godefridi Arnsburgii auxilium imploravit, tandem controversia per Episcopum Ultrajectenſem definitâ, diœcesis Monaster. Episcopo, arx Bredevordt Reinholdo Comiti Geldriæ ipsa Ægidii anno 1324. assignata est. Postea instigante Walramo Iulio, Archiepiscopo Colon. Ludovicus Hassus Monasterienſis Episcopus novam cum Engelberto hoc nostro, Marcano Comite, habuit controversiam, ob quam Adolphus filius ejus primogenitus, bellum cum ipso continuavit, quod tandem Adolphus Montium Comes, cum Wilhelmo Iuliæ Marchione fratre Archiepiscopi anno 1343. composuere.

Adolphus frater Engelberti, Episcopus Leodienſis, ipso interim Castrum Strunckedeno infestante, Ducatum Lutzenburgium invasit, & cum Theodorico Cliviæ, Reinholdo Geldriæ, Adolpho Montium, Wilhelmo Iuliæ Comitibus, civibusque Hoyenſibus, anno 1324. Tongrim obsedit, & de rebellibus civibus ter triumphavit: donec anno 1318. Gallorum Regis moderatione pace factâ, & Engelberto Claremontii anno 1344. mortuo, eidem favore Clementis VI. Pontificis Romani, & Franciæ Regis intercessione Engelbertus ex fratre Adolpho nepos successit, & ipse tanden Archiepiscopus Colonienſis, anno 1364. factus,

Volmenſteinis expugnatio.

Porro Engelbertus, de quo agimus, anno 1324. auspiciis Caroli 4. Bohemiæ Regis, Volmenſteinium obsidione cinxit, illudque captum, ejusdem liberalitate Marchiæ suæ adjecit.

Tandem an. 1326, cum Levoldo à Northof Ephoro suo & filiorum

authore Chronici Marcani, Romã profectus, pro Engelberto filio secundogenito præposituram Bopardiensem, pro Eberhardo tertio filio in Colonienſi & Leodienſi Eccleſiis, Canonicatus ampliſſimos impetravit.

Obiit menſe Julio, die Arnulpho ſacra an. 1328. in Frundenberg Vigilia S. Iacobi Apoſtoli inhumatus; de quo Muſa Poetica viri ejuſdem nobilis Clivii ita canit.

Finitima hoſtiles mitra Mimengardum Oſnabruga,
Illa Hammonam captans, ſed tibi capta prius.
Et Ludovicea Vbiam contemnere iuſſe
Succenſes Aquilas, diruta caſtra dolent.

Adolphus V. ſub Ludovico Bavaro, ejuſque rivali Friderico Auſtrio Impp. Comes Marchiæ X. Patri Engelberto tanquam primogenitus ſuccedens, An. 1331. terram Sanctam adiit, Redux Margaretham unicam Theod. noni Clivorum Comitis filiam & hæredẽ, Dominica Reminiſcere an. 1332. uxorem duxit: Ex qua cum filia Margaretha prodierunt: Engelbertus, Adolphus, & Theodoricus germani fratres: quorum Engelb. & Theodoricus Patri & ſibi ipſis in Comitatu Marcano; Adolphus vero primo Monaſter. dehinc Col. Epiſcopus factus, dignitatibus his abdicatis &, Margaretha Montana, Gerhardi Iulio-Montani filia uxore ducta, avunculo Ioannĩ Clivorum Comiti iſtius proſapiæ 27, & ultimo, an. 1368. in iſta Provincia, fratribus quinetiam filius, & nepotes Clivorum Duces in Comitatu Marcano ſucceſſerunt, adeoq; is auſpicato hoc conjugio Cliviam & Marcanam Provincias copulavit.

An. 1343. & 44. bello inter Walramum Iulium Archiepiſcopum Col. & Godefrid. Comitem Arnsbergium exorto, aliquorum ſuorũ peſſimo uſus conſilio, in gratiam Arnsbergĩ huic adhæſit, & Mendenam occupare tentavit, primo quidem irrito conatu, deinde ſecunda vice muros tranſcendens oppidum cœpit, & depopulatus eſt.

Anno eodem 1344 Colonienſes ditionẽ Reklinghuſiam Comitibus Marcanis vi ereptam ſibi vendicarunt. Contra eos ergo anno 1345. movit. & Rheno tranſgreſſo, Marchiam petituros prohibuit, multis eorum cœſis, ſimul & captis, donec conſilio Ioannis Brabãtiæ, & Wilhelmi primi Iuliæ Ducum, atque Adolphi Montium Comitis, pace inita, à captivis copioſum λύτρον extorſit. In Geldria, quemadmodum etiam avus Eberhardus nomine Reinholdi ultimi Comitis, ſic ille hujus filii Reinholdi primi Ducis natorum rutor fuit, ibidemque ante feſtum Severi anno 1347. defunctus, inde Frundebergam ad majorum tumulum delatus eſt: cui Muſa Clivio-Marcana ita aſſurgit.

Margretam priſco Clivorum ſanguine cretam
Accipis & natis poſthuma regna paras,
Filius Adolphus ſuſcepit Clivica rura,
Cæſaris & populi voce probante Comes.

Engelbertus 3. ſub Carolo 4. & VVenceſlao ejus filio Imp. Co-

Engelb. 3. nati vitæ.

mes Marchiæ VVestphalicæ in ordine XI. primogenitus Adolphi filius an. Christi 1333. Dominica Reminiscere natus, ætatis 17 Christi 1348. regnare cœpit, inter reliquos VVestphaliæ Comites ut potentissimus, ita glorioſissimus, ideoque ejus Mareschalcus à Carolo Imp. constitutus. Annis præfuit 45. sed ex Richarde Iulia Wilhelmi primi Iuliaci Marchionis & Ducis nata, filiam tantum unicam genuit, Margaretham dictam, Philippo Comiti Falckensteinio, anno 1369. matrimonio, eoq; sterili, copulatam, festivitate nuptiali magnâ pompâ Duisburgi celebratâ.

Conjugium

Res gestæ.

Ipse verò ætatis 18, adeoq; regiminis initio, Christi 1349. ludũ Equestrẽ insignem Hammonæ extra portã orientalem instituit, quo ad res domi foriſq; fortiter gestas, ceu proaulio quodam, se præparavit.

In bello Bremensi.

Nam an. 1350. quo lues Epidemia quoq; in eadẽ Hammona cives pene omnes, vix decẽ familiis relictis, absumpsit, Godefrido Arnsbergio Episcopo Bremensi, contra Mauritium Aldenburgium, ibidem summæ ædis Decanum patrocinatus, victoriam ejus adjuvit.

Tremoniẽsi

Sed & contra Godefridum Arnsbergium, Episcopi nepotem, & VVilhelmi filium, Westphaliæ Mareschalcum quidem ante ipsum præfectum, verum eandem vastantem, unaq; contra civitatẽ Tremoniensem Lamberti consilio Arnsbergio suffraganteṁ ann. 1352 pugnavit, militibusq; Comitis fusis & captis dominium Vredenburgium, pro multo ære ipsis extorto, sibi comparavit.

Comitatus Arnsbergicus Ecclesiæ Col. venditus.

Godefridus autem hic Arnsbergius, ut illud hic quoq; addamus, quod ex uxore Anna Clivia nullas haberet proles, & familiæ suæ ultimus esset, integrum Comitatum Arnsb. cum omni jurisdictione & reditibus 25. Augusti an. 1368. Cononi Treviro, Engelberti Marcani Archiepis. Colonienſis ob senectutem summã in Coloniensi Vicario, sibi arce Broel, ejusq; proventibus, cum 10. aureorum millibus ad dies vitæ concessis in usum Ecclesiæ Col. partim vendidit, partim donavit, qui cum Coloniæ an. 1371. diẽ suum obiisset, ibidem quoque in Mariano summæ ædis sacello conditus est.

Engelberti iter sacrũ.

An. 1353. Engelb. noster terram Sanctam adiit, & ipsa vinculorũ Petri an. 1354. redux in Prutenos profectus est. In ejus vero absentia Gerhardus Plettenbergius præfectus Rhadense Clusensteinium & Swartzenbergium castra, cum oppido Neostadiensi construxit, & à Rutgero ab Altena cœpta perfecit.

Promotio fratris Adolphi ad Episcopatũ

An. 1357. cum Ludovicus Hassus Episcopus Monasterienſis è vivis excessisset, Adolphum, fratrẽ in consequendo Episcopatu gnaviter adjuvit: qui eo potitus Archiepiscopat. Colonienſẽ etiam non longe post adeptus est: quam utramque dignitatem tamen, ductâ Margaretha Montana, ut in illo porrò explicabimus, resignavit.

Prosapia Nassovica Marcana juncta.

Ioh. Textor in Chronico Nassov. an 167 German edito.

An. jam memorato 1357. etiam Engelbertus noster, fororis Margarethæ cum Ioanne Nassovio Dillenburgensi, Ottonis ex Adelheide Vianensi filio, desponsatæ, solennitatem nuptialẽ in aula Werthinensi celebravit: Cæterum ex hac Ioannes Adolphũ & Engelb. ejus in Comitatu Nassovio successores, genuit; Engelbertus vero ducta Ioanna Ioannis Bredaensis & Leccani filia, Ioannis Polani

qui

qui An.1351. à Joanne Brabantiæ Duce Baronatum Bredaensem pro 43 Hallingis emit nepte, omnes has Dynastias familiæ Nassovicæ intulit, Pater Ioannes ob uxorem in Comitatum Marcanum non nihil juris prætendit. Eo tamen vivus usus est numquam. Sed tantum, operâ Ioannis Comitis Clivensis pro jure 18 aureorũ millia accepit. Melior enim est, ut habet conjugalis Mappæ Nassovicæ istius Matrimonii Επιγραφή, certa pax quam sperata victoria. Obiit Dillenburgi anno 1390. Engelbertus ejus filius ex hac Ioanna Bredaensi, Ioannem & Henricum vicissim sustulit. An. 1442. Bredæ mortuus. Ioannes ex Maria Hinsbergia inter cæteros Engelbertũ novum, virum strenuum, & primum in familia Nassovia aurei velleris Equitem, Belgicarum Dynastiarum, itemque Ioannem Nassovii Comitatus in Germania superiori, hæredes, reliquit, itidem Bredæ anno 1475. defunctus & conditus. Engelbertus, rebus multis præclarè cum Carolo Burgundo & Maximiliano primo Austrio Imp. ejus genero, gestis, clarissimus. relicto fratre Ioanne successore anno 1504. etiam Bredæ decessit. Ioannes ex Anna Hassa Henricii Landgravii filia, Mechtildis, Ioanni Duci Clivensi nuptæ, sorore, Henricum, qui in Belgicis, & Wilhelmum qui in superioribus Germanicis ditionibus, hæreditatem ab ipso relictam adierunt, edidit. Henrici filium Renatum, Philibertus Chalonius, Princeps Arausionensis, quia sororem suam Claudiam duxerat 1530. in obsidione Florentina sine hæredibus occumbens, post Patrem an. 1516. mortuum, Principatus Arausionensis hæredem dixit. Renatus, ubi in obsidione Landresianaan. 1544. periisset, iterum Wilhemum Nassovium, Wilhelmi filium patruelem, Philippi, Mauritii, & Friderici Henrici patrẽ, ejusdem Principatus hæredem instituit, ipsius vero frater Ioannes superioris Germaniæ dynastias omnes retinuit, & ad filios atque nepotes magno numero derivavit.

Sed à familia Nassovia ad Marcanam unde digressi, revertamur.

In hac porro Engelbertus noster, in bello civili Geldro inter fratres Reinholdum & Eduardum an. 1361. exorto, huic patrocinatus, ab eodem Limarsiam in 5800. scutatorum pignus an. eodem accepit, quod Wilhelmus fratrum ex sorore Maria nepos Juliæ ac Geldriæ Dux, an. 1381. iterum redemit, Reinholdus vero ejus frater, Adolpho primo Clivorum Duce, in pugna saltus Clivii Anno 1397. captus huic pro 10 scutatorum millibus vicissim an. 1406. in pignus tradidit. *Bellum Geldrium fratrum.*

Idem, cum frater ipsius Theodoricus Marcanus, Dinslacensis Dynasta, & Diœcesios Osnabruggensis bis, ut dicemus ñdelis administrator, à Gerhardo Hoyæo Episcopo Mindensi, cum Theodorico & Eberwieno Volmẽsteiniis, in prælio, superati & capti essent, Mindam obsedit, nec discessit, donec fratre cum suis restituto, pax iniretur. *Theodericus Marcanus frater Engelberti secundus.*

An. 1369. contra Fridericum Saerwerdanum, Morsensem Comitem, qui in Archiepiscopatu Col. Engelberto ejus patruo successit, pro civitate Col. belligeravit. Et licet auxiliatores Archie- *Bellum Col.*

piſcopos Moguntinum & Trevirum, Henricum Wolfium Monaſt. Theod. ab Horn. Oſnab. Epiſc. haberet. Werlam tamen cœpit & pagis Lechenichio & Gimnichio incenſis, Botzelarium inſedit, & captum cum locis vicinis Henrici à Munſter, arce Tillana excepta, diruit.

Oppugnatio Droſtiorum.

Contra Hermannum etiam atque Bernhardum Droſtios Equites pugnavit. Quibus cum ſuffragati eſſent Steinfurtenſis, Solmæus & Meerveldicus Dynaſtæ, Ludinchuſus ipſe ex improviſo ab iiſdem obſeſſus fuga elapſus pugnam inſtauravit, pacemque ſibi favorabilem hoſtibus extorſit.

Bellum Monaſter.

Cum vero An. 1370. Ludinchuſium Engelbertus noſter iterum occupaſſet, Florentius Wevelinchovius Monaſt. & Theodoricus ab Horn Oſnab. Epiſcopi Comitatum Marcanum Weſthovium uſq; vaſtarunt, quibus cum reconciliatus Burggravium Strombergium ob tyrannidem excommunicatum oppugnavit.

Simonis Lippienſis vindicatus

Simoni Comiti Lippienſi arcem Rhedanam obſidenti contra Nicolaum Tecklenburgium Rhedæ Dynaſtam adjumento fuit, qui cum Lippienſem cœpiſſet, Theodorumque Volmæſteinium & Bertholdum Bredenoium Equeſtris dignitatis viros Engelberto noſtro militantes occidiſſet, ipſius tandem conſilio pace initâ pro Simonis Comitis λύτρῳ octo mille marcas argenti puri ſive 600000. florenos exſolvit: Quorum loco arx Lipperadia ipſumque oppidum Lippienſe die Margarethæ Anno 1376. ſibi obligata: quod antea quoque anno nimirum 1366. ob dotem Margarethæ Engelb. Falckenburgii Epiſcopi Colon. neptis, Domino Cranendonckio nuptæ numeratam, pro 3000. florenis ſibi oppignoratum erat. Anno 1399. Adolphus Engelberti nepos primus Cliviæ Dux eadem pignora continuavit. An. 1433. medietatem ejus ſibi comparando; Ioannes vero Adolphi primogenitus & ſucceſſor, cum Bernhardo & Simone Comitibus Lippiacis die Mercurii poſt Dominicam Lætare An. 1445. ex voluntate Patris de eadem mediæ urbis proprietate ſibi tradendâ, plenè tranſegit.

Lippeliſmedietas Marca acceſſit.

Anno 1379. porrò Engelbertus noſter, cum Florentio Wevelinchovio Monaſt. Theod. ab Horn Oſnab. Henrico Spiegell Pad. Epiſcopis arcem Rhedanam, in quam Otto Teckleb. & Burggravius Strombergius confugerant, obſedit.

Tremonia oppugnatio

Anno 1387. cum Friderico Saerwerdano Col. Florentio Wevelinchovio Monaſt. Henrico Spiegell Paderb. Epiſcopis Tremoniam oppugnavit, & prius agros civium ne egrederentur, infeſtos tenuit: donec controverſia tota compoſitâ, ipſi cives propugnaculis ante urbem eorum demolitis, reſiduam pro turela pecuniam exſolverent, 10 vero aureotum millia Engelberto Comiti mutuo darent, quæ non ipſe, ſed ejus hæredes reddere tenerentur. In cujus rei fidem vicinæ urbes, Suſatum, Hammona, Unna, quod omnes pacti conditiones à civibus impleri debeant, fidejuſſerunt.

Bellum Colonienſe

Anno 1391 die Martis poſt Bartholomæi feſtum ob Adolphum fratrem Clivenſem Comitem in bello cum Archiepiſcopo Col.

Friderico

Friderico Saerwerdano ob Telonium Cæsarinsulanum, & ditionem Linnensem gestum, à Reesensibus, qui tum adhuc Archiepiscopo parebant, Rheno descendentem captum, assumpto filio ejus adhuc impubere Adolpho cognomine, Orsoviæque, Rheno trajecto, diœcesin Colon. ingressus, novem noctibus totidemque diebus in ea grassatus est: Et prima quidem ad Ordingam, secundâ ad Zonsam, tertiâ & quartâ inter urbem Colon. & arcem Broel, quintà ad Bruiwielerium Monasterium, sexta inter Vrechenium, Lechenium & Gelbium pagos, octava ad Freimorsdorpium prope castrum Reiferscheidium, nona verò ad Orsoviam ditionis Clivensis oppidum consedit, atque sic domum rediit; controversiâ 2. May anno 1392. ut mox in Adolpho dicetur, compositâ.

Anno 1390. contra ipsum nobilitas Provinciæ Marcanæ insurrexit, quod vix tandem ante obitum ab ipso compositum. Wetteræ enim æger cum medici de vita ejus desperarent, condito testamento ætatis 62. in festo S. Thomæ sacro an 1392. extinctus, die S. Stephani in feriis Paschalibus, armata manu Frundebergæ conditus est. De quo vir nobilis in Clivia ita in Elegia sua.

Tremoniam Anspergiumque premis: componitur ære,
(Ære auro quovis utiliore magis.)
Bremensemque facis fratri constare thiaram
Aldenburgiacam necrapere invidiam.
Tum cum Lippiaco tibi Dinslacioque Dynastis,
In Mindam it bellum, pax properata redit.
Ad Solimæa vocans melius divortia, Martem
Prutenum afflictæ relligionis opem.
Geldrorum in fratrum rediens certamina mœsta,
Incidis & victor per TE Eduardus ovat.
Infestos Montensem, Vbios compescis inanes,
Anspergum & spoliis cogis habere vias.
Westphaliæ Marschalcus & in mala publica vindex
Vult similes multos Marca videre Patres.

Theodoricus, fratris Engelberti successor, Comes Marchiæ factus est in ordine 12. cui frater Adolphus, de quo mox, Dominium Dinslacense cum Duisburgo & Rurortha antea concesserat, Engelbertus vero Comitatum Marcanum cum medietate Telonii Bouricensis & Limarsiæ pignore ad ipsum derivavit.

Administrationem vero Ditionis Osnabrug. quam Joannes Hoedt Iuris canonici D. Episcopus ejus, ære alieno pressérat, vocatus, per 12. annos administratione susceptâ ab eodem illam liberavit.

Castrum Iburgium ex manu Tecklenburgiorum eripuit: Gronebergium redemit, & in utroque, sicut etiam Vastennauvico portas suis insignibus conspicuas construxit, sed bello cum Gerhardo Hoyæo Episcopo Mindensi, opera fratris Ottonis Comitis Hoyensis adiuto, implicitus, ipse anno 1363. vulneratus, & multis suorum cæsis, cum Eberwino, & Theodorico Volmæsteiniis captus, &

tantisper detentus fuit, dum fratrum Engelberti Marcani, & Adolphi Clivii, armis, in libertatem restitueretur. Restitutus, & Præpositus Colonienſis factus, iterum revocatur, ut pro Melchiore Duce Brunſwicenſi & Lunenburgenſi Grubenhagio, Epiſcopo Oſnabruggenſi, Ioannis Hœdii (cum Lubbertus Craſſenſteinius electus in ſtatu religioſo permaneret) ſucceſſore, qui ſe & ditionem novis iterum difficultatibus intricârat, adminiſtraret: ubi iterum omnia oppignorata redemit, & Melchiorem ex captivitate Comitis Hoyenſis aſſeruit: Sed, etſi de Eccleſia, & ditione Oſnabruggenſi bene meritus eſſet, tranſlato tamen Melchiori ipſo præterito, Theodoricus ab Horn ſuffectus eſt, An. 1307. ob controverſiam fratris Adolphi cum Friderico Saerwerd. Archiepiſcopo Colonienſi diœceſin hanc, qua Comitatui ſuo adjacet, ingreſſus, eandem Bremam uſque devaſtavit.

Obiit ipſo Urbani die anno 1406. Weſaliæ in Monaſterio Dominicanorum ſeu Prædicatorum ante majus altare conditus, ut verſus habent tumbæ inſcripti.

> Diederich *de Marcha vir nobilis hâc jacet arctâ*
> *Natus Gelrenſis, Arberch, Marchaq, Clivenſis*
> *Anno Milleno quadringenteno bis quoque ſeno,*
> *Vrbani feſto diſceſſit, Rex memor eſto:*
> *Atque Maria piaſis ſibi propitia.* AMEN.

Adolphus ſextus, Adolphi quinti Marchiæ Comitis, ex Margarethâ Cliviâ filius ſecundo genitus, Juris utriuſque Licentiatus, quia frater Engelbertus primogenitus erat, poſt Ludovicum Haſſum, ex Canonico Colonienſi primum anno 1357. Epiſcopus Monaſterienſis factus eſt: Deinde, etſi Ioannes Vierneburgius Decanus Eccleſiæ Colon. Cathedralis, multorum ſuffragia haberet, ille tamen Monaſterienſi Epiſcopatu Comiti Vierneburgio viciſſim reſignato, Urbani V. Pontificis aſſenſu anno 1363. in Archiepiſcopum Colonienſem electus. cum vix novem menſibus præfuiſſet, tanto amore proſecutus eſt conjugium, ut relicto, ac Engelberto patruo Epiſcopo Leodienſi, Archiepiſcopatu Colonienſi oblato, & ab illo urbis caſtri & telonii Berckenſis pignore pro 55. mill. ſcutatorum per quinquennium conſenſu Gumberti Præfecti Colonienſis, Domini Alpenſis, & Sobbonis fratris ejus accepto anno 1364. uxorem duceret Margaretham Gerhardi Comitis Iulii, & Montani filiam, quam habebat, chariſſimam, quæ antea à parentibus Canonicatui ad S. Cœciliam Coloniæ deſtinata fuerat; Deinde, vacante anno 1368. in Comitatu Clivenſi patruo Materno, Ioanni Clivio poſt multâ controverſiam ſub Carolo 4. ejuſque filio Wencelao Impp. ſuccedit, Comes Cliviæ factus 28. & ultimus; Marchiæ vero V Veſtphalicæ in ordine 13. quam tamen frater Theodoricus ad uſque mortem poſſedit, & tum Nepoti Adolpho patris cognomini anno 1406. ut jam diximus, reliquit. Anno

igitur

igitur supradicto 1368. ubi Clivensibus oppidis omnibus Avi Theodorici noni privilegia ipse B. Thomæ Apostoli confirmasset, in integro Comitatu inauguratus est: præsentibus Conr. Saffenbergio, Gumprechto Alpeno Præfecto Col. Henrico de Offte, Theodoro de Montforth, Wilhelmo in den Hacve / Ioanne Budel de Dorrenwalt / Ioanne de Linscoten, Theodoro de Limburgh, & Theodoro ut en Venne, equestris dignitatis viris. Ut vero civium Clivensis Metropolis animos tanto magis sibi devinciret, iisdem Mercurii post Matthæi Apostoli festum, anno 1370. partem nemoris prope Vrbem siti contribuit: Calcariensibus etiam privilegia sua anno 1368. partim auxit, partim confirmavit, quæ supra annotavimus.

Vxor Margaretha Montana Cæsaris Insulæ pignore ipsum dotavit, ob quod magnum postea bellum exarsit. *Cõjugium*

Ex ea vero liberos sustulit 16. filios 7. Adolphum in Comitatu Clivio, Theodoricum, & Gerhardum in Marcano successores, Henricum Gwalterum, Ioannem & Wilhelmum primo juventutis flore exstinctos; Filias itidem novem, Margaretham Alberti Bavari 26. Hollandiæ Comitis, & Ludovici Imp. filii Wilhelmi fratris uxorem secundam improlem; Conventus Prædicatorum Hagæ-Comitis in aula fundatricem, cui in anno 1394. Arcem Cliviam prope Harlemum Albertus struxit, apud Iacobinos Hagæ-Comitis conditam: Myntam Carolo Bohemiæ Regis filio, vel potius Ottoni Hasso dicto sagittario junctam: Wendeliam Philippo Comiti Niversio, Elisabetham Reinhero Falckenburgio, Bornæ, Sittardi, Brugæ, ac Ravensteinii Domino, & postmodum anno 1400. in coronatione Roberti Palatini Romanorum Regis Coloniæ facta, Friderico Palatino Rheni, Duci Bavariæ, & Bipontis copulatam. Engelbertam Friderico Comiti Mœrsano conjunctam, quæ cum Marito anno 1446. in oppido Mœrsano Cœnobium Carmelitis erexit, inque eo 7. Decemb. anno 1458. Coloniæ ad S. Panthaleonem mortua, inhumata: Iuttam VVilhelmo Iuliæ Duci, post primæ conjugis obitum, ut quidam volunt, despõsatam: Ioannam 1401. Abbatissam S. Claræ Hœrdensem, & Catharinam denique anno 1459. Bouricæ in Virginitate defunctam, & in Vicina Carthusia Gravensi, apud fratrem primum Clivorum Ducem ejus fundatorem, tumulatam. *Liberi*

In hujus Adolphi Clivorum Comitis aulam, Otto ex Landtgraviis Hassiacis Sagittarius dictus, hac occasione venit: Pater ejus Henricus, Adelheidis Ravensburgicæ maritus, Henr. Hassiæ Infatis nepos, Henrici Ferrei & Elisabethæ Misnicæ filius, ut alteri primogenito Henrico cognomini Provincia integra cederet statui Ecclesiastico, eumque in finem Parisios ad studia Ottonem destinavit, verum is, à statu hoc abhorrens, Coloniam cum 3 Ministris indeque Clivopolim perrexit, Sagittarii munere aliquamdiu defunctus, donec ab Henrico ab Homburgh ad Aquensia Lipsana tendente illucque transeunte agnitus, Adolpho Comiti post lon- *VVilhelm. Dillichius in Chronic. Hassiaco an. 1617 Germanicè edito.*

gam

gam tergiversationem revelatus est. Hinc fratre natu majore, peste per totam Germaniâ sæviente, extincto, à patre sene revocatus est. Cumq; ex filiabus Adolphi unam, sic ipso volente, in matrimonium accepisset, ipse Spangebergiũ Castrum, Uxor Francobergam in dotem acceperunt: Ita honori restitutus, atque familiæ illustri Otto non diu eidem superstes vixit; veneno enim, ut volunt, intoxicatus periit, post cujus fata uxor Clivensis adhuc 12. in viduitate annos transegit.

Res gestæ. Adolphus autem noster Clivorum Comes, regiminis initio cum Mechtilde Geldra Joannis Avunculi magni, & Antecessoris relicta vidua, ob dominia Linnense, & Orsovium controversiam habuit: quæ ob successionem, quam in Ducatu Geldrico post obitum fratrum Eduardi, & Reinholdi anno 1371. defunctorum, prætendebat, ita composita est, ut ditio Linnensis, & oppidum Orsavium cum telonio, Mechtildi ad dies vitæ in ususfructum manerent, Adolpho verò civitatis Emmericensis ipsa Matthiæ anno 1372. pro 38. mill. antiq. Scutorum, Mechlinienſis item dominii pro 17. mill. similium Scutorum, cum Insularum Tielensis, & Bomelienſis oppignoratio concederetur; Ita reconciliatus in consequenda Provincia Geldrica Mechtildem anno 1372. Ioanni Castilionæi Comiti Blesensi tertio nuptam, armis suis egregie adjuvit, civesque Neomagos 150. in valle Scalsdael fudit. Cum vero Mechtildis hæc Geldra anno 1388 diem suum Hussenæ Batavicæ obiisset, & idcirco Orsaviam sibi restitui, ut par erat, Adolphus postularet, Henricus Strunckedenus qui Stephano à Duiven in administratione hujus præfecturæ surrogatus sibi Mechtildem pro 18000. scutatis eandem obligasse ante restitutionem reddendis, prætendit, contra Adolphus, ipiam, Oppidum tanquam usufructuariam tantum possediſſe, adeoque illud ære alieno gravare neutiquam potuisse, imo ususfructum sine onere proprietati consolidatum affirmavit.

Fridericus Saerwerdanus Archiepiscopus Colon. huic se controversiæ ob Telonium Cæsaris-i- sulanum, ad quod territorium Linnense commodè situm erat, miscuit, quia enim Civitatis omnes Diœcesis Colonienſis pro debito Adolphi in telonio hoc oppignorato nempe 13. mill. antiq. Scut. semel dandis, & duob. mill. eorundem, cum duobus vini plaustris quotannis ex reditibus telonii ad vitam sibi exsolvendis, anno 1372. fidejusserant: & præterea anno insequ. 1373. de 39. mill. eorundum scutorum Engelberto Marcano Patruo Adolphi debitorum, hic Apochã Friderico dederat, ejus castrum deniq; Diekium an. 1383. Episcopus invaserat, inprimis cum H. Strunckedeno anno 1388 clam tractatu inito, ditionem Linnensem & Orsaviam occupârat, dissidium auctum in bellum tandem apertum desiit. In quo Engelbertus, frater Adolphi, Nicolai Tecklenburgici, & Ritterbergici Comitum atque Lud. Ludinchusii auxilio stipatus, Friderici Archiepiscopi suffragatores Henr. Wolff. Monast. & Theodor. ab Horn Osnabrug. Henr. Spiegelium Paderborn. Episcopos aggressus, vicit, & Susatum, atque Werdam captas diripuit.

diripuit: Quo in bello etiam Rutgerus à Boetzelaer Eques, hostis Adolphi, Coloniæ à militibus ejus captus, induciis à Wilhelmo Montium Duce anno 1389. constitutis, dimissus est. Cum vero Adolphus scaphâ Rhenum descendens à Reesensibus piscatoribus, qui tum adhuc Archiepiscopo Colon. parebant, dum non satis cavet, anno 1390. comprehensus & detentus esset, armis ejusdem Engelberti, communisque fratris Theodorici Dynastæ Dinslacensis, cum subditis Clivensibus conjunctis iterum assertus, inprimis vero anno 1391. in eodem bello Engelbertus Marcanus terram Ubiam ingressus, depopulatus est, sicuti in ipsius Historia supra annotavimus. Contra Reesenses eodem anno, mane nebuloso aëre Calcariam aggressi, & deprædando ingressi à Civibus ad arma provolantibus, urbe iterum exacti sunt. Tandem 2. Mav anno 1392. inter partes dissidentes pax his conditionibus coiit: Vt pro 70000. Rhenanis Linnensem tractum Archiepiscopus, & Adolphus Clivius præter Orsoviam, ditionem Aspeliam cum oppido Reesensi medietate Iudicii Kofbucheimensis, vico Swelmio, & Hagenio pago pro 57000 florenis perpetuo possiderent; Ex 70000. Rhenanis vero Archiepiscopus 13000. in parata pecunia, pro dote Engelbertæ Adolphi filiæ, quæ Friderico Mœrsano Archiepiscopi nepoti nupserat, reliquæ summæ pignore manente, numeraret; Medietatem denique oppidi Santensis, quod ante totum quoque ditionis Col. fuerat, pro residuâ pecuniâ in pignus adderet; In hujus oppidi medietate post confirmata ejus privilegia, Adolphus Theodoricum de Monumento, vulgò Moermpter; In altera Fridericus Archiepiscopus Ioannem ab Horreo Von der Schupren / præfectos constituerunt. Eidem Adolpho anno 1371. Wilhelmus Montium I. Dux pro 20000. Scut. antiq. pignore Blanckenbergiam obligavit, quo etiam tempore Fridericus Archiepisc. ope Adolphi nostri castra Neuenaricum, Garsdorpium, Rodesbergium, Mertzenichium, & Bickendorphium, destruxit.

Opera Adolphi Marcani Clivorum Comitis 28. & ultimi, sunt, quod anno 1388. in Provinciæ Clivensis munimentum, castrum Craneburgium struxit: Oppidum vero filius Adolphus I. Clivorum Dux anno 1414. muris cinxit. *Opera publica politica.*

Anno 1391. pacem provincialem ad certos annos cum Friderico Saerwerdano, Archiepisc. Colon. Wenceslao Brabantiæ, & VVilhelmo Iuliæ Geldriæque Ducibus, Rebuspublicis Colon. & Aquensi constituit, cum Adolpho vero, & Theodorico filiis Theodorico Dinslacensi, Dynasta fratre, Friderico Moersano, & Reinhero Falckenburgio generis, Godefrido Dalenbroichio, Lossensi, & Heinsbergæ Dynasta, nec non Friderico Saerwerdano Colon. Ottone Hoyæo Monaster. Roberto Montano Paderb. Episcopis, societatem rosariam anno 1393. instituit, qua ut rosarium aureum, vel argenteum sub certâ pœnâ semper de collo suspensum, ab unoquoq; gestaretur, cautum est, cum aliis quoque Principibus societatem equestrem (Roszkamp) iniit.

Vxorem

Vxorem Margaretham Montanam trinâ vice dotavit; primo, Craneburgio, deinde Blanckenburgio, demum an. 1378. Monrebergio Dominiis, decimis Hantzlerianis, & Honnepelensib. 20 villis ibidem, ac 1600 floren. annuis, ex Teloniis Orsovio & Bouricensi adjectis.

Hæc Margaretha domus Antoninæ in Sylva Cliviæ cædua (**opgen Hatz**) dicta, prope Clivopolim prima fundamēta an. 1378. jecit.

Tandem Adolphus horâ 4 pomeridianâ 7. Septemb. an. 1394. in arce Clivensi mortuus, in Ecclesia ibidem Collegiata ante majus altare solenni funeris pompa tumulatus est, quem uxor Margaretha Montana annis 31. anno scilicet 1425. secuta, in castro Monrebergio vivis excessit, Clivopoli apud maritum inhumata, Adolpho sequēs Tetrastichō occinuit Petr. Streithag. in Comitib. Clivensibus.

Dum consanguineos inter lis maxima fervet
Quis regeret nutu Clivica jura suo,
Immissus vacui suscepi munera regni,
Cæsaris, & Populi, voce probante, Nepos.

Sectio II.

DVCES CLIVENSES VI.

Qui totidem quoque sunt Marcæ VVestphalicæ Comites,

Adolphus, primus Clivorum Dux, dictus prudens itemque victoriosus, Comes Marcæ Westphalicæ XIV.

Adolphi I. Clivorum Ducis Nativitas.

ADOLPHUS primogenitus patre Adolpho Marcano Clivorū Comite, & Margaretha Montana an. 1371. natus, an. 1394. in profesto nativitatis Mariæ seu 4. Septēb. in provincia Cliviâ privilegiis confirmatis sub Roberto Palatino, & Sigismundo Impp. Patri successit, in aulâ Brabantinâ apud Ioannam Wenceslai viduam aliquādiu versatus, eidem gratissimus comes, omnibusq; proceribus acceptissimus fuit; ex ea ad patrem reduci ditio Aspelia attributa est.

Res gesta in cœlebatu.

Primas auxiliares copias Wilhelmo Iuliæ, & Geldriæ Duci adduxit. Hinc an. 1395. cum Theodoro Cattorum Comite, gubernatore Ducatus Lutzenburgensis, & fratre Gerhardo in Comitem sani S. Pauli movit, & elatum atque præsumptuosum Comitem repressit.

Anno 1397. 7. Iunii ob Cæsaris Insulani telonii duorum millium, & quadringentorum aureorum pignus, quod matri à patre Wilhelmo Montano in dotem concessum erat, sed jam fratri Theodorico assignatum, denegabatur, bellum gessit. Cum enim ille Reinholdi Geldriæ & Iuliæ Ducis, Ioannis Hinsbergii, Simonis Salmensis, Novariensis, Seynensis, Comitum; Helpensteinii, Rieferschedii, Westerburgii, & Somerefii dynastarum suppetiis saltum Clivensem, (vulgò **Cleverham**) ingressus esset, his Adolphus cum fratris Theodorici, Friderici Moersani, ejusque trium fratrum, Domini

Alpensis, aliorumque, & suorum manu selecta occurrit, & matre Margaretha Guilielmi sorore in cygneâ turri inspectante, pugna inita, Clivenses fermè fugati essent, nisi VVesalienses opportunè succurrissent, quorum auxilio victoriam 7 Junii, qui tum dies Iovis ante Pentecosten fuit, divina benedictione obtinuit, principes duos Guilielmum Montensium Ducem, belli auctorem, Reinholdum VVilhelmi Geldriæ & Iuliæ Ducis fratrem, comites quatuor, nobiles verò sexcentos cœpit, equis bis mille, & præda ingenti potitus, eam sub corona vendere jussit, bellica adversariorum insignia in templo Clivio suspendit, & à Guilielmo Montensi præter renunciationem telonii Cæsaris-insulani, etiam subditorum suorum in omnibus Rheni & Ruræ teloniis immunitatem à VVenceslao Cęsare confirmatã, Zintzigium deniq; & Regiomagũ: à Reinholdo Geldro oppidi Emmericẽsis insularumq; adjacentiũ, Limarsiæ item & Hetteriæ dominiũ: à Ioanne Hinsbergio Gennepæ pignus per Margaretham conjugem acquisitum, cujus apocha anno 1411 data est, à Simone Salmense Ravensteinium cum 4000 scutatis, à reliquis multam æris summam extorsit.

Ejus victoriæ fama magnum potentiæ encomium, ac dignitatis Adolpho & Cliviæ principibus attulit incrementum.

Vt verò de hac cõtroversia tota cõstet, notandum quod an. 1293 Adolphus Nassovius Imp. Archiep. Col. Siegfrido VVesterburgio Cæsaris-insulanum, & Bonnense teloniũ 15 annis pro 27500 marcis oppignoravit, hac tamen cõditione ne Berckę amplius teloniũ exigeret, & Joanni comiti Spanheimensi pro redemptione 2000 marcas cõtinuo numeravit, Albertus verò Austrius Imperator an. 1298 VViegboldo Holteno Archiep. eãdem præfecturã ad dies vitę pro 8000 marcis cõcessit: hujus filius Fridericus Imp. an. 1312 Henrico Vierneburgio Archiepiscopo se cum Gerhardo Julio, nisi redditis castro Cæsaris-insulano Marcoduro & Zintzigio non transacturũ, illaq; sibi oppignoraturum promisit: VVilhelmo tamen Montano anno 1368 cum Anna Bavara conjuge, ex Margaretha matre Rubertus Palatinus socer illud 57500 fl. oppignoravit, quod Carolus IV. Imperator anno 1370 confirmavit, & idcirco VVilhelmus Montanus comiti Marcano Engelberto, qui 24 mille fl. Margarethæ filiæ cum Philippo Falckensteinio copulatæ, ex ejus reditibus in dotem dederat, nullum in Cæsaris-insulano jus reliquum esse declaravit. Anno 1399 Agnetem Ruberti Palatini posteà Cæsaris, filiam, Adolphus Clivius uxorem, & cum illa medietatem Cæsaris-Insulani pro 25593½ fl. in dotem, & pro totidem quoque florenis in pignus alteram partem accepit, prout VVilhelmi Montani filii Adolphus & VVilhelmus anno 1399 fatentur: sed residuos 8000 fl. sibi reservarunt, & ex singulis vini doliis Turonensi accepto possederunt aliquamdiu, postea tamen Joanni Lossensi Hinsbergio & Lewenbergio Dynastę vendiderunt, an. 1403 Robertus Cęsar Adolpho Clivio genero pignus 15 mil. fl. auxit, & tandem an. 1405 integram prçfecturã cum castro telonio, & reditibus omnib⁹ vendidit.

Di Cæsaris-Insulæ piã guerra.

De fratribus Adolphi Ducis, & Theodorico.

Theodoricus frater Adolphi cum patre contra Bernhardum à Strunckede, comite VValdeccio & Sufato unitus, præfectus Essendiensis, & totius VVestphaliæ Mareschalcus declaratus, & Tremoniæ Archiep. Colonienſi, Conrado Moguntino, Ruberto Montano Paderbornenſi, Balthazaro Thuringiæ Landgravio, & Marchione Miſniæ, Ottone Brunſwicenſi, & Hermãno Haſſo erectis. atq; obſignatis tabulis, fœdere an. 1393 & 94 junctus fuit, idẽ dictoriâ Cliviâ animatus terram Montenſem denuo invaſit, Mullenhemium propè Coloniam diripuit, & caſtrum Ewerfeldenſe obſedit, ſed tormento bellico ibidem à milite Saxonico ictus 14 Martii anno 1398 cœlebs interiit, filio tantum naturali Theodorico relicto, qui an. 1482 VVeſaliæ obiit. Huic Theodorico pater Adolphus poſt obitum fratris Engelberti comitatum Marchicum cum Fridenburgo, oppidi Lippienſis medietate, & 2400 fl. annuis ex telonio Cæſaris-Inſulano tribuerat, quos reditus antea Philippo Falkẽſteinio cum Margaretha Engelberti Marcani filia in dotem conceſſos, ſed ab illo VVilhelmo Montium Duci, an. 1395 venditos, ab eodemq; in pugna ſaltus Cliviaci capto viciſſim Adolphus noſter extorſerat. Hęc omnia poſt obitum ejus cum dominio Dinſlacenſi Duiſburgo & Rurortha ad fratrem Adolphum hunc noſtrum redierunt, qui in Comitatu Marchico Joannem Steckium, & Hermannum Reckium adminiſtratores conſtituit. Sed cum alter ejus frater ſuperſtes Gerhardus de Gerhardo, an. 1411 Pariſiis rediens, aſtu in Comitatum Marchicum ſe ingeſſiſſet, huic primo Sevenarienſe caſtrum & dominium, deinde totam illam à fratre Theodorico relictam hæreditatem, comitatu Marchico excepto, aſſignavit, quâ tamen portione non acquievit, ſed an. 1412 oppido Huiſſenſi capto fratrem Adolphum ad aliam tractationẽ adegit, itaq; diviſio nova, an. 1413 hoc modo inita eſt, ut Gerhardo frater præter reditus Cęſaris inſulanos, & Zintzigienſis, atq; Regiomagenſis pignoris Roberto Comiti Vierneburgio traditi poſt mortẽ ejus redemptionẽ tractum quoq; Suiderlandiæ, Plettenbergiam, Swartzenburgiam, Ludẽſchediam, Neoſtadiam, Breckerfeldiam, Neoradiam præfecturas, Altenana quęſtura, reditibus Wibling-werdenſibus, Iſerlona, Blanckenſteinia, Hatnega, Werdena, VVettera præfecturis & oppidis exceptis, hac tamen cõditione haberet, & Eliſabethæ Spãheimenſi Comiti Marchię fratrũ amitæ ex telonio Cęſaris-inſulano quotannis mille fl. exſolveret, Gerhardus quoq, frater non alienaret, ſed poſt ejus mortem ad Adolphum ejuſq; hęredes rediret. Verum cum primum natis filiab⁹ Dux Adolphus, ut deficiente prole maſculâ, primogenita ſuccederet, ab ordinibus utriuſque Comitatus, reclamantibus tamen præcipuè Marcanis impetraſſet, ubi anno 1419 filius Joannes primogenitus editus eſſet, Gerhardus anno 1420 litem novam fratri movit, ob quam integrum Comitatum Marcanum ex ſententia Ludovici Cæſaris, anno 1421 conſecutus eſt: de quo infra ſuo loco plura.

Adolphi Ducis conjugium primum.

Sed à fratribus ad Adolphum revertamur, is an. 1399 uxorem primam

mam duxit, Agnetem Ruberti Comitis Palatini, Ducis Bavariæ Electoris, & postea Imperii decoctore & Sardanapalo Wenceslao depositio, an. 1400 Coloniæ proclamati Rom. Imperatoris filiã, cum qua nuptias Heidelbergæ in multorum principum, Comitum, Baronum, & nobilium frequentia, in qua ille cum 1500 equitibus uniformiter vestitis, atq; insigniter ornatis cõparuit, cum multis ludis equestrib⁹ celebravit. Hęc telonii Cæsaris insulani medietatẽ, (quia altera medietas antea ipsi oppignorata erat) à Wilhelmo Montensi redemptã, in dotẽ attulit, sed nõ diu superstes fuit, nã an. 1401 post bienniũ in balneis mortua, & in tẽplo S. Jo. sacro Coloniæ cõdita est.

Secundum.

Secundam ergo accepit Mariam Joannis intrepidi Burgundiæ Ducis filiã, quæ illi præter ingentẽ pecuniæ summã nempe 6. mill. Coronatorum, ex Sylvæ Ducis, & duo mill. coronatorum ex Flandriæ orientalis reditib⁹, Dominium etiam V Vinnendalium in dotẽ attulit. Adeoq; duplici hoc cõjugio Adolphus non tantũ Cæsareo, sed regio quoq; sanguine Francico, stẽma Cliviacũ nobilitavit.

Liberi.

Cum Mariã hâc fœcundum admodum illi coniugiũ fuit, nõ tantũ enim tres filios, Joannem, Adolphum, & Engelbertum, sed etiã septẽ filias, Margaretham, Catharinã, Elisabetham, Agnetẽ, Helenam, Mariam & Annam ei procreavit: ideoq; eandẽ quoq; bis dotavit, an. 1420 Huissenia, & Limersia. An. 1425 post mortem matris Margarethæ Montanæ, Monrebergum, primogenita Margaretha nata an. 1416 vespera Matthiæ. Inter hanc & Ludov. II. dictũ magnanimum Ludovici primi dicti Pacifici filiũ Landgravium Hassiç. an. 1424 tabulæ matrimoniales futuri cõjugii confectæ sunt: in quibus Adolphus noster filiæ 10000 aureorum à suis in monetis propriis cusa, in dotem promisit cõtra Landgravius Ludovicus pater, quia Margaretha Clivia tum tẽporis minorennis, & octennis tantũ erat Marpurgum patri Matgaretæ Adolpho, pro hac summa vicissim hâc tamen lege oppignoravit, ut sin minus cõjugium succederet, de pecunia sibi reddenda certus esset: prout etiã contigit; irrito enim postmodum hoc cõjugio Adolpho pecunia, Lodovico pignus reddita sunt, Margaretha verò V Vilhelmo Bavaro Protectori Cõcilii Basilienſis auspicato, eoq; primo conjugio an. 1431 Basileæ nuptiis celebratis, copulata, binos filios eidem edidit: marito hoc mortuo Vlrico V Vurtenbergio secundo thoro sociata cumque eo vix duobus annis vitâ traductâ, ubi tãtum unica filia ipsum beasset, excessit. Catharina nata die Vrbani, an. 1417 in Majo, & Arnholdo Egmundano Geldriæ Duci, an. 1423 promissa, sed anno demũ 1430 ducta, & an. 1476. 10 Feb. mortua, inque Carthusia Gravensi prope V Vesaliam apud Parentes condita.

Ioannes patris successor die S. Iulianæ, sive 16 Ian. an. 1419 magno patris omniumq; subditorum gaudio natus campanis idcirco per omnem ditionẽ pulsatis, & gratiis Deo publicè actis. Hanc tamen lætitiam, luctus inopini nuncium de puerperæ Mariæ Burgundicæ patre, immaniter à Ludovico Delphino Galliæ circa idẽ tempus occiso, Clivos allatum iterum interturbavit,

Hic Joannes primum V Vienēdaliæ Flandricæ Toparcha à patre, anno 1439 constitutus, eidemque anno 1440 Philippus Burgundus Dynastiam Ravensteiniam à patre in feudum acceptam adjecit: postmodum totius Ducatus Clivensis, & Comitatus Marcani hæres factus, illam fratri Adolpho iterum consignavit.

Elisabetha die Remigii an. 1420 nata, Heinrico Comiti Swartzenburgio & Arnsteinio nupsit, qui ex ea inter cæteros Heinricum Episcopum Monasterienſem tulit Agnes die S. Matthiæ, anno 1422 nata, Caroli Vindocinæi Navarræ regis uxor sterilis, anno 1479 mortua Helena anno 1423, die S. Helenæ nata, Henrico Duci Brunswicensi copulata fuit.

Adolphus vespera S.S. Petri & Pauli, anno 1425 natus primum castris Vredenburgio & Bielsteinio anno 1444 à patre investitus, postmodum Ravensteini Dynasta factus est. Maria pridie Matthæi Apostoli seu 9 Septembris anno 1426 nata, auspiciis Philippi Burgundi avunculi Carolo Valesio Duci Aurelianensi juncta mater fuit Ludovici XII. Galliarum regis. Nuptiarum festivitate ad S. Audomarum ejusdem Philippi impensis celebratis, quique idem in Carolum hunc è captivitate Anglicana, in qua 25 annis detentus fuerat asserendum, quatuor auri milliones impenderat. Mejerus in Annalib⁹ Flandricis ad annum 1440. Engelbertus denique anno 1413 post SS. Petri & Pauli diem natus iterumque nocte nativitatem insequente denatus.

Adolphi Ducis inauguratio.

Porro pater omnium horum liberorum Adolphus in Concilio Constantiensi ipso Vitalis, seu 3 Majum anteced. die an. 1417. cum Amadæo Sabaudo, à Sigismundo Imp. novis ornamentis insignitus ac juribus amplioribus donatus, inque ordinem sublimiorem Ducum Imperii Romani traductus, splendidum Imperatori electoribus reliquisq; Principibus, Comitibus, Baronib⁹, Ecclesiasticis & Politicis convivium apparavit: ut verè de eo Streithagenus:

Ata orum titulos primum transgressus Adolphus,
Illustris meruit nomen habere Ducis.
Causa quod & bellis gestis clarissimus esset,
Et sancta totus notus in orbe fide.

In hac festivitate de Adolpho, hoc memoriâ dignum narrat Arnholdus Heymricius Clivensis, Decanus Santensis in libris suis sex Sophiologicis manuscriptis in Bibliotheca collegii extantibus, & Philippo Clivio, Joannis Adolphi hujus primi Ducis filii gnato natu minori 5. non. Aprilis anno 1484 inscriptis, lib. 1. cap. 1. de virtute: quod à Sigismundo Imperatore rogatus, quem bonum virum judicaret, responderit: qui sese recta ratione gubernans, aliis præesse consuletreque novit.

Deinde cum inter convivandum inter omnes Imperii Principes & Proceres, viliori veste indutum, Cæsar conspiceret, quæsiisse: annon ex comite Ducem factum, dignior deceret toga, vel vestitus luculentior? respondisse: si quidem vestem, ô maxime Imperator, quàm mores prius mutavero, non Ducem sed

stragulum

ſtragulum ſubditi colere incipient, atque infinitos tales tu quidem Duces facilè creaveris, ſi veſtium cultui dignitatem adjeceris. Tritiſſimum enim ante hanc dignitatem Adolphi adhuc Comitis dictum fuit: primum magiſque neceſſarium cujuſvis præfecti officium ſibi videri, ſcire in conſentaneos mores communeq; bonum ſubditos componere, reducere, conſervare, ſolique virtuti omnia, exeniis vero his & quiſquiliis nihil indulgere: cum illud quod virtute vacat bonum non ſit, nec hac quicquam melius. De juſtitia vero lib 1. cap. 2. Malle ſe juſtum ſubulcum eſſe, quàm ampliſſimo regno injuſtè præeſſe, aut juſtum regem falſo videri.

In eodem concilio Conſtantienſi, ut hoc addamus, Frideticus VI. Friderici IV. comitis Zollerii, qui à Rudolpho I. Habſburgio Imp. dignitate Burggraviatus Norici, anno 1273 donatus fuit, nepos Friderici vero V. Burggravii Norici filius, Marchiam Brandeburgiam cum dignitate Electorali 18 Aprilis anno 1417 à Sigiſmundo Imp. conſecutus eſt.

Res geſta Ducis Adolphi conjugati.

Porrò quod res geſtas hujus noſtri Adolphi ptimi Clivorum Ducis attinet, præter illam inſignem victoriam, quam de VVilhelmo Montium Duce, anno 1397 in Saltu Clivio ut ſupra dictum eſt, reportavit, etiam anno 1399. Suſatum in tutelam ſuam ſuſcepit, pacemque inter Patruum Theodoricum Marcanum, Ottonem Monaſterienſem, & Joannem Paderbornenſem Epiſcopos, fratres & Comites Hoyæos, initam, confirmavit. Eodemque tempore ſimul Advocatia Eſſendienſi fratre Theodorico mortuo inauguratus eſt. Tum partim aliis in bellis juſtis patrocinando, partim ſua neceſſaria, & honeſta fortiter gerendo, merito victorioſi nomen obtinuit.

Inter illos quibus patrocinatus, anno 1403 VVilhelmum primum Montium Ducem à filio Adolpho in caſtro Novimontio præter naturam & legem divinam, captum, & detentum, cum Wilhelmo fratre Adolphi, qui Joannem Hoyæum, utriuſque fratrem Robertum in Epiſcopatu Paderbornenſi anno 1394. Hic vero anno 1399 ſecuti ſunt, iterum aſſeruit.

Anno 1405 cum filio Alberti Bavari Hollandiæ Comitis ſui affinis VVilhelmo, patre Jacobæ, & civitate Vltrajectina adverſus Joannem Herculenum Gorcumium obſedit, obſidionemque per 22 ſeptimanas, donec oppidum dederetur, continuavit, de quare plura in Reinholdo ejus nominis IV. Juliæ & Geldriæ Duce.

Anno 1406 pro Joanne Bavaro Hollandiæ Comite Epiſcopo Leodienſi Alberti filio VVilhelmi fratre contra rebelles cives itidem belligeravit.

Eodem anno cum Otto Hoyæus Epiſcopus Monaſterienſis Comitem Solmæum captum Steinfurti cuſtodiæ tradidiſſet, & caſtrũ quoque ejus Ottenſteinium obſidione cinxiſſet, Adolphus noſter comeatu adducto eadem illud liberavit, quod poſtea tamen occupatũ, hodie Diocœſi adjungitur. An deniq; hoc 1406. 11 Decemb. Theod. de Nyem in Nemore unionis cap. 3. Teſte in ſchiſmate,

papali Angelus decorario qui Gregorius XII Pontifex Rom. inter alios Principes, Adolpho quoque noſtro ſcripſit, ſe ob pacem Eccleſię papatui renunciaturum, modo idem Petrus Luna, qui Benedictus XIII, in ſua obedientia quoque faciat.

Anno 1410 cum Friderico Saerwerdano Archiepiſcopo Col. in Delbrugios iiſque faventem VVilhelmum Ravenſburgium Epiſcopum Paderb. profectus, id effecit, ut tandem controverſia componeretur.

Anno 1424 Rudolphum à Diephold contra VValramum comitem Morſenſem æmulum operâ ſuâ ad Epiſcopatum Trajectenſem promovit, Friderici Blanckenheimii ſucceſſorem: quo eodem anno mortuo Ottone Hoyæo fratri etiam VValrami Henrico Epiſcopatum Monaſterienſem procuravit, anno denique eodem, ſocero Joanni Burgundo contra Gallorum regem auxilia ſubmiſit, qui poſtmodum immaniter à filio ejus Delphino trucidatus eſt.

Inter bella quæ pro ſe neceſſaria geſſit, recenſentur, quod caſtrum Henrici Struckedeni, anno 1418 obſedit, & captum hæredibus viciſſim in feudum tradidit.

Deinde Joannem Baronem de Ghemen & Bredevorth, qui ducta VVilhelmi VVevelinchovii filia & hærede hanc quoque Dynaſtiam prioribus adjecit, quod ob Ghemenſe licet Dominium Vaſallus ejus eſſet, multa tamen ſibi feudi Domino, damna intuliſſet etiam in ordinem redegit: à quo animoſo heroe Adolphum rogantem, quo animo captivitatem ferret, non immoderatiori, quàm ſi ipſe Ducem Adolphum cœpiſſet, reſponſum tuliſſe, refert Arnholdus Heymricius; & quia in expeditionibus omnibus Joannis à Bruchuſen equitis dexteritate, & fortitudine multum uſus eſt, hic apothegma ejus, quod ibidem Heymricius citat indicare operæ prætium duximus, quo rogatus ab Adolpho quem virum fortem judicaret, reſpondit, qui non tam ante periculum velox, quàm in eodem intrepidus eſt.

l. 1. Sophologicum c. 3.

Inprimis cum fratre Gerhardo Adolphus noſter controverſiam gravem habuit. Cum enim is urbium Clivenſium, & Marckenſium unioni, anno 1418 initæ, (de qua infra in ſtatu urbium) Theodorico Morſano Archiepiſcopo Colon. (ut ſuperius dicere cæpimus) ſubnixus, ſe opponeret, fœdere cum eo, ne filię (quas tantum binas Adolphus frater tum temporis adhuc habebat Margaretham & Catharinam) Patri ſuccederent anno 1422 inito, cum Gerhardo Capituli cathedralis Col. conſenſu Zonſia, Linna, & Ordinga traditæ eſſent, Ille viciſſim Cæſaris inſulam, cum caſtro telonio, & integro territorio Archiepiſcopo pro 100000 aureis, quorum una medietate numeratâ, pro altera oppida Archiepiſcopatus jam memorata in pignus poſſideret, vendidit.

Hoc iniquo animo ferens Adolphus, Gerhardum cui Duiſburgenſes & Hammonenſes ſuffragabantur, bello adortus eſt, quod tamen Ludovicus Palatinus Elector ab Imp. Sigiſmundo delegatus, hâc conditione compoſuit, ut oppido Breckerfeldio, & parochia

Dalia

Dalia in Comitatu Marcano Adolpho redditis, Gerhardus Duisburgum, & Hammonam ad annos 20 retineret. Anno 1424 his hæc iterum recruduit: Gerhardus enim eidem Archiepiscopo Theodorico Morsano confisus, se pacem cum fratre Adolpho Duce initã non servaturum dixit, nisi vel integrum Comitatum Marcanum vel totam Dinslacensem Dynastiam à Patruo Theodorico, anno 1406 ad se derivatam sibi concederet. Ludovicus igitur Elector Palatinus iterum arbiter constitutus, anno 1425 pro Gerhardo pronuntiavit: Quod propter Adolphus ad summum Pontificem Martinum provocans Commissarium Episcopum Cameracensem impetravit, qui factâ inhibitione Dognensem subdelegatum constituit, & is pro Adolpho sententiam tulit. Anno 1427 igitur Gerhardus cum Archiepiscopo contra ipsum bellum instaurarunt. Negotio autem alteri arbitro Philippo Burgundo commisso, hic utraque parte Gorcumii audita, sententiam tamen nondum pronuntiavit.

Anno 1428 fratrem Gerhardum coram Theodorico Col. Henrico Monasterienſi Episcopis, Adolpho & Roberto Montium, Arnholdo Geldrio Ducibus Engelb. & Joanne Nassoviæ, Friderico Morsæ, & Saerwerdæ Roberto Vierneburgi, Ottone Teckleb. & Simone Lippiense Comitibus, iterum accusavit.

Donec tandem anno 1435 aliis 1437 per decem, aliis viginti Adolphi Ducis, ejusque fratris Gerhardi, atque Archiepiscopi Col. consiliarios, Joanne Adolphi primogenito præsente inter utrumque fratrem pax perpetua stabilita fuit, Gerhardo verò Hammonæ, ubi prius Franciscanorum observantium collegium fundasset, pridie exultationis S. Crucis, seu 14 Septemb. an. 1461 sine legitimis hæredibus mortuo, omnia quæ possederat cum aula Spiegeliana Colonienſi ad Joannem Adolphi filium Clivorum Ducem, & Marcæ VVestphalicæ Comitem redierunt.

Quia verò Catharina, soror quoque Adolphi nostri communis fratris Gerhardi, partes secuta, anno 1421 intercessione litterarum Martini Papæ dotem etiam suam petiit, hanc ob causam, eandem aliquandiu Adolphus negavit: tandem tamen ex teloniis Orsavienſi, & Bouricenſi 1500 flor. annuos, Bouricia vero in arce habitationem eidem an. 1426 assignavit, ubi anno 1459 vivis excedens in Carthusia Gravienſi apud fratrem inhumata est.

Anno 1430 cum Adolpho Duce Elbertus ab Alpen, atq; Joannes ab Aswin, cum tribus aliis regulis suis aulicis Coloniam ingressi, ubi in hospitio Hunnorum dicto relicti, nocte quiescentes à Joanne Stael, Bernhardo Buirick, & Joanne Pieck Montensibus nobilibus capti essent, Magistratus urbis hac rei insolentiâ commotus, captoribus per muros delapsis, captos, triennium ne fidem Prædonibus datam servare necesse haberent, sub honestâ custodia detinuit.

Anno 1432 Theodoricus Limburgius Bruchii Dynasta castrum Bruichium Adolpho nostro vendidit, iterumque in feudum ab eo

accepit, Anno autem insequente cum Theodoricus Adolpho juratam fidelitatem minus fideliter servaret, & præterea Theodoricus de Rechteren civium Colon. liberos in hoc castro detineret; Theodoricus Morsanus Archiepiscopus Colon. illud obsedit, sed consilio Gerhardi Clivii fratris Adolphi, Friderici Comitis Moersani, Goswini Steekii, & VVesseli à Loe pax inita, & Duci Montensi VVilhelmo ab Adolpho venditum, inde Ducatus illius feudum est.

Maximè verò sub finem ætatis, belli cum Theodorico Morsano Archiepiscopo Col. ob Susatum gesti initia direxit, administratione & continuatione Joanni filio primogenito tradita.

Nam cum hanc urbem anno 1399 in tutelam atque protectionem suam recepisset, ut supra dictum est, ea anno 1444 ab Archiepiscopatu Col. (cui Philippus Heinsbergius devicto à Friderico Brab. Henrico Leone Saxoniæ, & Angariæ Duce, provinciisque pulso, cum titulo Ducatus VVestphalici acquisierat) quod contra antiquas immunitates ab Archiepiscopo Theodorico premeretur defectione inclinavit, & controversię arbitro Bernhardo Saxoniæ, atque Angariæ Duce, pro Archiepiscopo in diremptione controversiæ pronuntiante, anno 1444 plene descivit. Quia vero Respublica tantis viribus belli indubitato sibi expectandi, & cum tam potente hoste gerendi impar, ad Adolphi Tutoris sui, atque protectoris auxilia fugit, is vero non tantum ob reditus Cæsarinsulanos, & ditionem Linnensem verum etiam Nanetensis, anno 1424 & Resensis anno 1435 pignorum reluitionem intentatam, sed ab Adolpho ob prætium justo tempore non numeratum, recusatam, nunc vero repetitam, & à Gumbrechto Nuenario legato Cæsaris Friderici III. cui eodem tempore nempe anno 1444 de ditionibus suis omnibus homagium præstitit sibi revelatam ab Archiepiscopo alienior esset, inprimis quod Advocatias Essendiensem, & Werthinensem ad se etiam derivare cogitaret, Susatensium Patrocinio suscepto feciali die veneris post viti misso, anno 1444 apertum Theodorico Archiepiscopo denuntiavit bellum, deinde cum ipse per valetudinem inprimis ob dolores podagricos, quibus infestabatur, eidem præesse non posset Ioannem filium primogenitum 25 anorum juvenem ex aula Burgundica revocatum præfecit, qui Susatum missus, & à civibus abdicato Archiepiscopo cum gaudio exceptus, & homagio inauguratus est. Hic verò ubi omnia ad bellum necessaria in urbe disposuisset, ad patrem reversus, in Ducatu Clivio militem scripsit, & Clivenses, & Calcarienses maximè sibi addictos invenit.

Anno 1445 Adolphus noster Theodoricum Archiepiscopum apud Papam Eugenium accusavit, tantumque effecit, ut illo exauthorato filiorum secundus Adolphus substituendus nominaretur, sed cum is renueret, Papa nihilominus Adolphum ducem cum omnibus suis subditis à Theodorici obedientia absolvit, eique in ditione sua peculiarem Episcopum titulo Corcagensem, & suffra-

suffraganeum Ultrajectinum præfecit, qui Calcariæ aliquamdiu sedit.

Contra Theodoricus Archiepiscopus Gerhardo fratri Adolphi persuasit, ut Swartzenburgium, Pletzenbergium, Herschedenum, Altenanum, Hurdense, Ludenscheidium, & Neoradium castra, oppida, & dominia comitatus Marcani, à fratre illi assignata sibi traderet, aliisque de quibus in Joanne filio plura, unitus, Adolpho animosè se opposuit: qui vicissim filio primogeniti Joanni habenas belli tradens eidem vespera Pentecostali, anno 1448 in nervum rei gerendæ multos ex diversis oppidis, teloniis, castris, & præfecturis reditus assignavit.

Hic igitur, rebus ab Adolpho nostro gestis finitis, ad acquisita accedimus, quibus provinciam Clivensem egregiè auxit, atque locupletavit.

Inter hæc numerantur præter Susatum de quo modo dictum: quod anno 1406 à Reinholdo Juliæ, & Geldriæ Duce Limarsiam pro 10 millibus scutatorum pignore obtinuit. *Acquisita Ducis Adolphi.*

Præterea anno 1418 ab eodem Reinholdo castrum Middelerium, & Imperiale nemus pro 16667 scutatis in pignus accepit.

Pignora Sintzigium, & Regiomagum, à VVilhelmo Montium Duce avunculo, anno 1397 capto acquisita, quæ Roberto Viernburgio Comiti, anno 1411 in pignus tradita, anno 1424 Adolphus Montanus VVilhelmi filius redemit.

Anno 1420 Theodoricus Morsanus Archiepiscopus Col. summi Capituli consensu castrum & oppidum Berckense, cum telonii medietate Adolpho nostro oppignoravit; qui civibus istis ita se benevolum præstitit, ut de tali novo principe sibi gratularentur.

Anno 1423 Arnholdo Egmundano post defunctum ejus avunculum Reinholdum Juliæ, & Geldriæ Ducem in istis provinciis successori filia secundo genita Catharina promissa, non tantum cum eo pactus est, sed etiam Imperialis nemoris antea sibi obligari, tabulas anno 1436 ab eo renovatas accepit: eidemque pro eodem pignore 6 mill. florenorum Rhenensium, porro anno 1440 mutuo dedit, super castro & ditione VVachtenduncana 18 florenorum millia numeravit: Duiffliam denique anno 1445 & 49 in pignus obtinuit. De quo postremo pignore ut speciatim quædam hic tradamus, notandum anno 1432 eundem Arnholdum Egmundanum Elberto Alpensi Hunnepelig Domino pro 784 aureis eandem Duiffliam obligasse, idem vero Adolpho nostro anno 1445 cum Dominii Calbeecensis feudo, & pago Loenensi in Dynastia Ravensteinia, omnique trium harum partium superioritate, Dominio & censu pro 6000 aureis hac conditione tradidisse, ut cum ea simul VVachtenduncæ pignus pro 24000 aureis redimeretur. Quia verò Elbertus Alpensis Duiffliq adhuc proventibus gaudens, Joannem Adolphi filium, secundum Clivorum Ducem in fructu ejus percipiendo impediebat, anno 1463 novo cum affine contractu inito hunc 1440 aureos in reluitione promisisse.

Cæterum

Cæterum omnia hæc Geldriæ pignora nempe Duiffliam cum VVachtenduncia, atque profectura, urbe, & territorio Gochensi, castro denique Norgenawio anno 1473. Carolus Burgundus tum ejusdem Dux Joanni Clivorum Duci 2. Adolphi filio, pro sumptibus in bellum ab ipso impensis, & fidelis obsequii sibi præstiti compensatione, perpetuò possidenda confirmavit; quam donationem Maria Burgunda ejus filia in Majo anno 1477, eodemque anno in Octobri Maximilianus Austrius post Imp. factus illius maritus Philippus, denique eorum filius Hispaniarum Rex anno 1505 ratam habuerunt. Nec Carolus V. hujus gnatus, Cæsar, victo anno 1543 VVilhelmo Cliviæ, Iuliæ, Montium Duce, inter conditiones quas ei præscripsit, revocavit.

Præter Geldricas has partes adhuc Adolphus noster alia acquisivit. Nam urbem Emmericensem anno 1402 vespera Ciciliæ emit, Santensis & Reesensis oppidorum pignorum à Patre acquisitorum, illiusquidem anno 1424 hujus verò anno 1435 à Theodorico Archiepiscopo Col. propositam reluitionem, ob prætium justo tempore non solutum recusavit.

Anno 1433 medietatem urbis Lippiensis à Comitibus ejus consecutus est, quam filiorum primogenitus Ioannes cum Bernhardo, & Simone Comitibus Lippiacis, anno 1445 plenariè pactus confirmavit.

Anno 1426 à Ioanne Heinsbergio Gennepiæ medietate pro 10400 scutatis accepta, anno 1441 à Geisberto, & Reinhero Brederodiis, eorundem jus reliquum quod in eandem habebant, pro 7000 florenorum emit.

Status nobilitatis.

Ad Cliviæ verò suæ nobilitatem quod attinet, Dux ejus primus, ut diximus in Concilio Constantiensi à Sigismundo Imp. inauguratus, anno 1418 Archipræfecturam Ducatus Arnholdo ab Hessen viro equestris ordinis præcipuo attribuit: cujus filius Otto eandem dignitatem in Theodoricum à VVylich nepotem ipsius consensu, anni novi 1446 ineuntis festivitate, transtulit: cui Adolphi nepos Ioan. II. tertius Clivorum Dux, Theodorici filio Adolpho anno 1498 arcis Disfortianæ Dominium, & cunicularios Flurinenses adjecit. Idem Adolphus dignitate Archicamerariatus Ducatus Clivensis nobilissimos Eylios insignivit, quibus mortuis in Huchtenbruchios derivata est.

Anno 1438 Ioannem filium naturâ non lege, à se genitum arce Clarenbecia donavit.

Anno 1447 VVilhelmo ejus nominis II. Montium Dynastæ 13, & Oswaldi primi eorundem Comitis patri, pagum Beeckium pro certa pecuniæ summa in pignus concessit.

Status urbium.

Urbes provinciæ Clivensis quod attinet, iis omnibus nempe Clivopoli, Vesaliæ, Emmericæ, Calcariæ, Reesæ, Bourichiæ, Sonsbecæ, Vdenæ, Dinslaciæ, Scherenbecæ, Holtenæ, Orsaviæ, Grithusiæ, Cranenburgiæ, Hussenæ, & Grithæ, cunctis quibus gaudebant privilegiis cõfirmatis, ubi post excessum suum ex hac vita hæredes

vel

vel masculos, vel iis deficientibus fœmineos à se relictos pro successoribus se agnituras, filios autem, vel filias plures, præter hæredem successorem ex aliis ad Cliviam non spectantibus bonis dotaturas promisissent, Adolphus vicissim se eas neque oppignoraturum, neque venditurum, neve alio modo alienaturum recepit: specialiter verò Resam recenter à patre acquisitam, ubi ab Archi-Episcopo Col. redimeretur, ab hac unione hæreditaria exemit.

Anno 1419 ipsa Petri Apostoli omnibus his oppidis immunitatem, atque exemptionem à judicii Ecclesiastici onere largitus, Ecclesiasticis ipsis quoque mortificationi ulteriori bonorum sæcularium in iisdem successione introduxit.

Cum vicinis Principibus & Rebuspublicis in sequentem modum pactus & unitus est.

Anno 1398 cum Colonienſibus induciis sexennalibus.

Anno 1412 cum Monasterienſibus: cum iisdem anno 1437 de Dominio Ringelbergio, Brunensi, Dingdensi, Aschenburgensi pagis, controversia ab Adolpho nostro, & Henrico Morsano Episcopo Monasterienſi, Philippo Burgundo compromissa, hic pronuntiavit, ut in Bruinensi pago, Adolphus utramque jurisdictionem, temporalem & Ecclesiasticam, in Dingdensi verò Episcopus Ecclesiasticam tantum exerceret.

Anno 1418 cum Tremonienſibus de Mengedeno, & Brakelio pagis.

Anno 1420 cum Adolpho Montium, & Juliæ Duce convenit.

Anno 1429 cum Engelberto & Henrico Nassoviis; Roberto item atque VVilhelmo Vierneburgiis de Dynastia Ravensteinienſi composuit.

Opera, quæ rei præclarè gestæ monumenta insignia, Adolphus noster in provincia sua Clivia struxit; sunt partim politica, partim Ecclesiastica. *Opera Ducis Adolphi.*

Politica sunt: turrium altæ Clivensis, cygneæ dictæ; & alterius ubi κειμήλια principum asservantur, castrorum atque arcium Griethusienſis, Huissensis, Sevenarienſis, Iselburgensis, Vesalienſis, Dinslacensis, Scherenbecensis, Rurorthensis, Orsavienſis, Bouricensis, VVienendalensis, Sonsbecensis, Kervenheimensis, Schraevelensis, Vdenheimensis, atque Calcarienſis: in Comitatu Marcano Altenani, & VVerthinensis constructiones, atque expolitiones uberiores. *Politica.*

Idem Vdenheimium anno 1414 Craneburgium anno 1417: non longè post Scherenbeciam, an. 1441 Isselburgium oppida munivit.

Totam denique provinciam fossis & aggeribus in Rheni ripa, & mediterraneis vulgo Landtdicken: in limitaneis vero oris receptibus, & propugnaculis circumscripsit.

Opera Ecclesiastica Ducis Adolphi sunt: Monasterium Carthusianorum in Insula Mariæ vulgo Gravienſi, hoc est Comitis appellata propè VVesaliam anno 1419 ipsâ purificationis Mariæ, sive secunda Februarii sui solius sumptibus sine aliorum principum collatione, *Opera Ecclesiastica.*

collatione, aut subditorum onere ab ipso cœptum, eodemque anno 19 Martii Indictione 13 à Theodorico Morsano Archiepiscopo Col. in auguratum, reditibus etiam, atque immunitatibus utpote executione juris debiti, & teloniorum libertate dotatum. Cumq; in eum usum primo Dux Adolphus innumeram laterum & lignorum congeriem, nec non calcis magnam copiam initio structuræ coacervasset, consiliariis propositi Monasterii ædificandi ignaris cui fini hæc à se præparentur rogantibus, se parasitorum Lenonum adulterorum, & omnis generis impostorum carcerem ergastulis distinctum ibidem conditurum respondit: hos vero postmodum Carthusianorum cellulas aptari videntes, & hos immensos sumptus nihil, vel parum emolumenti, Principi subditisq; allaturos regerentes ita affatus est: Si vos ô amici, panum & carnium micas pauperibus spe mercedis à Deo consequendæ lubentes porrigitis, cur non ego quoque longè meliori ratione sanctas religiosorum animas pro me & toto hoc Ducatu meo assiduè apud Deum interpellaturas offerrem.

Arnh. Heymricus in lib. 6. Sophiologii.

In hoc claustro Carthusiensi Adolphus primo 12, quas vocant cellas pro totidem Monachorum habitationibus construxit, quibus Catharina filia ejusque maritus Arnholdus Egmundanus Geldriæ Dux, Casparus Cuilenburgius, Joannes Alpenius, & Joan. à Loen, aliiq; singuli suas usq; ad 24 cũ reditib⁹ postmodum addiderunt, ut omnium cellarum numerus litteras Alphabeti exæquaret.

Idem Adolphus Præceptoratum, quem vocant Antoninum in sylva Cliviæ cædua (Opgen Hau) à matre Margaretha Montana anno 1378 inchoatum, presbyteris certis constitutis, & domo lapidea majori ob societatem, quæ collyriorum dicitur, ædificata, consummavit.

Collegiatam quoque Ecclesiam Zephlicensem à majoribus Clivorum comitatibus fundatam, consensu Eugenii IV. Pontificis Romani, anno 1436 Craneburgum transtulit, jure patronatus omnium beneficiorum sibi retento.

Præposituram Clivensem illius Collegii, quod ex Monreberga anno 1341 à Theodorico nono Clivorum comite huc deductum est, erexit, Henrico Neuhusio primo præposito constituto, cui postea Hermannus à Braeckel Aquensis successit Ducis Joannis Adolphi filii quoque factus Cancellarius, & isti Theodoricus à Riswich Reesensis.

Monasterium Augustinianorum regularium prope Ringelbergum in valle pacis, an. 1438 constituit, quod ubi regulares hi deseruissent, crucigeri consensu ejus anno 1444 occuparunt.

Sacella multa in Parochiales Ecclesias commutavit, & in omnibus fermè Ducatus Clivii oppidis, ubi nulli erant conventus sororum paupercularum, seu Monialium, cum Nosocomio & Ministrorum sedis Ducalis Cliviæ decrepitorum domo, in urbe Clivopoli sede Ducatus ordinavit.

Laus Ducis Adolphi.

Fuit ergo Princeps omnium virtutum pietatis, justitiæ, fortitudinis

titudinis, prudentiæ, authoritatis, atque fidelitatis numeris absolutus.

De pietate ejus sequens recitat Apophtegma Arnholdus Heymricius in libb. Sophiologicis, quod post natum Christũ nullæ Christianos præstigiæ, maleficia, vel astrorum interpretamenta, deceant.

Iustitiam ejus docet responsum Arnholdo Egmundano Geldriç Duci genero, de odio subditorum apud se conquerenti, datum, quo illud inde ortum dixit, quia prius metui magis, quam amari, à subditis voluerit, Ideoque vice versa amorem in odium degenerasse.

Idem, nihil tam reipublicæ exitiosum, quam impunitatem scelerum, affirmavit, nullumque genus hominum magis, quam Adulatores, abominatus est.

Nobilitati vero domesticæ hoc crebro suggessit, ad Virtutem non tam eundum, quam cursu contendendum esse.

Humilitatem vero, & modestiam principis, testatur, quod aulæ apparatus, & superbos luxus vehementer detestatus, iisque ex sua proscriptis, simplicem ac modestam vivendi rationem, tam à Joanne filio, quam ab aulicis, servari voluit. *Balth. Exserus in Valerio Maximo Christiano.*

Joannes autem, cum in Gallis aliquot annis vivens, patrium morem dediciſſet, ac superbiorem exteræ gentis cõsuetudinem assumpsisset, ex Aula Burgundica in patriam revocatus, apparatu, & equitatu gallico instructus, rediit. Adolphus, adventantem filium, & peregrino luxu tumidum, videns, adhæc plurimorum insuetas campanellas, atque tintinnabula Mulorum audiens, excanduit, suâ dialecto inquiens (**Da kompt Johenneken mit den bellen**) hic filius meus Ioannes venit cum tintinnabulis, quo dicto, illi peregrini, quem affectaverat, luxus, vanitatem exprobravit, Filius vero, hoc ipso senis patris dicto, ut proverbio celeberrimo, sæpenumero usus, ac secum jocatus confessus est, Patrem vera dixisse: Nempe ridiculum esse, si quis Principum, frugalitatem Patriæ, cum luxu peregrino non erubuerit permutare.

Tanta denique hujus Principis ubique fuit authoritas, & fides, ut nudo ejus dicto plus, quam aliorum signatis literis tribueretur. Hinc rythmi de ipso Germanici vulgò jactati.

Sein nein was nein gerechtigh/
Sein ſha was ſha volmechtigh/
Er was keins worts gedechtigh/
Sein mundt/ſein grundt eindrechtigh/
Ein Prinſs aller Princen ſpigel/
Sein wort das war ſein ſigel
Seins mudts gar vnverzagt/
Wer hat ihn aus dem feldt gejagth?

Quibus omnibus ad Ducatus Clivii augmentum, & ornamentum gestis & peractis, anno ætatis 77. imperii 50. Dux Adolphus annis ingravescens, & curis, arthritide laborare cepit, quapropter maturè condito Testamento, & sepultura in Gravienſi Carthusiâ sibi

assignatâ hæreditatem filiis superstitibus Ioanni Ducatum Cliviæ, Adolpho vero Dynastiam Ravensteinensem, & Wienendaliam, cum reditibus Sylvæ-Ducensibus, & Flandricis per Uxorem in dotem acceptis, nempe 600. Coronarum Francicarum ex Flandria quotannis numerandarum post ejus mortem assignando divisit; Ab Helmichio Gadesduncano, & Arnh. Herenhovio Carthusiano, Prioribus, in morbo ut consolationis aliquid impartirentur, subinde visitatus, annorum satur quippe 77. Major in filiorum, sicut etiam conjugis charissimæ Mariæ Burgundicæ, aliorumque Comitum, Baronum, & Nobilium, tantum Heroëm abeuntem lugentium, præsentiâ, ipsa Teclę Virginis seu 19. Septembr. anno 1448. ubi prius ad Eucharistiam digne sumendam, neque ob nauseam iterum egerendam, jejunasset, placide & pie obdormivit, cujus corpus sequentibus diebus Nobilium, & subditorum, ingenti numero comitante, in Carthusiam Graviensem delatum ibidemque conditum est.

Vxor Maria Burgunda Maritum in Castro Monrebergio post annos 15. in viduitate exactos 30. Octobris anno 1463. insecuta ibidem quoq; tumulata, vigilia omnium Sanctorũ funere per oppidum Santense trans Rhenum in claustrum illud, præsentibus filio Ioanne Duce ejusque conjuge Elizabetha Niversia, sorore Catharina Geldra, cujus Maritus Arnholdus Egmundanus se excusarat, cum primaria procerum, & totius nobilitatis caterva deducto. Exequiis vero Dominica prima Adventus in Ecclesia Collegiata Santensi ritu solenni celebratis.

Cæterum anno 1590. 28. Octobr. ex hac Carthusia Insulæ Reginæ cœli, ob belli belgici motus, destructa, Adolphus hic primus Cliviæ Dux Maria Burgunda ejus conjunx Catharina soror, & Catharina filia, Maria deniq; Wilhelmi Principis mater, ut monumentum habet, in templum Dominicanorum Vesalienſis Vrbis, translati sunt: Ex Psalmo 25. Vers. 12. & 13. hac inscriptione addita.

Vers. 12. *Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit.*

Vers. 13. *Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hereditabit terram.*

IOHA N-

IOHANNES PRIMVS

sub Alberto 2. Austrio ejusq; ex fratre Ernesto nepote Friderico 3. Impp. Dux Cliviæ secundus, Marcæ vero VVestphalicæ Comes 15. sive à pulchritudine faciei & totius corporis structura egregia, Bellus dictus, sive ab habitu peregrino quo instructus ex Galliis ad Patrem rediit, & quod in præliis libenter ferroci Equo, phaleris tinnientibus conspicuo uteretur, cum Tintinnabulis, & Bellicosus appellatus.

Nativitas

NAtus 16. Januar. 1419. in Cliviæ Metropolis arce antiquissima, & à Theodorico Moersano Archiepiscopo Col. sacro fonte levatus, ut ex clausula hac memoriali apparet.

LAVS ELVS IN ECCLESIA SANCTORVM.

Educatio.

Puer novem annorum ad aulam Burgũdicam Philippi avunculi missus, Gandavi cum sex aliis nobilibus in lingua Latina & Gallica educatus est, dictus puer Gandavensis.

Ut Navarrenum.

Annorum vero 16. cum Philippo avunculo ejusque fratribus ad debellandum Ludovicum Borbonium Ducem Aurelianensem, affinem ejus postea factum, profectus est: Sed bello cõfecto ad scholam rediit: Deinde cum eodem iterum Caleti expugnationi & bello Lutzenburgensi interfuit.

Anno ætatis 18. à Philippo ex ludo Gandavensi in aulam assumptus, & studiis Equestribus adhibitus, sequenti anno Agnetem sororem Carolo regi Navarreno desponsatam, eò duxit: Et Slusæ Flandrorum navi cum 70. aliis viris nobilibus & præcipuis conscensi, inde solvens Biscaiam appulit: Ex qua pedestri itinere in regnum Navarrenum pergens, in urbem Vallesoletanam sedemque regiam devenit, ibique festivitate nuptiali magna pompa celebrata, Compostellam Hispaniæ reliquias S. Iacobi visurus petiit, inque itinere Castiliæ rege salutato ad regnum Navarrenũ sororemq; rediit: quæ anno 1479. sterilis vita defuncta est. Huic vero cum tum temporis extremum vale-dixisset, per Arragoniæ, & Catalauniæ regna Barcelonam perrexit, ibique navi rursus adscensa, Avinionem, indeque per Montem Pessulanum in Burgundiam contendit.

Ubi postquam dies 14. ex longinquo itinere respirasset, quod reliquum ex eo erat perficiens apud S. Audomarum ad Philippum avunculum rediit.

Cum hoc autem in aula ibidem tantisper moratus dum expleto anno ætatis 25. ab Adolpho Patre revocaretur, qui ab illo tempore nempe ab anno 1444. illum bello Colonienſi, cum Theodorico Mœrsano Archiepiscopo Col. ob Susatum gesto, adhibuit, cui ante & post mortem Patris optimi fortiter præfuit: Mortuo autem an.

1448. in Ducatu Clivio, postmodum etiam Gerhardo patruo anno 1461. in comitatu Marcano successit, utraque Provincia cum tutela Essendiensi, & Werthinensi à Friderico 3. Imp. investitus, inque agri Susatensis villis 14. per Gratonē Steckium homagium accepit.

Hinc igitur multa præclarè gessit, qualia sunt Bella Colonienſia duo, Geldrica tria, Gandavense, & Trajectense; Accedunt iter Sacrum Hierosolymitanum, multaque opera Ecclesiastica, & politica de quibus omnibus jam ex ordine Historia texenda est.

Bellum Colonienſe primum, tum vivo adhuc Patre Adolpho, tum post ejus quoque obitum, perfecit.

Nam ut Heymricius Decanus Santensis in libris suis sex sophiologicis scribit, cum oppressi Susatenses submissis poplicibus ut suppetias pater Adolphus ipsis præstaret, supplicarent, extrema clementia permotus, se, Deo bene favente, injuriam patientibus opem ferre paratum respondit; Fortitudinis autem Ioannes filius in hoc bello admirabilis insigne edidit specimen.

Cum enim tam à suis gentilibus quam ab urbis Susatensis optimatibus plurimùm interpellatus, ne se ipsum omnium spem salutemque instanti urbis obsidioni à Theodorico Archiepiscopo Colon instituendæ, ceu præcipitio submitteret, sed relictis propugnatoribus, urbe excederet; Ille suasoribus indignatus, Deo volente, se gloriosam potius mortem, quam ingloriam fugam expetere, ipsumque periculum justitiam causæ patefacturum, dixit.

De eadem fortitudine hujus nostri Principis in eadem obsidione illud quoque testatur, quod cuidam referenti urbis muros tantæ potentiæ imbecilliores sibi videri: Non muros, sed viros oppugnandos respondit. Et cum ex oppugnatoribus quidam altera tibia mutilatus ei ostenderetur: Et hunc fuga nulla salvabit, ait. Denique cum ex obsidentibus quidam Equestris dignitatis vir, cum suis ad Ioannem transire nocereque hostibus obtulisset: Absit, inquit, ut victoria fraudis vel imposituræ nomen sortiatur.

Bellum Colonienſe primum.

In bello autem hoc Colonienſi I. Archiepiscopo Theodorico, frater Henricus Monasterienſis, Paderbornensis, Hildeshemiensis; & Mindensis Episcopi; Ludovicus Palatinus Elector, Wilhelmus, & Fridericus Saxones, Misnici, & Thuringi, Fridericus Brandenburgicus, & Wilhelmus Brunswicensis; Duces Iohannes Nassovius, Gerhardus Sevnius, Philippus Nassovius, Iohannes Zegenhainius; Walramus Waldeccianus, Bernhardus Solmæus, Reinherus Hannovius, Conradus Rietbergius, Henricus & Mauritius Pyrmontani, Henricus Spiegelbergius, Comites; Reinherus VVesterburgius, Theodorus Renckelius, Ioannes & Henricus Gemenses Dynastæ; cum civitate Tremoniensi suffragati sunt: A Iohannis Clivii partibus verò tantum, Philippus Burgundus, Rudolphus Diepholtius Trajectensis Episcopus, Simon & Bernhardus Comites Lippienses, Ioannes Schoenbarnius, cum Galeno Swaneburgio Bohemo, Goswino Cratone, & Conrado Steckiis, Clammero Buschopio, Ottone Willichio, Goswino Kettelero, Luberto Turco, Roberto Stacleno,

cleno, Elberto & Johanne Alpenis Equestris dignitatis viris fuerunt. Ut verò nervus belli ei suppeteret, pater Adolphus oppida, castra, præfecturas, & telonia in Provincia Clivensi, Orsavense, Bowricense, Wienendalium, Santense, Wachtendoncium, Reesium, Aspelium, Hetterium, cum Rossawico, & Iselburgico, Sevenarico, & Limersia vespera Pentecostali anno 1448. certis conditionibus, literis publicis inclusis, ei tradidit: In comitatu etiam Marcano, VVetteram, Volmæsteiniam, Blanckensteiniam, Hatnegam, VVerdenam, Beckhumiam, Essendiam, aliaque oppida cum Bielsteinio, & Vredenburgo eorumque reditibus assignavit, subinde etiam magnam pecuniæ summam filio Iohanni submisit: qui etiam cum Comitibus Lippiacis ob urbem eorum, quam Engelbertus Marcanus in pignus acceperat, non tantum transegit, sibi medietate ejus hæreditariè servatâ, sed cum Gerhardo quoq; Montensi trium annorum inducias pactus est, ut cum ipsis conjunctus bellum hoc tantò expeditius gerere posset.

Theodoricus igitur Archiepiscopus, sibi confœderatorum suppetiis, primò castrum Friedenburgum satis munitum circa Iohannis Baptistæ festum, anno 1445, obsedit, & die omnibus Sanctis sacro cœpit; in qua expeditione Godefridus ab **Hontzelaer** castri capitaneus præsidiarius, jactu machinæ displosæ, periit. Deinde Duisburgum civitatem, Gerhardo patruo Iohannis Ducis addictam, nocte Gregorii Papæ festivitatem præcedente anno 1445. astu intercipere tentavit, sed à civibus Campanarum clangore ad arma proruentibus repressus est. Præterea Clivensem ingressus Ducatum, cum eum undiq; præsidiis Burgundis munitum vidit, Susatum regressus 15. equites in **Meinerßhusen** cœpit, & ex iis 7. suspendit, ob quod facinus Susatenses 6. vicissim nobiles Archiepiscopi in crucem egerunt. Non multò post Colonienses aliquos ex copiis Clivensibus circa Dorstam urbem aggressi, sex quidem nobiles, utpote Lubertum Turckum, Ottonem ab Hessen, Iohannem Kell, Anthonium à **Widachten**/ & Iohannem à **Schoenenburgh**/ in deditionem acceperunt, sed eos Clivenses vicissim vindicarunt. Berckenses etiam erumpentes multam ex Cliviæ pago Elverichio prædam abduxerunt. Contra Iohannes Dux Clivius Tuitium incendit, Judæorum opulentiorum ædes diripuit, & Werthinam abduxit, ibidemque Rheno transmisso diœcesin Colon. longe lateque depopulatus est. Archiepiscopus vero Gerhardum Marchiæ Comitem, Ioannis patruum, in suas partes pellexit, qui castra Swartzenburgium, Plettenburgium, Herschedenum, Altenanum, Hœrdense, & Nienradium sibi à fratre tributa, Ecclesiæ Colonienſi pro damnis perpessis resignavit: Et quia ob Susatum urbem Hanseaticam ab Hansæ deputatis Ordingæ anno 1445. tractatio pacis proposita non successit, Archiepiscopus Bielsteinium insedit, & obtinuit; Imo feles, facibus ignitis caudis earum alligatis, portarum foraminibus Susato ad horrea civium incendenda immisit, quod stratagema alio remedio cives quamprimum eluserunt.

runt.

Ioannes vero Clivorum Dux eodem anno armenta ante Geſekium oppidum à præſidiariis ſuis Suſatenſibus pro commeatu abduci juſſit, quod cives avertere tentantes eorum 230. trucidati ſunt. Quapropter Archiepiſcopus irâ accenſus majori, cum 1500. equitibus, calcatis ante Suſatum frugibus, Comitatum Dinſlacenſem invaſit, & Hyſveldium pagum cum aliis exuſſit. Ioannes vero Clivius contrà, terram Kempenſem vaſtavit, caſtrumque Velant Joannis Domini à Bemen inexpugnabile viſum, in deditionem acceptum, ſolo æquavit, qui idcirco Cliviis infeſtus per captivum Clivium Weſaliam traditione occupare tentavit, ſed dolo per eundem patefacto 30. equites Colonienſes intercepti eorumque commutatione Ioannes ab Alpen dudum cum 26. equitibus captus, liberatus eſt. Anno 1446. Clivenſes cum Suſatenſibus oppidum Nyhemium direptum conflagrarunt. Colonienſes verò caſtrum Vollenſpiet occupatum, ob commeatum Suſatenſibus avertendum, munierunt, ſed Clivenſes poſt diſceſſum Colonienſium cum ipſo Arnholdo Vollenſpiet illud cœperunt. Altera deinde Simonis & Iudæ, eodem anno 1446. cum Colonienſes agrum Suſatenſem deprędandi animo ingreſſi eſſent à Suſatenſibus Wernhero Comite à Seyn, Domino Wittikindenſteinio præpoſito S. Gereonis, Philippo Naſſovio, & Stephano à Laer trucidatis, 33. præterea nobiles, & milites 150. capti ſunt, qui ſe 32. aureorum millibus numeratis redemerunt. Nobiles capti ſunt: Bernhardus à Bueren, Theod. à Burtſcheid, Henricus Wulf ſenior, Ioh. à Scheidungen, Herman à Furſtenburgh ſenior, Frider. ab Hoerde, Herm. à Laer, Henr. à Werninchuſen, Alb. à Mengede, Rembertus à Quernheim, Godſchalc. à Padbergh, Ioh. à Breidtbach, Henningus ab Heyger, Ioh. Freitagh, Theod. Dimanwe, Reinherus Claitz, Ioh. Suverke, Oſwald. à Wenckhuſen, Wynrich. à Bollinck, Ludolph à Kerſenbruch, Henr. à VVeydenkamp, Herm. ab Endorph. Henr. Kerſenbruch, Ioh. ab Itenbach, VVilhelm à Plettenbergh. Rovediſch, Ioh. Culinck, & Herman. ab Hoingen.

Et quia eodem an. 1446. novæ pacis conditiones à Philippo Burgundo Maſieræ, & á Ludovico Bavaro Moerſæ propoſitæ, ab utraq; belligerantium parte neutiq; ratæ habitæ ſunt, Ioannes noſter Mindenſe oppidum cum integra diœceſi occupavit, & depopulatus eſt: & fruſtra per Brabātiæ Mareſchalcū totius exercitus conflictu Theodorico Epiſcopo oblato, hic illum detrectans Bohemos in ſocietatem belli an. 1447. evocavit. Contra quos, etſi Bernhardus Comes Lippienſis, quia Viſurgi trajecto Comitatum ejus tranſire animus erat, eundem mature firmaſſet, illi tamen Blomenbergam deſtruxerunt, Lemgoviam in deditionem acceperunt, Dethmoldiā deleverunt, Herverdiam ære mulctarunt, totumque Lippienſem Comitatum, Lippoli fruſtra 13. diebus obſeſſa, arcibuſque Valckenburgia & Steinebergia exceptis, occuparunt, Monāſterienſes etiam atque Oſnabrugenſes tanto exercitu territi, illi quidem Iohanni

Clivio

Clivio Episcopum suum Henricum Moersanum, Colonienſis Archiepiſcopi fratrem; hi verò Ioannem Hoyenſem Comitem ſex annis captivum detentum, dimiſſum, Archiepiſcopo tradiderunt. Ioannem autem Clivium, qui tum Unnæ erat Archiepiſcopus, hoc exercitu ita percellere non potuit, quin Suſatum cum ſuis ingrederetur, deeemque ejus portis munitis, ſingulisque milite præſidiario & capitaneo impoſitis, ſibi vero turri Buddæâ retentâ, animosè defenderet. Archiepiſcopi autem exercitus Monaſterio Walburgis, portæ vicino intercepto, machiniſque, & bombardis applicatis, lapidum ac globorum jaculis muros, mœnia, turres, portaſque aliquamdiu lacerarunt, ignemque ſagittis in civitatem ejaculati ſunt, ſed commeatu tanto exercitui alendo non ſuppetente, conſilio cum ſuis inito, violentam civitatis oppugnationem ſcalis adhibitis tentavit; Ioannes Dux Clivius adverſus eam torques pice circumlitas, & per mulieres calcem vivam aquamque fervidam præparavit, quibus hoſtes quatuor locis urbem oppugnantes ita excepit, ut 1200. cœtis multiſque vulneratis, reliquis cum Archiepiſcopo, cujus galeæ, à Rege Galliæ dono acceptæ, tres ſagittæ infixæ fuerunt, ob ſtipendia non ſoluta in fugam verſis, Ioannes Clivius inſigni, & memorabili victoriâ obſeſſam urbem aſſeruerit, qui Bohemis reconciliatis ita rogantibus cum 2200. equitibus ſe viſendum exhibuit. Et quia ex Ducibus belli Gawinus Comes Swanenburgius Bohemus in aulâ Gerhardi, Iuliæ & Mõtium Ducis, ignominiâ tanquam ſutoris filius, galeâ & armis luto immerſis affectus fuerat, comitatus Ravensburgius ab iis in reditu invaſus, à Ioanne vero Clivio arx Hoveſtadia in deditionem accepta fuit.

Anno 1448. Archiepiſcopus Theodoricus, frugibus in agro Suſatenſi per dies 15. conculcatis, monomachiam Ioanni Clivio obtulit, quam, quia Episcopi arma preces, & lachrymæ eſſe debent, utpote injuſtam, recuſavit: & ſimiliter ante oppida Tremonienſe, & VVerlenum, agris vaſtatis, Secretarioque urbis, quod Archiepiſcopo arcana ejus prodidiſſet, in crucem acto, Callenhardium oppidulum cœpit, & inter Hoerdam atque Capellam, milite in inſidiis collocato, Tremoniēſes ad egreſſum pertentavit, quos, Duce Philippo Naſſovio, præpoſito Bonnenſi, erumpentes, Ioannes Clivius, fugam ſimulans, adortus, 400. ex civibus cum eorum capitaneo comprehendit. Quia vero nova, eaque tertia, a Gerhardo Iuliæ & Montium Duce Duſſeldorpii præpoſita tractatio non ſucceſſit, Theodoricus Archiepiſcopus Vnnæ & Iſerlonæ ignem immiſit, Ioannes Clivius in Bocholtio oppido & vicinis ſimilia deſignavit. Tandem mortuo anno 1448, Adolpho, patre Ioannis, a Philippo Burgundo induciæ a feſto Martini uſque ad octavam Paſchatis Anno 1449. propoſitæ ſunt, quibus exſpirantibus, Cuſanus Cardinalis S. Angeli, Pontificis Nicolai legatus, eas ad Dominicam Iubilate prolongavit: & poſtmodum, ad publicandum Iubilæum in Germaniam miſſus, utraque parte

Trajectum superius ad Mosam citata, & ut causam cum commodis & damnis utrique datis, & acceptis, scripto unius anni tempore comprehensam, ad Abbatem Pantaleonis, & hic vicissim ad Nicolaum Papam deferrent, injuncto, principes diu inimici hoc modo reconciliati, captivis utrimque dimissis, convexis brachiis sese deduxerunt, & sententiam à Pontifice exspectarunt: Sed Nicolao Pontifice anno 1449. mortuo, Calixtus successor pro Colonienſi sententiam pronunciare voluit, contra quam Ioannes excepit. Et eodem tempore, nempe Anno 1448. Gerhardo Marcano patruo unitus Ikeram expugnavit, & primam monetam Rhenanæ æquivalentem VVesaliæ cudit.

Tandem etiam 27. Aprilis an. 1449. captis utrinq; dimissis, offensisque remissis, cum Theodorico plene reconciliatus est. Eodem an. Philippus Burgundus, inter Ioannem & Adolphum ejus fratrem divisione instituta, ipsi Ducatum Clivensem cum Marcano Comitatu, Adolpho Ravensteiniam & Wienendaliam Flandriæ assignavit. Ioanni igitur utraque Provincia ab Imperat. Friderico 3. investito subditi homagium ubique præstiterunt. Nomine autem Philippi Burgundi hanc divisionem Ioannes Bergæ prætextæ Dynastæ, & Simon Lalainius Montignii Dominus 10. Martii anno 1450. in arce Clivorum approbarunt, & sigillis suis munierunt.

Ioannis iter sacrum. Post hæc Ioannes noster in Iubilæo, Paschali festivitate exactâ, anno 1450. iter sacrum Hierosolymitanum, singularis seculi istius pietatis documento, insciâ matre, & sorore Catharinâ Geldricâ, tanquam avunculum Philippum Burgundum invisurus, ingressus est: Et in Groesbeck affini.

Arnholdo Egmondano locutus itineris socios Iohannem ab Alpen / Gosvinum Ketlerum, Iohannem à Loe / Matthiam ab Eill / præter Helmichium Bentingium, Bernhardum à Beerk / cubicularios, Henricum præceptoratus Hauwensis alumnum Sacellanum, Ioannem Reineri sartorem, M. Gijsbertum chirurgum assumpsit: Fridericus à Witthen in Brabantia accessit. Bruxellis ubi tres dies substitisset, Hannoniam, Campaniam, Burgundiam, Sabaudiam, Lombardiam transiens, Venetias pervenit, ubi, consensu à Papa impetrato, Gerhardum & Ottonem à Wplich fratres, Comitem Hornensem, Theodorum Batenburgium Anholtiæ Dominum, Anthonium ab Eill Equitem, Wilhelmum à Flodorpff præfectum Ruremundanum, Wilhelmum à Goer / Adrianum ab Herler / & Ioannem ab Hemmerden offendit, & à Duce Senatuque Veneto honorificè exceptus, circa Lentecostes festum mare ingressus, cum modo dictis sociis, intra mensis spatium secundis velis trajecit, & Joppen appulit, indeq; per 60. milliaria loca sacra peragravit: & ubi per 12. dies in Palæstinâ mansisset, & à Domino de Cricqui eques renunciatus esset, eodem equestri gladio itineris socios ipse inauguravit. Hoc feliciter

itinere

itinere sacro expedito, per Cyprum, Rhodum, Candiam, ubi Ioannis ab Alpen pater cum Ioanne Hinsbergio; idem iter ingressus mortuus, & honorifice apud minores, & ante annos aliquot humatus fuerat, regressus, Anconem permeans, Venetias rediit, in cœnobium S. Georgii à Duce & Senatu introductus. Vnde Romam ad Iubilæum perrexit, sed in itinere in morbum incidens ex illo post tres quatuorvè dies DEI beneficio restitutus, Romæ Pontifice Nicolao salutato, Neapolim ad regem Alphonsum contendit. A quo 16. equis donatus, 14. apud illum diebus rogatus substitit; inde vicissim Romam redux in ædibus magnificis Cardinalis Morinensis divertit, ibique Arnholdum Egmondanum, & Henricum Schwarzenburgium affines, similiter terram sanctam visitaturos, invenit. Româ Florentiam, exinde Pedemontium, super S. Bernhardi montem pergens; Bruxellas ad avunculum tandem regressus, & ab illo anno plus minus detentus, tandem in Cliviam suam delatus, à matre, fratribus, & sororibus, proceribus omnibus, & subditis, lætâ acclamatione, legatis obviam missis, ambabus, quod dicitur, ulnis; exceptus est.

Quia verò interea temporis anno scil. 1450. Henrico Episcopo Monasterienſi defuncto de successione Erricus Hoyensis, & VValramus Moersensis, Theodorici Archiepisc. Col. frater cõtenderunt, anno 1451 Ioannes Clivius redux, ex petitione matris, & consiliariorum, ob priores adversus patrem Adolphum Theodorici Archiepiscopi inimicitias partes, Henrici Hoyensis, adversus Theodoricũ ejusque fratrem VValravium, Adolphum Montium & Iuliæ Ducem, & Gerhardum Marcanum Comitem patruum defendit. Etsi autem Papa VValravium Moersensem, rejecto Hoyensi, confirmasset, Dux Ioannes tamen huic suppetias tulit, & unâ æstate Ranstorpiense, Vredense, Halterense, Helborgense castra expugnavit, VValravius Nahuysium tantum obtinuit; quod cum Monasterienses, Duce Ioanne Clivio domum dimisso, expugnare tentassent, post ancipitem, & variam fortunam Hoyenses fusi sunt: ob hanc fidelem Episcopo Monasterienſi præstitam operam, castrum Strombergense, & Dulmonense Iohanni oppignoratum est, propter quod pignus, papali licet banno gravatus, à VValravio etiam Episcopo sæpius citatus, ab Episcopo tamen Eystetensi Imperatoris præsidẽ & vicario absolutus est.

Bellum Monasteriense.

Anno 1452. contra rebelles Gandavenses cum Adolpho fratre, Philippo Burgundo avunculo insigni equitatu, ipso S. Viti die, suppetias tulit; Nam ad hostium usque suburbana grassatus, cum hi Philippi arma longius adhuc abesse cernerent, furiosa, ut populus solet, celeritate in eum ducentes in ejus gladium irruunt; Horum verò impetum, plusquam bis mille civium cæsis; tantisper sustinuit Ioannes, dum rapidissimo cursu avunculus advolans reliquã partem penitus deleviſſet.

Rebellio Gandavensis prima.

Eodem anno Monasterienſibus contra Arnholdum Comitem Benthemium, & Ioannem Gemensem Dominum auxilio fuit; & huic

Dominium Gemense.

huic sibi reconciliato Dominium Gemense, quod anno 1280. Godefridus & Goswinus pater & filius à majoribus Comitibus Cliviis, & anno 1444. ab Adolpho primo Duce, successores eorum in feudum acceperant, anno 1464. confirmavit, hac tamen lege, ne contra dominium feudi sub 2000. florenorum aureorum pœnâ amplius militarent.

Præfectura Santensis. Sub hoc tempus etiam controversia cum Episcopo Colon. antea ut diximus, sopita, iterum resuscitata est. Cum enim Santensem urbem, cujus præfecturam integram Ioannes noster, Anno 1449. Ioanni Spijcker commiserat, capitulo privilegia anno 1450. confirmarat, & civibus ratione liberæ electionis & census vinarii nova concesserat, hoc anno 1452. armatâ manu ingressus, Ecclesiasticis jurisdictionem Ecclesiasticam, imprimis excommunicationem papalem Colonienſem, & decimarum exsolutionem, edicto, publico ex tractatu Cardinalis S. Angeli abrogasset, & collegiis sex Ducatus Clivensis, Santensi, Emmericensi, Reesensi, Wisselensi, Craneburgio, & Clivensi defensionem scriptis literis pollicitus esset, Archiepiscopus Colonienſis, Theodoricus Moersanus nondum acquiescens, Susatensibus, qui etiam ad Iohannem Clivium, ut modo dictum, accesserant, victualium usum liberum negavit: eodemq; vicissim in Ducatu Clivio, & Comitatu Marcano Colonienſibus Ioannes anno 1455. & 57. interdixit. Archiepiscopus ergo Santenses tanquam periurii reos, coram Pio 2. accusavit, accusatos etiam Cardinalis Zamorensis non auditos anno 1459. 14. Julii damnavit; sed illi ad sedem Romanam appellantes, eodem anno bullam absolutoriam impetrarunt. Tandem Archiepiscopo Theodoricò anno 1461. in schismate remoto, Adolpho Ioannis fratri Archiepiscopatus oblatus est: sed cum recusaret Ioannes Carcagensis ordinis Prædicatorum eum adeptus, Theodorico ad Concilium appellante, Calcariæ aliquamdiu munus Episcopale administravit. Imò Eugenius ab omni cẽsurâ Archiepiscopi Clivos absolvit, & immunitate Ecclesiasticâ donavit.

Comitatus Bergensis. Idem Iohannes 3. anno 1452. arcem Diedemensem expugnavit, quæ anteà, anno scil. 1447. ab Adolpho patre cum pago Beckio Dynastæ Bergensi Guilielmo Leccano oppignorata fuerat, à Ioanne vero filio Vincentio Moersano in pignus tradita, ideoque an. 1568. novus contractus inter Ducem VVilhelmum Cliviæ, & VVilhelmum Montium Comitem, initus est, de quo infra plura.

Atque hæc Ducis Ioannis gesta ante conjugium sunt.

Conjugium Ioannis. Anno 1455. 27. Martii conjugium ejus cum Elisabethâ Ioannis Burgundi, Niversii, & Estampii Ducis, & Iacobæ d'Aillii filiâ unicâ & hærede hac pactorum conditione conclusum est, ut si minus socer ejus cum hac Iacobâ d'Aillii, filia Vidami d'Amiens nullos hæredes masculos amplius progeneraret, Ioannes in omnibus ditionibus succederet. Atque sic Elisabetha quarta Maii Clivopoli appulit, à matre mariti Maria Monrebergæ, & Bouricæ, à Catharina sorore, & urbibus Clivia, Calcaria, Santena, VVesalia, Reesa, Emmerica

rica summo gaudio & honore excepta. Ex hac geniti, in sede Ducali Clivensi,

Ioannes secundus successor patris, Anno 1458. 13. Aprilis die Iovis 11. antemeridiana, ab Henrico à Rhay Abbate Campensi, fidejubentibus pro ipso nomine Philip. Burgundi, Simone Lalainio, Gerhardo Marcano patruo magno, & Maria Burgũda avia Baptizatus; *Liberi.*

Adolphus anno 1461. 18. Aprilis die Martis horâ decimâ antemeridianâ, sine heredibus anno 1498. 4. Aprilis denatus, prius tamen canonicus summi Templi Leodiensis factus, cui Rosarium explicatum Cal. Feb. an. 1482. Arnholdus Heymricius Decanus Santensis inscripsit; Engelbertus an. 1462. 26. Septembr. hora 2. pomeridiana, postmodum, ut dicemus, Dux Nivernensis.

Theodoricus an. 1464. 29. Iunii, hora 1. pomeridiana, Comes Valesius, itidem sine hæredibus mortuus.

Maria an. 1465. 8. Augusti die Veneris inter 5. & 6. pomeridianas: Iuvenis Adolpho, Gerhardi, & Sophiæ Saxonico Leoburgicæ filio, Montium & Iuliæ Duci desponsata, sed hoc in cœlibatu ante conjugii consummationem an. 1470. in expugnatione castri Thomburgici mortuo, ipsa quoque virgo decessit.

Philippus anno 1467. 1. Ianuarii inter 7. & 8. antemeridianas; Archiepiscopus Rhemensis, & Nivernensis, qui anno 1503. 3. May vivis excessit.

Res gestæ, & bella Ducis Iohannis conjugati.

Ei libros sex Sophiologicos 5. Non. Aprilis an. 1484 Arnholdus Heimricius Decanus Santensis dicavit.

An. 1455. cũ Rudolphus Diepholtius Episc. Trajectensis consensu pontificis tributum à civibus exigeret, exorto in urbe tumultu Episcopus Vollenhoviam concessit, inque ejus locum Gisberto Brederodio præposito summi tẽpli cõpetitore Stephano Bavaro Thesaurario Colon. unanimi capituli totius voto electo, Calixtus Papa ejus electionem abrogavit, & in favorem Philippi Burgundi, filium ejus nothum Davidem Episcopum renunciavit, quem Ioannes Clivius, cum Adolpho Ravensteinio fratre, comitibus, Niversio ejusque filio Carolo & Cricquio Ultrajecti introduxit. Brederodius verò, cum his omnibus resistere impar esset, à Ioanne Duce Clivio persuasus, præposituris Metropolitana, & S. Salvatoris Vltrajecti, & Donati Brugis, cum 4. millibus leoninis aureis annuis acceptis, & 5. eorundem millibus pro sumptibus retentis, totum Episcopatum in Davidem resignavit. Sed cum civitates Trans Isulanæ, utpote nothum, recusarent, Philippus Burgundus Daventriam 8. septimanis obsedit, quam cum reliquis, Davide filio recepto, idem Ioannes Dux Clivius cum patre an. 1457 reconciliavit. *Bellum Vltrajectum.*

Anno eodem, nempè 1457. contra Gandavenses, de novo rebelles, eidem Philippo subsidio fuit, adeò ut in prælio 16. millibus eorum cœsis veniam supplices petentes, Philippum magno cum triumpho Ducem suum susciperent, cui Ioannes quoque noster interfuit. *Rebellio Gãdavensis secunda.*

Anno 1459. Dux Ioannes legatus ad Ænæam Sylvium, Pium 2. dictum *Iter Romanum.*

dictum, pontificem maximum, nomine Philippi Burgundi Mantuam profectus, cum, quod in bello Gallicano, & contra Turcas anno 1452. Constantinopolin expugnantes, subsidia sua non submisisset, excusavit.

Bellum Geldrium primum civile, Patris & Filii.

Anno eodem 1459. contra Adolphum Geldriæ Ducem, impiè patrem Arnholdum Egmondanum persequentem, & principatu privare conantem, militem instruxit. Nam cum pater Arnholdus Comitiis Arnhemii celebratis, tributum à provinciæ Geldriæ & Zutphaniæ subditis, ob æs alienum contractum dissolvendum, & statum dignitatis principis conservandum, exigeret, civitates inter se distractæ, Ruremunda, Venlona, Geldria, & Gravia Arnholdo adhæserunt, Neomagium vero, quod Arnholdus Republ. malè administratâ subditos onerare vellet, imprimis ob vini portum sibi ablatũ, & Dorderacensibus pro certâ pecuniæ summâ concessum, Adolphi partes secutum est. Tandem tamen Anno 1460. damnis multis utrimque datis & acceptis, per Ioannem Clivium reconciliatione factâ, iter Hierosolymitanum Adolphus suscepit: sed redux cum pater iterùm Wennemarum & Arnh. fratres Prangios, Adolpho filio charos, ob homicidium in Niell commissum, capitis supplicio affecisset, & præterea nepoti Friderico Isselsteinio, cum Gerhardi Cuilenburgii unicâ filia & hærede copulato, dominium Buranum & Bosinchomense concessisset, Adolphus Graviæ, festo trium regum cum patre celebrato, quarta nocte nudum e lecto extractum, & equo impositum, ope Friderici Isselsteinii primùm Lobithum abduxit, & ibidem per annum integrum captivum detentum, inde Buram contra DEUM & naturam traduxit, & homagio à subditis accepto, gubernacula Ducatus ad se rapuit, cujus nefandi facinoris memoriale tempus in hoc dicto.

PeCCaVI In ConspeCtV aLIIssIMI.

& altero,

1465. *CaptVs CVM Lepore CoCVs.*

continetur: ob id verò à Paulo 2 Papa, Friderico 3. Cæsare, Philippo Burgundo, & Ioanne Clivio avunculo admonitus, cum eos audire nollet, armis eorum cum Ioannis & Wilhelmi Egmondanorũ atque Gerhardi Cuilenburgici viribus conjunctis, oppugnatus est.

Ioannes enim noster die 11. Feb. an. 1466. omni fœderi & amicitiæ, cum Geldris hucusq; cultæ, ob Arnholdum affinem tã nefande à filio captum, consiliariis licet dissuadentibus, renuntians Wilhelmo Egmondano Arnhemium occupante, ipse municipium VVezanum expugnavit, Neomagenses vero præcipuos Adolphi fautores, mense Majo, ad certamen evocans tria ovium millia ex agris eorum abigi jussit; Et cum cives portis erumpentes sine ordine militari Clivenses insequerentur, hi 400 ex iis Clivopolim captivos abduxere: Sicut in dicto memoriali chronico *CoNCVLCa-tI CognoVerVnt Me:* Ioannes noster loquens à quodam introducitur.

Præter

Præter hæc 9 Februarii Gochia à Joanne obsessa, sed ob Arnholdi Comitis Bentheimii, & Steinfurtensis Domini, sibi militantis, & charissimi mortem iterum deserta.

Hic Arnholdus Bentheimius in obsidione ista globo trajectus, ubi occubuisset, inde Clivopolim ductus, & in choro Ecclesiæ collegiatæ 16 Februarii anno 1466 inhumatus est.

Deinde 18 Martii ejusdem anni, Clivii 70 cives Dotecumienses ex Embricense urbe stratagemate doliorum aqua oppletorum & VVeelam Limersiæ abductorum, aggressi multos occiderunt, reliquos cœperunt.

Contra Geldri in Augusto Craneburgum iterum tentarunt, irrito licet conatu: Neomagensium etiam civium præcipuorum, filii, ab Adolpho Duce ad VVihel. Iselsteinii Domini patrui sui ditionem vastandam submissi, & Gorcumii cum præda intercepti, Hagamque perducti capitis supplicio affecti sunt.

Ioannes autem noster Clivorum Dux eorundem Neomagensiũ propugnaculum **Putkup** dictum cœpit & incendit, ubi Arnholdus **Poztman**/Adolphi consiliarius intimus quoque periit.

Ideoque vicissim Equites Geldrici ex præsidio Gochiensi villas aliquot in campis Udenis, injecto igne armentisque abductis depopulati sunt.

Quia verò bellum hoc cũ utriusque Geldrici & Cliviaci Ducatus maximo detrimento quotidiè ingravescebat, quatuor Electores Imperii ad Rhenum Palatinus, Moguntinus, Trevir & Coloniensis, Heerenbergę metropoli Montium in Ducatu Geldrico ad peculiares ejus Dynastas spectante, pridie exaltationis crucis per legatos conveniunt: & trium mensium induciis, inter utrumque patrem & filium pactis his exspirantibus ita reconciliandos statuerunt, ut Arnholdo patre à filio Adolpho ex custodia dimisso, eidem vel Buerenæ, vel Lobithi liberè, cum conjuge vivere reditibusque Ducatus Geldrici, uti frui liceret. Cum autem Adolphus his conditionibus non assentiretur, 16 Octobris Rhenobercæ novus conventus, in quo plenè cum Patre reconciliaretur, ab iisdem legatis indictus, successum exoptatum non habuit.

Hic igitur Bellum Geldricum tantisper relinquentes, ad sola Clivensia reflectimus.

Anno 1460 Ioannes noster, qui prius nempe anno 1459 ipsius ad Pontificem Æneam Sylvium Pium dictum secundum Philippi Burgundi legatus Romam iverat, hoc anno ad eundem Arnholdum Heymricium Decanum Santensem ablegavit: itineris sociis stipatum, Petro Elstensis & Ludovico confluentinæ Ecclesiarum Canonicis una cum Ioanne Staertio Secretario suo, qui idibus Octobris Bruxellis iter ingressi 7 Kal. Decemb. Romam appulerunt. *Legatio Romam destinata.*

Eodem anno 1460 Mater Ioannis Maria Burgunda Adolphi patris relicta vidua ex usufructu suo clausstrum Ordinis *Clausstrum Arboris Mariana.*

S. Brigittæ, quod antea tantum sacellum fuit, Treppenbomium (à gradibus quibus arbor querna altior, cui imago B. Mariæ virginis imposita conscendenda erat, appellatum) condidit: 27 Julii, primum virginibus octo velatis in illud impositis, Monachisque qui divino officio præessent, virginumque confessiones excipe-rent, additis.

Arnholdus, Heymricius in libris Sophiolog.

Cum verò fundatrix Arnholdum Boltium pastorem Santensem suumque sacellanum quem habebat charissimum, quomodo fundatio hæc, sibi arrideret, interrogasset, illeque multo magis monasterium hoc quàm mariti defuncti Adolphi Ducis, quod Carthusianis tantum viris in Gravia propè Vesaliam destinasset, Deo, qui Adamo Evam in Paradyso adjunxisset, placiturum, respondisset: Vah, inquit, divini mandati prævaricatores cum nunquam peccaturis comparat. Cui iterum Boltius: contubernium hoc Paradyso præstantius fore non existimo. Imò nisi arctius Monachi & Moniales separentur, atque custodiantur, cum Adamo quoque & Eva in peccatum lapsuros vereor, quod eventus postea in multis Monasteriis re ipsa comprobavit.

Obitus Mariæ Burgundicæ, & Gerhardi Marcani.

Cæterum post fundatum Monasterium anno tertio Christi 1463, 30 Octobris, Maria hæc rebus humanis exempta, apud maritum in Carthusia Gravensi inhumata est: quam eodem anno 12 Februarii, Theodoricus Morsanus Archiepiscopus Colonensis antecesserat.

Anno 1461, 13 Septembris, Gerhardus Marchiæ Comes Joannis nostri patruus, de quo supra, Swertæ Marcanæ etiam obiit: post cujus discessum Marchia cum aula Spiegeliana Coloniæ sita, ad Cliviam rediit.

Hypotheca Cæsar-insulana, quæ Adolpho avo & patri Joannis ex dote Margarethæ Montanæ aviæ debebatur exceptâ: hanc enim Colonienses emptionis prætextu, ut suprà quoque annotatum, ad se rapuerunt: sed cum Comes quoque Mórsensis aliique Domini jus quoque suum in idem pignus prætenderent,

Pignus Cæsaris-Insulanum.

Anno 1463, Dux Joannes Clivius cum Vincentio comite Moersensi, ut hic tertiam, ille duas partes haberet, & de 18 mill. aureis pro quibus Comiti Gerhardo dimidiata Dynastiæ urbis & telonii Zonsiæ pars anno 1454 oppignorata, 8 mill. item aureis atquè 500 cum 15 mill. quæ ei assignata, & à Johanne Clivio, Vincentio Comiti Moersensi, à Gerhardo verò Marcano Duci Lotharingiæ delata erant, ita transegit, ut comes Moersensis de sua portione renunciatione facta, Dux Joannes pignore Zonsio remisso, 20 mille aureos reliquos in pignus sibi soli retineret. Ex eodem Comitis Gerhardi obitu, Eberhardo à Marcka domus **Dielgeist** donata, & cœnobio quoque Hoerdensi, quia & Gerhardus, & Dux Joannes naturalem in id filiam collocarant; villa Schurena ex testamento Gerhardi obtigit. Idem Gerhardus ante obitum anno 1461 monasterium minorum observantium condidit Hammonæ.

Anno

Anno 1464 tota controversia inter Archiepiscopum Colonien-
sem Robertum Palatinum Bavariæ, & Ioannem Clivorum, Duces quæ aliquot annis hactenus continuata fuit, post mortem Theodorici Moersani, anno ut diximus, 1463. 12 Febr. defuncti, ita composita, ut Colonienſis Cæsaris insulâ cum Bielsteinio & Vredenburgio retentis, Susatum & Santenum integras civitates Cliviæ relinqueret. *Pax cum Episcopo Col. inita.*

Anno eodem 1464 die S. Bernhardi, sive 20 Augusti deportationi S. Victoris cum tribus filiis, Ioanne, Engelberto, & Philippo, maximoque hominum tam nobilium quam ignobilium concursu, Dux Joannis Santis adfuit: hanc deportationem Arnholdus Heymericius Decanus Santensis prosâ, M. VVilhelmus Cuserus Rector Calcarensis carmine descripserunt. Anno 1465 Carolo comiti Carolonio nepoti cum bis mille Equitibus contra Ludovicum II. Galliarum regem adfuit.

Anno 1466, Dominica post Bartholomæi inter Marckenses & Tremonienses inopinatus concursus in Brackelio pago factus est, in eo multis vulneratis, multis quoque occisis, succubuerunt tandem Tremonienses illisque Vnnenses vexillum ablatum in templo suspenderunt, hodieque superstes, unde versus: *Belli Martium.*

In Braeckel Vnnenses sagittant Tremonienses,
Qui reluctantes & eis mala vulnera dantes,
Et quoque qui fugerant pellicia multa reportant.

Anno 1467, 15 Junii Philippus Burgundus in fata concessit, cui Carolus Audax filius unicus, atque ex Asse hæres successit, uxore an. 1468 ducta Margaretha Eboracēse Eduardi Angliæ regis sorore, cui præced. anno in expugnatione Leodiensi bis mille equites adduxit.

Anno 1468 Episcopus Colonienſis Rubertus Bavarus, & Adolphus Geldriæ Dux inter se uniti Ioanni Clivio de Scintensi, Susatensi, Resensi urbibus, & ditione Aspeliâ pro Col. diœcesi, Wachtendoncâ verò, Embricâ, Limarsiâ, & nemore imperiali pro ducatu Geldriæ iterum vindicandis, bellum indixerunt. Contra quos Dux Joan. noster. cum Episc. Monasterienſi pridiè Lamberti conjunctus, eidem Dulmoniam & Strombergam reddidit, auxilioq; Wilhelmi Egmundani Vada capta, & 6 Octob. anno prædicto 1468 in præfectura Geldriæ veteri & novâ Ecclesiis incensis Drusiburgum ex improviso adortus, Petro Budbergio, & Joan. Beeckio tradentibus cœpit. Adolphus verò Geldrus cum 8000 militibus Vdenos campos invasit, ferro, igne & præda ubiq; grassando, civitatem etiã Wachtendõcam auxiliarib⁹ Ruberti Archiep. copiis obsedit, cui, utpote cõmeatu destitutæ, cum Dux Joan. eodē an. 2000 equitum, & 9000 peditum manu stipatus prospiceret, in reditu cum provinciali fossæ, quod alii suaserant, præsidio impositio non attenderet, Dux Adolphus cum suis in eadem latitans, ex insidiis Joannem circa cœnobium Sandense, à Joanne à Broichusen ejusque uxore Anna à Straten/ anno 1452 constructum (in quo etiam nobilium *Continuatio belli civilis Geldrici.*

cæsorum arma suspensa sunt) adortus, post omnium Martyrum integræ diei prælium, victoriam obtinuit, sed cruentam, Gumpertum Novariensem & Eberhardum atque VVilhelmum fratres Comites Limburgios cœpit, ipse sagittâ in pede vulneratus, & Matthias ab **Eill** eques auratus, & cum cum ipso Scheiffardus à **Bozнheim** occubuerunt, ambo in veteri campo tumulati, Ioannes verò Dux Clivius Coloniam usque fugatus, ibique à civibus cum suis exceptus, & eorum atque Sophiæ Juliæ & Montanæ ope & consilio in Cliviam suam traductus est: cladis hujus memoria versiculo sequenti inclusa est:

CIgnVM ferè Leo ContrIVIt Corde seCVro.

Cœnobium Sandense. Cæterum cœnobium hoc domus compassionis virginis matris militum ordinis Mariæ, à Joanne à **Broickhusen** / & Anna à **Straten** conjugibus (ex quibus Joannes maritus anno 1452 in terrâ sanctâ obiit) fundatum, ac dotatum, postea Adolphus, Catharina ejus soror, & filius Carolus Duces Geldriæ, Joannes ab **Eill in Gastendonck** / Joannes à **Rossum** / Eberhardus ab **Honstein** / Joannes ab **Arendaell** / Ioannes à **Vonck** / Otto à **Bilandt** / Theodorus ab **Horst** / Gerhardus à **Blodozff** / VVinandus ab **Arnhem** / Remerus ab **Op** / Ioannes **Schienck** / Theodoricus ab **Hozst** / Henricus à **Bilandt** / Reinerus à **Broickhusen** / Ioannes ab **Hemmerden** / Eberhardus à **Wellep** / Henricus ab **Hoemoeth** / ejusque uxor, Ioannes à **Buedtbergh** / Arnoldus à **Bidacht** / quorum multi quoque prœlio huic, loco propè VVachtendoncam & Straelenam medio, inter Joannem Clivorum & Adolphum Geldrorum Duces, anno 1468 commisso interfuerunt, anni versariâ sui memoriâ locupletarunt.

Anno 1469. 29 Ian. VVilhelmus Egmundanus propugnaculum ante Arenacum ab Adolpho erectum expugnavit: contra Adolphus contractis plus minus octo millibus militum agrum Vdemensem depopulatus est.

Pax Col. Geld. & Clivicæ. Ioannes autem noster liberaliter militi suo stipendiis, quod justam cum ipso causam defendissent, solutis, sanguinem, cujus ne unam quidem guttam creare posset, ulterius fundere veritus, ad pacem inclinavit; quæ etiam in Septembri hoc eodem anno eâ conditione per Vincentium Comitem Mörsensem constituta est, ut Ioannes Clivorum Dux, affini Adolpho Geldriæ Duci Arnheimio, Vada & Drusiburgo restitutis, & propugnaculis ante VVachtendonciam, Schulenburgum & Uffeldium pagum demolitis, ab Episcopo Santensem & Susatensem urbes integras retineret: omnes denique censuras Episcopi VVormatiensis, contra quas Ioannes noster anno 1466 exceperat, Robertus Archipræsul quadriennio suspendat, à quibus tamen interea nempe anno 1469 plenè absolutus est. Controversia denique ob Susatum & VVerlam utraque parte auditâ, componeretur, pagus **Geisteren** / VVachtendoncæ

acce-

accéderet, reditus vero ejus inditione Kempenſi Cliviæ manerent.

Interim tamen Adolphus Geldrus patrem captivum non dimiſit, imò novum cum Colonienſi Archiepiſcopo Brederodiis, & Rege Galliarum contra Carolum Burgundum, Ioannem Clivium, & Davidem Epiſcopum Ultrajectinum fœdus icit, quod Dux Ioannes Clivius ex literis ancillæ cujuſdam Clivenſis apud præcipuam Neomagenſem matronam famulantis didicit, eaſque Burgundo tranſmiſit, qui idcircò à Papis Paulo II. & Sixto IV. an. 1470 excitatus, Adolphum Geldrum per Ioannem Clivium, & Ioannem de Berg Gandavum primum, deinde cum primâ vice hunc locum recuſaret, Heſdinum evocavit, ubi quidem cõparuit, ſed animum Burgundi alienatum ſentiens, illique diffidens, clam duobus equis exceſſit, à Carolo verò Namurci in fuga retractus, & primũ Vilfordiæ inde Coltraci cuſtoditus, patrem tandẽ Arnoldum Egmondanum in vigiliâ Nativitatis Chriſti, eodẽ an. 1470 carcere liberavit, quem Carolus Burgundus cum gaudio honorificè excepit, filioque Adolpho Ducatum, patri Graviam cum 6000 aureis annuis aſſignavit, ſed cum in conditiones has Adolphus necdum conſentiret, omnium aurei velleris equitum ſententiâ anno 1473 ſexto Non. Maji Valencinis conventu habito exauthoratus, & ante Tornacum anno 1477 lancea transfixus eſt; atque ſic patrem Carolus legatione ad Status miſſa, in Ducatum Geldrium viciſſim introduxit, licet, repugnantibus Neomagenſibus, anno 1471 cum fratre VVilhelmo Egmundano ejuſque filiis Burgundico & Clivio exercitu conjuncto, Geldriaque & Gravia expugnatis, vi eidem aditum patefacere coactus fuerit.

Quo eodem anno 1471 Arnholdus Dux Johanni Clivenſi affini Duiſſliam à filio Adolphò redemptam cum feudo Calbeccenſi & Noergena pro 1000 aureis iterum oppignoravit, & ut hæc 2000 aureorum pretio ædificaretur, & nunquam impoſterum pignus liberaretur, conceſſit.

Idem Arnholdus Egmundanus ob hanc filii Adolphi inobediẽtiam, cum anno 1472 in Septembri Carolum Burgundum primò tutorem Geldriæ conſtituiſſet, 7 Decemb. eidem totam ditionem, filio exhæredato, pro bis mille centenis aureis vendidit, & poſtmodum ipſe Graviæ 24 Febr. anno 1473, uxor verò Catharina Clivia anno 1476 Lobithi vivis exceſſerunt. Poſt Arnholdi mortem Gerhardus Julius anno 1473, 30 Junii, jus quoque ſuum in Geldriam in eundem Carolum metu tanti hoſtis, & ne ſe ſuoſque perderet pro 820000 aureis tranſtulit. Quia verò civitates in Carolo recipiendo difficiliores ſe præbebant, dominiis Keſſelio & Krieckenbeccio in poteſtatem redactis, Morſam (quia Vincentius ejus Comes, Geldriæ Adminiſtrator erat) Sittardum item, Suſteram ſive Sororiam, & Vuichtam, quæ antea Comites Morſenſes à Reinoldo Duce Geldriæ in pignus acceperant, expugnavit, pignus tamen poſtea iiſdem reliquit: dehinc Venlonam obſedit, quæ cum

VVachtendoncia, Herculena, Stralena, Geldria, Gochia, Gravia, Tiela, Bommelia, ei sese dedidêre, soli Neomagenses claustro ante portam diruto, urbeque sua munita (in qua Carolus Adolphi filius octennis cum sorore Philippina ad animandos cives in muris circumductus fuit) Gubernatore Reinhardo à **Brouchusen** equite restiterunt, ad hanc ergo urbem (ut versus memorialis habet)

CaroLVs eCCe Vagos non VI VICit neo Magos,

Festivitate SS. Petri & Pauli Apostolorum, sive 20 Junii cum Joanne & Adolpho Cliviis castrametatus Carolus à civibus per eundem Ducem Clivium depreeantibus, ubi 80 mille aureos pro λύτρῳ pependissent, in gratiam receptis, tanquam Dux eorum, ipsa S. Jacobi diem præcedente vespera susceptus, Adolphi liberos ad matrem Margaretham Borboniam in Galliam ablegavit, & à reliquis Ducatus arcibus & oppidis Lobitho, Drusiburgo, Zutphania, adeoque integro Ducatu admissus est, & sic, ut versus memorialis loquitur in suum maximum commodum & emolumentum:

PeCCatVM gLadIo CaroLVs CorreXIt AdoLphI.

Joannis bello Geldrico acquisita.

In singulis urbibus præfectis è suis constitutis & tota provincia anno 1473 à Friderico Austrio Cæsare Treveris investitus: qui tamen regnum ex omnibus, quas tenebat provinciis numero 17 quærens ab Imp. rejectus Lutzenburgum petens, corpora parentum Philippi & Isabellæ Portugallicæ juxta avum & proavum Joannem & Philippum in Monasterio Carthusianorum prope Divionem condidit.

Carolus autem Joanni Clivio pro fideli in hoc bello navatâ operâ, Gochiam, Duiffliam, VVachtendoncam, Lobithum, Noergenam, præfecturam item Eltinensem, cum jure Angerloicæ parochiæ & Embricensi jurisdictione usque ad domum **Remnade**/& inter Issulam veterem & novam, atque Rhenum sese porrigente hæreditariè possidenda anno 1473, 2 Augusti concessit: quæ postea anno 1477 Maria unica Caroli filia, & Max. Austrii conjunx, & anno 1505, eorum filius Philippus rex Hispaniæ, & Carolus V. Cæsar nepos, anno 1543 confirmarunt, ac proinde Dux Joannes quoque omnium possessionum quietam consecutus, Gochiæ, quia cives ejus nonnihil adhuc reluctabantur, anno 1477 turrim fortem construxit, civibusque de electione Magistratus & judiciis cum vino honorario privilegia dedit, castrumque **Middelet** in præfectura hac situm Johanni Scenckio in pignus, postquam reversales literas prius ab eo accepisset, contribuit, quas tamen eâ quâ decèt fidelitate non adimplevit, Lobithum verò castrum cum telonio anno 1479 obsedit & cœpit.

Bellum Colonienſe civile & obſidio Noveſiana.

Post bellum Geldricum feliciter absolutum cum in diœcesi Colonienſi inter Archiepiscopum Robertum, urbes Coloniam & Novesium aliasque, & Capitulum ejusque coadjutorem Hermannum Hassum ob dominia hypothecariis dominis ablata dissidium exortum esset, Robertus Carolum Burgundum in subsidium vocavit, qui altera Pantaleonis anno 1474 Novesium exercitu suo,

sub

sub prætextu quidem ut patruo Roberto rebelles subditos in ordinem redigeret, re ipsa verò ut urbem hanc ab imperio avelleret, obsedit: cum Imperatore etiam Friderico tertio Austrio obsessis in auxilium per Albertum Electorem Brandeburgicum Achillem dictum Germanicum conflixit: donec anno insequenti 1475 ipsa Petri & Pauli, operâ Alexandri Papæ cum Frid. III. Imperatorem, & ipsum reconciliatione factâ, Carolus obsidionem solveret, Rubertus verò in Hassia ab Henrico Hermanni fratre in fugâ retractus, post duorum annorum custodiam anno 1480 obiit, cui eodem anno 1480 altera Laurentii Hermannus successit, Coloniam solenniter introductus, atque inauguratus.

Anno sequente 1487 & 88 cum ipso adsentientibus ordinibus, nobilibus & urbibus filius Johannes, Joannes II, de quo in sequentibus, pactus est.

Hoc etiam bello finito idem Carolus cum Eduardo Angliæ rege ad Galliam oppugnandam animum convertit, sed rex Ludovicus cum ipso pacificatus iniquissimas potius conditiones elegit, quàm cum hoste tam bellicosissimo, & toti mundo formidabili congredi. *Bellum Gallicum.*

Carolus autem pacis & quietis impatiens Lotharingiam denuò aggressus, eam totam fugiente duce Renato annos tum nato 20 occupavit. Cum verò Helvetios quoque irritaret, ante Nancæam quam Renatus interea recuperarat, toto ejus exercitu fuso, anno 1477 ipsa trium Regum occubuit, ubi ipsi epitaphium tale conditum dicitur: *Bellum Lotharingium & Helveticum.*

Te piguit pacis, te duit que quietis, in urnâ
Mortue jam Carole, litis amice jace.
Æthera num pateant tibi, vel descensus averni,
Sollicitus nec eras, me neque cura premit.

Memoriale verò chronostichon hoc est:

NanCI noCte regVM CaroLVs oCCVbVIt ense,

vel:

SVItzIa BVrgVndos CaLCans doMat eCCe sVperbos.

In omnibus verò his expeditionibus Ioannis nostri filium primogenitum Ioannem II. præsentem habuit; quo ex prælio reverso pater cum fratre Adolpho Ravensteinió, & filio Gandavum ad filiam Mariam, quam Carolus hic audax unicam amplissimarum provinciarum hæredem reliquerat, idibus Febr. anno 1456 natam, & à Beatrice Ravensteina Adolphi conjuge educatam, consolationis ergo profectus est.

Geldri verò ejus morte intellectâ rebellare anno 1478 iterum cœperunt, & Friderico affini VVilhelmo VVilhelmi Egmundani filiis Neomagii captis Burgundisq; patria ejectis, Catharinæ Adolphi sorori habenas imperii commiserunt, Iohanni verò Clivio matrimonium inter filium ejus Iohannem II. atque Philippinam Geldriam, & vicissim inter Carolum Geldrum Adolphi filium & Mariam Cliviam reciprocum proposuerunt, quod non successit: deinde *Bellum Geldricum secundum à Burgundica domo gestum, quæ eadem provinciam sibi vendita asserunt.*

deinde Friderico Brunſwicenſi in gubernationem Geldriæ evocato ad conjugium cum Catharina Geldra Adolphi ſorore hortatores fuere, ſed & hoc irritum fuit. Maximilianus ergò Auſtrius, Maria unica Caroli filia anno 1478 ductâ, cum in 17. provinciis Belgicis, adeoque etiam Geldria ob eam ſuccederet, cum Johanne noſtro Clivio ad Geldriam occupandam ſe conjunxit, & in Octobri pagis in territorio Neomagi exercitum exhibuit, cum quo præſidiarii prælio decertantes, ex iis Vincentius Swanenburgius cum novem aliis in Hoemeniâ Dynaſtia captus, & Cliviam abductus eſt. In Februario porrò anno 1479 Maximilianus VVilhelmi Julii, Joannis Clivii, Hermanni Haſſi, Epiſcopi Colonienſis, Adolphi Naſſoviæ, VVilhelmi Novæ Aræ, Phil. Vierneburgici & Ioannem Vnckelii Comitum auxilio Ruremundam & Inſulam Bommelianam expugnavit, contra Geldri, cum Burgundi Batenburgiam & Leoninam arces cœpiſſent, eos adorti 300 internecioni dederunt, & Geldriam obſeſſam liberantes, Kevelario & Afferdeno pagis in præfectura Gochia exuſtis, omnem Burgundionum commeatum cum tormentis & impedimentis diripuerunt; Ioannes verò Clivius anno eodem 1479 Lobithum obſeſſum 16 Julii in deditionem accepit, arceque Hoemena tradita ſex ſeptimanarum inducias pactus eſt. Geldri in Friderici Brunſwicenſis ſubitaneâ morte extincti locum, Henricum Swartzenburgium Monaſterienſem Epiſcopum, Ioannis ex ſorore Eliſabetha nepotem, Zutphanienſibus licet eorumque Capitulo fidelitatis juramento obligatum, gubernatorem ſuum elegerunt.

Hunc ergo Maximilianus Auſtrius per Adolphum Naſſovium anno 1480 trajecto Moſa in pago Ravenſwadio aggreſſus, propugnaculis ad Vadam in Rheni ripam dejectis 27 Aprilis ibidem obſedit, & Neomagos obſidionem diſſolvere conantes in pago Heuſdenio intercepit, eorumque in Ranwickianam arcem fugientium 400, inter quos multi Harderwiceni, delevit. Henricus igitur cum Ioanne Clivio avunculo reconciliatus, Monaſterium rediit, Vada & Elburgum deditum, Gravia autem tribus munitionibus vallata fuit.

Catharina Geldra à Ludovico Galliæ rege, Archiepiſcopo & Cardinale Lugdunenſi, Scotiæ quoque rege & Duce Borbonio ſuppetias quærens, nil niſi bona verba accepit, Venlonam interim Geldri 27 Septembris receperunt, Heringium pagum diripuerunt, ut tandem Tiela quoque & Bomelia traditis, Maximilianus Auſtrius ipſo S. Viti anno 1481 Neomagi, & poſtmodum in toto Ducatu Geldro inauguratus ſit.

Anno 1473 Ioannes Clivius mortua Iacobâ ſocru ditiones ejus relictas omnes adiit Ioanne parvo præfecto conſtituto.

Opera Eccleſiaſtica.

Inter opera Eccleſiaſtica Dux Ioannes multa monaſteria partim fundavit, partim confirmavit & reformavit.

Nam domui fratrum in urbe Veſaliensi multas immunitates, anno 1450 conceſſit à filio Ioanne II. confirmata.

Cum

Cum etiam Henricus Raescop Udenheimiensis præpositus S. Mariæ Trajectensis anno 1456, in usum pauperum studiosorum Udenheimiæ sacellum constituxisset, consensu Ducis Ioannis monasterium Monachorum regularium ex eo conditum, ejusque bona immunitate donata sunt.

Posteà verò monasterio vallis gratiæ in villâ Gansuick propè Clivopolim ab eodem Raescopio ædificato, Regulares illuc translati sunt, & cœnobium Udenheimense Monachis de monte S. Odiliano, sive S. Sepulchro anno 1580 concessum est, dum an. 1590 in bello Belgico monasterio vallis gratiæ destructo Regularibus suum Udenheimense vetus cœnobium iterum datum est.

Monasterio Campensi antiquam libertatem curruum & bonorum pedagii in telonio Gennepensi ad intercessionem Elberti ab Alpen præfecti sui provincialis, anno 1456 renovavit.

Dominicanorum seu Prædicatorum cœnobium Calcariæ ipsius auspiciis post reditum ex itinere sacro anno 1464, 19 Septembris juxta reformationem ordinis ab ipso Bononiæ visam cœptum, & anno 1480 consummatum & consecratum est.

Anno 1475 festo Ascensionis Domini Ecclesiæ collegiatæ VVischelensis S. Clementis, cujus patronatum à majoribus accepit, statuta præsentibus Hermanno Bracht de Aquisgrano præposito, Ioanne Peregrini de Bercka in S. Theologia Magistro, & Rutgero Theodorici de Holt Scholastico Clivensibus renovavit.

Conventus Stochumiensis, Camensis, Emmericensis ab eo confirmati.

Cœnobia Kentorfium, Hagenbuschium, & Furstenbergium ab eo reformata sunt.

Kentorfium in Comitatu Marcano propè Hammonam situm ordinis Cisterciensis, mense Septembri die S. Hieronymi, anno 1460 clausum.

Hagenbuschium propè Santos ordinis Benedictini, per Abbatem S. Martini Colonienſem Adamum Mejerum, Archiepiscopi Commissarium, ejusque Subdelegatum Arnholdum Heerenhaevium Carthusiæ Gravensis prope Vesaliam priorem reluctantibus licet vestalibus, claustroque contra ordinis institutum reclamantibus, 5 Martii anno 1465 ad clausuram reductum: præsentibus Hermanno à Braeckel Aquensi præposito Clivensi, Joanne à Loë equite, Helmichio Benthingio, & Eberhardo à Tyll, Joannis nostri Ducis Clivorum consiliariis. Virgines autem multæ nobiles, hujus clausuræ impatientes per muros vel occultos meatus, non sine literarum Monasterii, de ejusdem bonis & agris, jactura, elapsæ, pro nobilibus, à quibus solis olim inhabitatum, nunc promiscuè ettiam ab honestorum civium filiabus frequentatur.

Fursterbergium itidem propè Santos, sed Cistercienſis instituti, à Palæopedio sive veteris campi Monasterio, ejusdem instituti Visitatore generali, anno 1467 reformatum est.

Porro idem Ioannes noster Clivorum Dux secundus, anno 1463 sororcu-

sororcularum plebeiarum Ducatus sui conventibus, de numero Monialium ab iisque nullis præter ea quæ habent, bonis, mortificandis leges præscripsit.

Idem denique inter opera Ecclesiastica anno 1474 Monasterii VVerthinensis reformationem promovit tribus ex eo comitibus, atque inter eos Conrado à Gleichen Abbate ejectis, inque hujus locum Adamo Mejero S. Martini Coloniæ Abbate suffecto.

Opera politica interque ea acquisita.

Inter opera politica numerantur acquisita, quæ sunt quod præter hæreditatem Niversiam & Esthampiam in Gallia per conjugium acquisitam, urbium item Susatensis & Santensis confirmationes sibi hæredibusque factas, partes denique Geldricas bello comparatas, etiam multi Equestris dignitatis viri, castra atque arces suas ejus homagio se subjecerunt.

Feuda.

Nam Goswienus Steck Eques & Cliviæ Marescbalcus, anno 1452 in profesto Cæciliæ castrum suum, & dominium Loë primò Provinciæ Clivensis feudum esse voluit. Deind. ipso anno 1470 defuncto executores Testamenti à se conditi illud cum parochia VValachia Cliviæ vendiderunt.

Ioannes quoque ab Appeldorn arcem Persingiam,
Ioannes Mummius castrum Kedense,
Reinherus ab Oy dominium suum Oyæum,
Gertrudis à Biland arcem Spaldorsianam,
Ioannes à Biland castrum Haltense,
Reinherus à Bruchuisen dominium Calbeccense, Ducatus Clivorum feuda agnoverunt.

Status nobilitatis.

Statum nobilitatis reliquum quod attinet:

Anno 1450 ad Cliviam spectantes villicos in Elp & Ermel Velaviæ pagis, quibus Henricus à VViscb infeudatus fuerat, post ejus mortem iterum ad provinciam suam traduxit, & census annui acceptionem, atque expensionem quæstori suo Limersio demandavit.

Dominium Ghemense, quod pater Adolphus anno 1444 Henrico Ghemæ & Bredevordæ Domino confirmavit, ille anno 1464 ratum habuit, eoque illum investivit.

Naturali fratri Adolpho Blanckensteinio, Ioannes Dux villam Elseniam in parochia Nutterdensi cum arce Clarebecia, qua pater Adolphus anno 1438 eum donârat, ipse anno 1477 eidem confirmavit, & ambabus ex Margaretha Appeldornia natis filiabus continuavit, quarum una Theodorico Smullingio, altera Adelhardo ab Eyll nupsit: & quia postrema sine hæredibus obiit, successio ad Theodorici Smullingii filiam Selbachio nuptam transiit: & per hujus itidem gnatam ad Ioannem à Lutzenraed præfectum Windeccianum in Ducatu Montano pervenit.

Idem filiæ naturali Mariæ Heshusiæ, anno 1477 molam in Eltena inferiori hæreditariè concessit.

Status urbium.

Quoad urbes, Susatum ab anno 1444 Marchiæ suæ gladio acquisivit,

Sante-

Santenam anno 1449 Provinciæ Clivensi integram adjecit.

In urbe Vesaliensi controversiam exortam, anno 1450 composuit.

Districtui Altenano & Ludenschedio in Comitatu Marcano, die Jovis post Dominicam Oculi, anno 1472 de tributo privilegium concessit, quod ejus filius Ioannes II. Jovis post Luciæ, anno 1496, & nepos Ioannes III. Mercurii post Viti anno 1506, itemque Sabbathi post circumcisionem Domini, anno 1518 confirmarunt.

Cum diversis Principibus, diverso tempore unitus est. *Unionis & pacis.*

Anno 1458 cum Gerhardo Iuliæ & Montium Duce de subditorum jure & adversum hostes defensione mutua.

Cum eodem etiam anno 1460.

Cum Colonienſibus anno 1460. 61. 63. de immunitate subditorum reciproca.

Cum Monasterienſibus anno 1471.

Cum Egmundanis de terminis in Lathum & Groesbeeck anno 1476.

Eodem anno cum Oswaldo Montium Comite, Ioanni Grevio Advocato ejus Salvoconductu dato, sed violato, nihilominus servato.

Arnsbergium & Ebersbergium castra in VVestphalia Hermanno Hasso Colonienſi Archiepiscopo reditibus perceptis renuntianti, iterum tradidit.

Cæterum hic Clivorum Dux secundus post patrem Adolphum, pulcherrima pietatis, prudentiæ, temperantiæ, benignitatis, atque moderationis reliquit Apopthegmata. *Apopthegmata Ioannis.*

Pietatis illud est insigne: DEUM gloriam, vindictam, & conscientiæ judicium sibi soli reservasse.

Inprimis de ea plenâ voce loquitur, hæc religiosi Ducis quotidiana oratio: *Oratio quotidiana.*

O Æterne Deus & Pater mi, hic tanquam peregrinus vivo & versor; Id circo ex mortali isto corpore liberari à te, cum gaudio desidero, tuoque conspectu in cælis frui. Tu ergo move & calefac frigidam istam animam, ut nihil præter te unum amem, & colam unicum cordis mei desiderium & solatium: Effice præterea, ut aspectabili hoc mundo contempto ad invisibile illud, & cæleste gaudium totus anhelem.

Temperantiam ejus testatur, quod inter cætera cum videret vinum à multis immoderatius hauriri: utinam inquit Deus unà cum vino, necessarium tantum vini usum concessisset, & unicuiq; modum statuisset.

Cum verò Primorum quispiam eum insitæ clementiæ argueret, curque non omnes promiscuè noxios semel constitutis pœnis mulctaret: quia, respondit, sanguinem fundere vereor, qui ejus minimam creare guttam nequeo. Sæpius etiam Principibus nimia austeritas magis quam indulgens bonitas nocuit: reversi non raro ad cor fuêre fontes, at cruor semel effusus nunquam redit.

Insignis denique & hæc est vox atque Christiano principe dignissima.

gnissima, quâ præfecto cuidam durius aliquanto, quam opottuit, in subditos imperium exercenti, edixit: se sibi obtemperantes non tam trahi quam molliter duci velle, quippe quos instar propriorum liberorum amore prosequatur.

Ætate ingravescens & curis cum podagricis doloribus etiam aliquamdiu conflictatus est, morbum hunc naturæ suæ conjugem dicens, eoque magna cum patientiâ tolerato, versum ex Ovidio citavit sequentem:

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Tandem dierum satur & laborum, in fata cõcessit, octavâ pomeridiana 5 Septembr. anno 1481, quem Elisabetha conjunx eadem ferme horâ 2 Iulii anno 1483 insecuta est:

Ambo in templo Clivorum collegiali conditi. De Iohanne hoc bellicoso ita Streithagenus:

Ioannes viridi Princeps animosus in ævo,
Pro seniore tulit fortiter arma Patre.
Tum pietatis amans Syriæ loca sacra petivit,
Et Christi ad tumulum sumpsit Equestre decus.

DE
ADOLPHO CLIVIO,
Iohannis Ducis fratre, Dynasta Ravensteinio & Wienendalio.

FRater Ioannis Adolphus, vesperâ SS. Petri & Pauli 13 Martii, anno 1425 in lucem editus, anno 1450 ex testamento patris, ejusque executione, nomine avunculi Philippi Burgundi à Ioanne Bergæ prætextæ Marchione & Simone Lalainio Montignii Dynasta, 10 Martii in arce Clivorum factâ, Ducatu Clivensi, & Comitatu Marcano integris relictis, Ravensteiniâ cum 700 coronis ex Sylvæ-Ducis reditibus annuis, V Vienendaliâ item atque Breskesia cum duobus coronatorum millibus ex æratio Brugensi dotatus est: Et Ravensteiniæ quidem hæreditatem anno 1463 adiit, V Vienendalia verò anno demum 1473 Iohanne Burgundo Nieversio Comite, & Iacobâ ejus uxore defunctis, potitus, eam arce splendidissima exornavit, cui Ioannem Parvum Toparcham præfecit.

Adolphus hic natus Clivorum Dux, anno 1453 Beatricem Portugalicam uxorem duxit regiam, quippe quæ 16 regum insignia in Genealogia sua numeravit. Cum Petri Cornubiæ Ducis & regis Portugaliæ fratris filia esset; Maritum etiam 25 mille coronatis annuis, atque in Monte Portugaliæ successionis spe dotavit.

Ex hac natus Philippus in Dynastiis Ravensteinia & V Vienendalia Patris successor.

Ea vero mortua, anno 1468 Annam Philippi Burgundi notham

acce-

accepit, quæ in Comitatu fuit Margarethæ Maximiliani Imperatoris filiæ, cum in Galliam ad regem Carolum VIII. duceretur.

Vitam & res gestas Adolphi hujus Clivii quod attinet, is in familia Philippi boni ejusque filii Caroli Burgundiæ Ducum Gandavi educatus, anno 1452 contra rebelles cives iisdem suppetias tulit.

Anno 1455 Davidi Burgundo notho Episcopo Ultrajectino suffragarus est.

Anno 1465 contra Ludovicum undecimum Galliarum regem Carolus Burgundus bellum gessit, cujus partes Adolphus quoque noster secutus ad sinistrum latus cum Jacobo, Petri, S. Pauli comitis fratre & aliis constitutus, in prælio propè Lutetiam commisso, ab exercitu numero inferiori in fugam conjectus cum sociis plerisque omnibus in sylvam propinquam excurrit, ex eaque Carolo Saucio occurrit, qui vulnere curato bellum instaurans, cum Comite Paulino, Duce Biturige fratre regio, & Joanne Britanno Calabriæ Principe conjunctus, iterum Lutetiam cum universo exercitu contendit: sed rege cum tota nobilitate & maximis è Normanniâ copiis contractis aditu prohibitus; cum facto ponte derepente exercitum per illum transmisisset, Ludovicus rex inducias petere coactus; eas his conditionibus impetravit; ut fratri Normandiam, Comiti Paulino Conestabliatum Galliæ tribueret: quod cum præstaret, Carolus quoque plenam cum rege pacem iniit, qui ei Ambianum quoque Abbevillam Sanctoquintinum, Peronam & quæ sunt alia ad Somam oppida reddidit. *Ph. Comæ minæus in historia.*

Hinc Carolus adversum Leodios profectus Brabantis & Namurcis, qui excursione factâ patrem Philippum vexaverant, in ordinem redactis, ad suos revertitur.

Inter Normannum autem, & Britannum novâ ortâ dissensione, Ludovicus Rex Normanniam recuperavit. Carolus igitur Britanno domum reverso, Depæ maritimo Normanniæ oppido præsidium imponere cogitat, sed antequam adduceret, Rex Ludovicus cum præfecto urbis pactus erat. Carolus posthæc Dinantum in finibus Leodiorum oppidum, cujus cives Bovillos, qui sunt ad alteram fluminis ripam Burgundici imperii, perpetuis excursionibus vexaverant, post 8 mensium obsidionem anno 1466 deditione cœpit: sed cum non multo post Dinantenses ejus pactionis pœnitudine ducti, de quatuor civibus, qui illius consilii auctores fuerant supplicium sumpserunt, bellumque quod vicinis Namurcis inferebant, redintegrarunt. Denuo igitur eos Carolus circumsedit, à sancto Pauli comite, Galliæ Conestablio adjutus; & captum oppidum solo æquatum; & 800 circiter captivi in flumen præcipitati sunt.

Anno 1468 cum Carolus Margaretham Eboracensem, mortuâ Elisabetha Borbonia mortuę superinduceret, è sex aulæ Burg. proceribus primus fuit, qui sponsam in regiam deduxit. In iisdem

nuptiis Annam Philippi Burgundi notham, Adriani Barſalii viduam, uxorem ſecundam accepit.

Idem Adolphus in bello Leodienſi Carolo adfuit, ejuſque peditatum duxit.

Pro Philippo filio Mariam Caroli Burgundi gnatam & tantarum provinciarum hæredem, 5 Febr. anno 1457 ex Eliſabetha Borbonia Caroli filia, natam quam uno ſimul tempore Delphinus Galliæ Nicolaus Calabriæ, Philibertus Sabaudiæ Duces, & Maximilianus Auſtrius, Cæſaris Friderici III. filius uno tempore ſimul ambierunt, in matrimonium ipſe quoque petiit, verum quod domeſticè notus filius, ejuſque mores puellæ non uſquequaque probarentur, non impetravit; ſed Maximilianus Auſtrius ob factam patri Friderico à Carolo in obſidione Noveſia promiſſionem Treveris renovatam, hanc poſteà accepit: multum reluctantes Gallo, qui inprimis eam filio Delphino tradere ſatagebat. Hugoneto & Imbercurtio præcipuis Mariæ proceribus ei faventibus, quia verò Maria ita à patre edocta à Gallis abhorrebat cum Adolpho hoc noſtro Ravenſteinio conſilia communicans, Hugonetus & Imbercurtius à Gandavenſibus ipſo procurante capti, & capite etiam fruſtra deprecante Mariâ plexi ſunt, Gallus igitur ut cædem eorum ulciſceretur, Arteſiam invaſit.

Hic denique Adolphus Philippo Maximiliani filio Gandavi educato, primis annis, moderator adhibitus eſt, atque rector.

18 Septembris Obiit anno 1492, ~~12 Octobris~~ ætatis anno 67. Bruxellis apud Prædicatores in collegio eorum a ſe condito ſepultus, quo anno & die etiam pax Sluſana, ubi Adolphus antea obſeſſus fuerat, inita eſt, Anna Burgunda maritum anno 1509 ſecuta ibidemque juxta cum tumulata fuit.

Philippus Adolphi filius Ravenſteinii & VVinnendaliæ Dynaſta, anno 1477 mortuo Carolo Audace, cum Maximilianus Mariæ ejus filiæ nuptias urgeret, Gallis Burgundiam Flandriamque evaſtantibus, & quibuſdam Belgii proceribus, quorum ille dux & caput erat, res ad Gallos trahentibus, quia vehementer his nuptiis adverſabantur, id agebant, uti ritas redderent. Sed vicit fortuna Maximiliani, anno 1479 Maria Burgundica accepta, & licet à ſeditioſis ſubditis graviter exagitatus, ſemel etiam Brugis obſeſſus & novem menſibus captus, arctéque cuſtoditus, & contumelioſè tractatus, terrore inſuper aſſiduo excruciatus, atrocia ſuorum in urbe indignaque ſupplicia ſpectare coactus fuit, tandem tamen octennii totius bello præcipuas provincias ſoceri Caroli omnes, induſtriâ victoriis & ſumptibus præcipuè Alberti Ducis Saxoniæ & Engelberti Naſſoviæ comitis recepit, éque captivitate aſſertus eſt. Philippus autem noſter clientelis & ſociorum auxiliis exutus, Belgio relicto ad Gallos ſe contulit, claſſique Gallicæ præfectus aliquanto poſt infæliciter cum Turcis conflixit.

Nam æmulatione gloriæ cum Magno Conſalvo ductus invitantibus Venetis, pleriſque Gallicæ nobilitatis juvenibus, & ante alios

alios Ioanne Stuardo Albaniæ regulo, in Scotia regiæ ſtirpis adoleſcente ſtipatus in Leſbum inſulam adverſus Turcas navigavit, ut Conſalvi decus Cephalæniâ feliciter partum, ille expugnatâ Mythilene tanquam nobiliore urbe inſulâque ſuperaret: ſed ab urbe, cujus mœnia tormentis latè proſtraverat, propugnantibus ingenti animo Turcis repulſus, inſulaque excedens, atrox ac vehemens tempeſtas in Ægeo mari adeò naves ejus diſſipavit ac jactavit, ut nulla ex his quæ ſuperfuerunt, aliarum curſum tenere potuerit. Ille igitur prætoriâ, ſed ea quoque adeò quaſſata, ut violenter ad Cytheream inſulam ſcopulis illiſa, magnis rimarum hiatibus aquam undique admitteret, conſcenſâ, Leminudus cum nobilioribus ad proxima Calabriæ littora appulit, ad quem cum nauſea cõfectum, tam recentis periculi imagine reique malè geſtæ dolore conſternatum, omnique caſtrenſi & domeſtico exutum apparatu, continuo dona miſit Conſalvus, quæ & præſenti rerum fortunæ maximè congruebant, & (ſi multitudinem pretiumque ſpectes) regiam liberalitatem ſuperare videbantur. In his præter omnis generis commeatus vim ingentẽ fuere ſericę veſtes precioſis libellinarũ cervariorumque luporum pellibus ſuffultæ, itemque lecti ſerici, ſtragulæ tapetes & vaſa argentea in menſarum uſum, nobileſque aliqui equi phalerati, tantuſque horum omnium numerus fuit, ut ad comites ferè omnes ea liberalitas perveniret, quibus muneribus adeò ſibi Gallorum animos obligavit, ut tantum virum cum omni laude tum eo ipſo quod regebat regno, dignum prædicarent: Ipſeque Philippus Ravenſteinius noſter minus iniquo animo acerbitatem fortunæ ferebat, quum nullâ in re ſe Conſalvo parem eſſe fateretur. Verum milites Hiſpani qui Gallis plurimum ea dona invidebant, Conſalvum de alieno liberalem eſſe in contuberniis & coronis apertè dictitabant, ſtipendia etiam ab eo flagitabant, quos Conſalvus prudenter compeſcuit.

Anno 1487 idem Philippus Ravenſteinius Franciſcam Lutzenburgiam, Petri Lutzenburgii, cujus pater Ludovicus Lutzenburgius ſani S. Pauli comes Pariſiis capite plexus fuit, filiam uxorem duxit. Ex qua cum nullos legitimos haberet hæredes, Adolphum Ioannis ſecundi Ducis Cliviæ filium nepotem adoptavit, ſed cum is quoque anno 1525 juvenis in Hiſpaniâ vitâ defungeretur, anno 1528 in caſtro VVinnendalio Philippo mortuo utraque Dynaſtia ad Cliviam rediit: Ejus ſymbolum fuit:

Decipimur votis, & tempore fallimur: at mors
Deridet curas, anxia vita nihil.

IOHANNES ejus nominis secundus, sub Friderico & Maximiliano ejus filio Austriacis Impp. Dux Cliviæ tertius, Marcæ Westphalicæ Comes in ordine 16 Cattorum, denique Comes Provincialis ex conjugio in sua familia primus, ob summam tum pietatem, tum mansuetudinem dictus misericors.

Nativitas. NAtus 23 Aprilis undecima ante-meridiana anno 1458, & ab Henrico de Rhay Abbate Campensem in ordine 26, rogatu patris in arce Clivensi, in qua etiam in lucem editus, baptizatus est; ob quam initiationem Christianismi, Baptista, Schyphum argenteum inauratum pro Monasterio suo à Genitore retulit.

Educatio. Educatus autem est in aula Burgundicâ perinde ut parens, belliscque multis externis, ut supra in historia Patris diximus, & inter illa quoque pugnæ Nancæanæ, anno 1477 cum Carolo Burgundo, qui ibi occubuit, interfuit. Ex hac redux, & à Patre adhuc superstite, rogatus, quomodo sibi strages illa hominum arrideret, adeo sibi placere respondit, ut sine bello tali vivere non cupiat. Consiliarii igitur hunc bellicosum Principis animum post obitum Patris, voluptatum lenociniis expugnandum rati, his licentius indultis Joannes adeo strenuè litavit, ut 63 liberorum in cœlibatu ab ipso naturâ non lege genitorum Pater, & ideò Proletarius **der Kindermacher** communi voce dictus fuerit: quibus multas quoque arces cum reditibus annuis in Ducatu Clivio & Comitatu Marcano assignando utramque provincam mitis modis enervavit gravibusque debitis oneravit. Vtinam verò inquit Arnholdus Heymricius Decanus Santensis in libris suis Sophiologicis consiliarii in hoc negotio timorem Dei à glorioso Principis animo non exclusissent, qui Carolum Burgundum primis juventutis annis, ubique in exemplum fortitudinis sectatus, si cum eâ castitatem quoque conjunxisset, multis modis patriæ prodesse potuisset.

Anno 1481 patri defuncto in Ducatu Clivio, & Comitatu Marcano successit, & ubi Arnholdum Heymricium Decanum Santensem ad Imp. Fridericum, cui se, ob feuda hæc Imperii coram à Majestate Cæsarea, non accepta, excusaret, submisisset, in utraque provinciâ homagio à subditis inauguratus est. Præsentib⁹ ubique præcipuis proceribus Theodoro à Batenburgh Archiprafecto Clivio: Joanne ab Horst, Dinslacensi, VVesselo à Loe Limarsio, Joanne à VVylich Hetterio præfectis, & Christophoro à VVylich Camerario.

Res gestæ in celibatu. In imperii autem ejus initio bellum Hollandicum novũ incidit.

Factione

Factione enim Hoexiorum & Cabliawensium, quam alii Hamatam & Asellatam vocant, recrudescente, cum Carolo Burgundo ante Nancæam anno 1477 ut dictum est, extincto, illi quidem Franciscum Brederodium Parisiis ad Comitatum Hollandiæ adeundum evocatum, hi verò Maximilianum Austrium Caroli generum & successorem defenderent, pro possessione hujus quidem Iohannes Egmondanus Dordracum, pro Brederodio vero illi Roterodamum occuparunt. Ultrajectini ad Hoexiorum partes transeuntes, Engelbertum Clivium, comitem Nivernensem Johannis hujus nostri fratrem urbis suæ gubernatorem elegerunt, quibus eorum Episcopus David Burgundus nothus cum repugnaret, ab Engelberto captus, & Amersfordiam abductus est. In hoc bello aliorum persuasione inductus Joannes fratri suffragatus eidem subsidium submisit; Maximilianus vero Trajectum obsedit, & cum utrimque multa damna data & accepta essent, Engelberto Clivio induciarum vel pacis prætextu urbe evocato, & contra datam fidem Goudam abducto, Brederodio etiam in Seelandia à Joanne Egmondano necato, soli Maximiliano Hollandia cessit, cui Johannes Clivius cum fratre Engelberto ob juventutem & domus Burgundicæ affinitatem, inprimis verò per parentis eorum thesaurum, Maximiliano datum reconciliatus est.

Mortuo autem Davide Burgundo notho Engelbertus Clivius votis Cleri & populi electus in Episcopatu Trajectensi eidem successisset, nisi Maximilianus thesauri accepti oblitus Fridericum Badensem nepotem suum vi intrusisset. Quapropter fratres Clivii ob sumptus ab ipsis impensos cum illo belligerantes, Rhenam, Amerongam, Dornam, Zeistium, Biltum suburbium, imò ipsum Trajectum occuparunt, sed militibus ab ipsis ad Episcopum deficientibus, eodemque Gennepam obsidente, numeratis fratribus Cliviis sumptibus aliquibus anno 1500 pax inita est.

Anno 1489, 3 Non. Novembris uxorem duxit Mechtilden Henrici Landgravii Hassiæ, ex Anna filia & hærede Philippi Cattorum Comitis, natam Hermanno Hasso Colonienſi Archiepiscopo, fratre Henrici procurante, Susati nuptiis exquisitissimis celebratis. Hæc ei, anno 1500 V Vilhelmo Hasso patris Henrici fratre sine hæredibus quoque mortuo, Comitatus Cattimelibocensis partem alteram (nam secundam per filiam Elisabetham Ioannes Nassovius accepit) in dotem attulit, alteram autem hanc partem anno 1521 pro 50. flor. millibus Nassovio affini vendidit, ipse verò conjugi pro munere dotalitio vicissim arcem Monrebergensem cum 400 florenis ex variis teloniorum reditibus annuis, post suam mortem assignavit: hæc tamen ei non supervixit, quippe anno 1505 vita defuncta. *Conjugium*

Liberi ex ipsa in avitâ Clivorum arce nati sunt. *Liberi.*

Joannes tertius Patris Successor 10 Novemb. die Mercurii horâ secundâ pomeridiana in profesto S. Martini anno 1490.

Anna 21 Maij meridiè anno 1495: quæ anno 1514 à Carolo Egmundano in conjugem expetita, eidem ob partes Geldricas, Gochiam, Lobithum, Duiffliam, sylvamque Imperialem repetitas denegata est.

Postea Philippi III. VValdeccii secundis votis mortuâ ejusdem primâ uxore Adelheide Hoyæâ Ottonis filia invito patre assensit, qui eam idcirco custodiæ biennio tradidit, à qua tamen intercessione Maximiliani Imp. & Henrici Comitis Nassovii liberata cum arcis & Dynastiæ Beyenburgensis in montibus pignore decem millia florenorum ex Cattimelibocensi pecuniam in dotem accepit, cui administratio Comitatus Ravensburgici postea accessit: ex eaque nati Philippus IV. summorum templorum Moguntini, & Argentinensis Canonicus, Joannes & Franciscus secundus, quorum postremus Mariam Gogreviam, Joannis Gogrevii Cancellarii Juli & Montani filiam postea sibi copulavit.

Adolphus 23 Januarii die Mercurii mediâ nocte anno 1498 itidem Clivis in lucem editus, qui in Hispania anno 1525 cœlebs vitâ hac defunctus.

Anno 1486 cum Maximilianus Friderici filius Francofurti Rex Romanorum renuntiatus Aquisgrani inauguraretur, VVilhelmus Julius, & Montanus utroque Ducatu, cum Comitatu Ravensburgio Ioannes verò Ducatu Clivio, & Comitatu Marchico, cum urbibus Susatensi & Santensi investiti sunt: Maximilianus autem anno 1488 à Brugensibus captus à patre Friderico armis ferme totius Imperii, manu verò Alberti Saxonis, & Engelberti Nassovii, iterum assertus est, cui Ioannes quoque noster auxiliares copias addidit. *Inauguratio.*

Anno sequenti 1489 Carolus VIII. Ludovici undecimi filius, Galliarum Rex, repudiatâ, quam olim sibi desponderat, & diu nondum nubilem apud se detinuerat, Margaretha Maximiliani filiâ, patrique remissa, cum apud eundem restitutis dotalibus oppidis cum multo verborum honore ob bellorum, & temporum necessitatem se excusasset, Annam Francisci Britaniæ Ducis filiam, & hæredem unicam per procuratorem ipsi Maximiliano desponsatam, in itinere, cum ad ipsum per legatos ducenda esset, intercepit. Quare Maximil. Burgundiam invasit, ferro & igne ubique grassando. Tandem post triennium bellum sopitur, accepto à Maximiliano post receptam filiam Atrebatum Comitatu: Britanniæ verò Ducatus per hoc matrimonium coronæ Gallicæ annectitur.

Lintii autem, ut hoc addamus, Friderico III. Imp. 19 Augusti anno 1493 defuncto, Maximilianus filius successit, cum antea ad secunda vota transiisset; Maria enim sua Burgunda ex lapsu super sudes acuminatas, anno 1482 mortua, & Anna Britannica, ut jam diximus, à Carolo Gallo raptâ, Ioannis Galleacii sororem Ludovico Sfortia Duce Mediolanense procurante, superinduxit.

Porro an. 1489 Ioanni nostro Clivorum Duci, Innocentius VIII. Pontifex

Pontifex Roman. rosam auream more recepto Dominicâ Lætare consecratam per Gerhardum ab Ossenbruch transmisit, quæ præsentibus Ioanne à Brunckhorst, & Batenburg præposito monasterien si, Adolpho à VVylich hæreditario aulæ præposito, ejusque fratre Stephano Aulæ Ducalis œconomo, & utriusque nepotibus Christophoro, & Adolpho à Wylich Sylvarũ præfectis Wilhelmo Horst hæreditario Mareschalio Ahasvero à Boetzelar Archipincerna, Henrico Stael, Henrico à Bilandt, Hermanno à VVittenhost, Ioanne ab Aldenbochumb, Eberhardo à Schuiren, VVesselo à Loe, Ioanne ab Horst præfecto Dinslacensi, Elberto ab Hunnepel, Godefrido Turck, præfecto aulæ, & Toparcha Gochense, aliisque pluribus, antiquæ nobilitatis viris, ei exhibita est. *Aurea rosa Ioanni donata.*

Porro anno 1491 die Vitalis inter Lunenses & Halterenses in Comitatu Marchico ob frumenta advecta conflictus initus. *Res gesta Ioannis in coniugio.*

Anno 1492 Maximiliano, qui ut supra in Ioanne I. diximus totius Geldriæ possessionem nactus erat in Germania occupato Geldrici ordinis Carolum Adolphi filium à Gallis captum ope Vincentii Comitis Morsani magna pecuniæ summa redemptum in Geldriam reduxerunt. Quapropter Maximilianus primo totis Imperii viribus in ipsum ducere cogitans, precibus Reginæ & Renati Lotharingici, ad quem tanquam affinem Carolus confugerat, permotus, an ad se, an vero ad Carolum jure Geldria pertineret, per Electores Imperii Trajecti ad Mosam decerni passus est; qui cum pro Maximiliano pronuntiarent, nec Carolus tamen cederet, Friburgi Brisgoiæ Carolo bellum inferendum constituit, & ibidem anno 1498 per Henricum ab Hompesch Dominum in **Wickraedt** Aulæ Iuliæ magistrum, & Ioannem à **Palandt** dominum in **Bergh**/ VVilhelmum Iulium: per Theodorum verò à **Bronckhorst**/ & **Batenburgh** Dominum in **Hunnepell**/ Toparcham Clivium, & Godefridum **Turck**/ Aulæ Mareschalcum, & præfectum Gochensem, Ioannem hunc nostrum Clivorum Ducem in communionem belli pellexit. *Continuatio belli Geldrici secundi.*

VVilhelmus Juliorum Dux Herculenam clam recuperavit. Postea etiam Echtium, & Neostadium oppida diutina obsidione pressa cœpit.

Maximilianus vero ductoribus Alberto Saxone & Georgio Bavaro magnam militum manum iisdem submisit, quibus VVachtendunciam, Stralenam, & Batenburgiam occuparunt. Sed cum expugnatâ à VVilhelmo Julio Herculena, Carolus Egmundanus, Heinsbergam invasisset, Maximilianus frustra ex Emmerica, Dotecomo, in quo Carolus erat tentato 18 Octobris anno 1499 cum Alberto Saxone & Georgio Bavaro domum rediit, & Geldriam cum Iulia & Clivia bellis infectam reliquit. Carolo igitur Rex Galliæ se conjunxit & per Robertum Arçburgium Cliviam adeò pervagatus est, ut Dux Ioannes inducias quærere coactus fuerit, quæ etiam indultæ, non tamen diu servatæ sunt, ipso enim anno 1499 ægro, Neomagenses Clivium saltum ipso S. Matthiæ Apostoli ingressi,

gressi, Quadriburgum incenderunt, Bedtbergam vestalium Conventum, & ædem Antoniam in sylva Cliviæ cædua, spoliarunt, sed à Cliviis qui Goyam ingressi illam reliquerunt, in Moldick retracti, 1500 eorum capti, & reliqui omnes spoliis exuti sunt,

De qua Clivensium victoriâ versus memoriales sunt·

Anno milleno quingenteno minus uno,
Mille & quingentos Clivus cæpit Neomagos,
Cum prædis cunctis, quas diviſere ſuis.

Vel ut alii:

Ternus Dux Clivicus tunc vicit Novimagenſes,
Hæc profecto d'e Matthia facta fuere.

Quod Neomagenses adeò male habuit ut ex captivis aliqui se liberantes Craneburgum telis ignitis incenderint; & non longè post cum milites quidam Clivii perjuri ad Geldros deficerent, Vienium, V Varthium, Byrtenium pagos depopulati sunt, & cum Santenses Geldros repellere conarentur, hi 70 eorum captis, in regressu pagum Kellenium cum arce Smithusia vastarunt.

Anno 1499 Vincentius Moersanus Adolpho & Carolo Egmondanis favens vivis excessit, qui cum Moersam ad tumulum majorum deferendus esset, cum hoc prætextu arcem cum comitatu occupare tentaret Carolus, à Joanne Moersense & Saerwerdense comite, qui Cliviæ & Iuliæ Ducum auxilio tanquam proximus agnatus Moersam tenebat, prohibitus, Vincentius Coloniæ ad S. Pantaleonem ad latus parentum Friderici & Engelberti Cliviæ tumulatus.

Bellum autem hoc novum Geldricum Ludovico XII. Galliæ regi adeò displicuit, ut unius anni inducias sub 30. mill. ff. pœna constituerit, tum na cum Maximiliani indignatione induciis constitutis Joannes noster Reipubl. Trajectensi ob expensas ejus causa à se & fratre Engelberto frustra ad dignitatem ejus loci mortuo, anno 1496 Davide Burgundo adspirante factas bellum movit, Rhenisque occupatis Amerongiam, Dornam, Zeistium pagos & suburbium Biltium depopulatus est, sed cum Episcopus Fridericus Badenus qui Davidi successerat, Rheno, Vabalique trajectis Gennepam obsideret, pax inter ipsos quoque inita est.

Anno 1502 induciis Geldricis finitis Iacobus à **Bronckhorst** & **Batenburgh** dominus in **Anholt** auspiciis Maximiliani cui Ioannes Clivius suppetias tulit, Geldris multa damna inflixit. Idcirco Carolus Egmundanus sub prætextu arcis Anhaltinæ expugnandę, Hetteram adortus exspoliavit, & quia Ioannes Clivius ad defensionem tam cito se præparare non poterat, Huissena obsessa, sed ab oppidanis fortiter defensa, cum ab Embricensibus commeatu antea importato deficiente, novus inferendus esset, Clivii omnes circa nativitatem Ioannis Baptistæ sese conjunxerunt, & Embricensibus è regione urbis Huissensis castrametantibus, reliqui in insidiis latuerunt, quos cum Carolus superare tentaret, Clivenses ex illis cum 700 equitibus ductore Rabano à **Bueren** erumpentes

cum

cum VVesaliensibus & Reesensibus Rheno descendentibus conjuncti Geldros profligarunt, tormenta & omnia eorum spolia diripientes, imò ipso Carolo in potestatem redacto, sed tamē Mauri unius operâ iis vicissim erepto; ob quam victoriam Clivenses publicè DEO gratias egerunt, ex machinis bellicis penè omnibus interceptis, ceu spoliis ampliſſimis mirè ditati. Non longè post præsidiarii Huissenses arcem Keppeliam adorti sunt, quam cum Zutphanienses liberare vellent, Clivenses Fridericum de Voyst cum 600 aliis, tormentisque, & reliquo commeatu captum, Embricam abduxerunt; & hac victoriâ iterum animati Arenacum tentarunt, eaque occasione Elstium, Randtwyckium, Hoesdenum, Elderenum aliosque multos in Batavia pagos deprædati sunt, quâ præda onustos Huissamque tendentes cum Arenacenses & Neomagi in pago Elteno aggrederentur, Clivii in duas partes divisi eos fugarunt. In Decembri etiam Capitaneum Geldrum cum 1500 militibus Limarsiam invadentem iidem Huissenses 200 captis reliquos profligarunt.

Anno 1504 iterum pax inita, quâ ob VVachtendoncam non restitutam irritâ, Joannes Clivius Middeleriam arcem obsedit, ubi Godefridus Turck confossus est.

An. 1506 Maximilianus Cæsar cum filio Philippo suppetiis VVilhelmi Julii, & Joannis Clivii Arnheimium vallavit, ideoque à Carolo Egmundano, VVilhelmo Comite Montis, Dominis in Wisch & Bronckhorstiis, Hoemensis, atque Hackfortiis Dynastis cum plerisque urbibus omnibus, deficientibus, Maximil. Geldriam fere totam occupavit, & sui juris fecit. Cum Carolo Egmondano verò, ut reliquas quas adhuc possidebat urbes ad dies vitæ retineret, post mortem verò sibi traderet inscio Ioanne Clivio pactus, eidem quidem 20000 florenos promisit, sed trajecto Mosa vicissim resignavit.

Cum autem Rex Philippus cum conjuge in Hispaniam solvens paulo post ibidem diem suum florenti adhuc ætate obiret extremum, Geldri denuo cum Burgundis bellum redintegrarunt, & anno 1507 Arenacum cum omnibus fermè Geldriæ civitatibus recuperarunt. Idcirco Burgundis Ducis Joannis Clivii opem vicissim implorantibus, licet prius non admodum gratè tractatum dimisissent, ille tamen assensit, & arce Persinga nobilium Appeldornorum captâ, illam, omnesque pagos Mosawasalinos & Batavos depopulatus est. Ludovicus verò Gallus Carolo Egmondano 3000 milites subsidio misit, qui ad Spoiam transitu prohibiti, in reditu Turenhoutæ, Trenæ, aliisque Brabantiæ vicis & oppidis grassantes à Brabantinis cæsi. Dominii VVischii castro VVildenburgio Carolus vallum opposuit, ut commeatum ab eo averteret; sed Burgūdi & Clivii Goer adorti rusticos multos propè Vengel resistentes trucidarunt, & propugnaculis Geldrorum omnibus ad domum VVildenburgium destructis 70 captivos abduxerunt.

Sub finem anni 1507 pacificatio Cameracensis instituta est, in qua

qua iterum Maximilianus cum Carolo Egmondano, excluso Clivensi transegit, qui venditis multis χειμηλίοις multisque arcibus oppignoratis stipendia militibus solvit, & cum ea à Margaretha Belgii rectrice repeteret, 17 millibus ob damna illata detractis, reliquam summam ægrè obtinuit.

Anno 1511 Carolus Egmundanus nondum quietus Brabantinos Mercatores Francofurto redeuntes exuit, Burgundi Venlonam, quæ tum ei adhuc parebat, obsederunt, sed ob hyemis asperitatem retrocedere coacti, Carolus Brabantinis & Hollandis multa damna intulit, & mille cives Buscoducēses cum Domino in Wassenaer cœpit, aliasque Geldriæ suæ urbes recuperavit, Anholtinum quoque castrum & oppidum occupavit.

Anno 1512 compositio nova per conjugium Caroli cum Isabella Philippi filia secundogenitâ, quæ consensu Imperatoris Geldriam integrâ in dotē, hac tamen cōditione, ut nullis hæredib⁹ relictis ad Burgundicam domum rediret, ei adferret, propositū, non successit.

Anno 1513 excluso denuo Joanne Clivio compositio resumpta, & Geldria ad dies vitæ Carolo assignata est, qui Lobithum idcirco telonium cum reditibus ex Geldrica Insula ad se transtulit: quapropter offensis Cliviis per Caroli cum Anna Joannis filia conjugium quæsita reconciliatio, sed quia in dotem omnes Geldricæ portiones Ducatui ablatæ, & Clivio additæ poscebantur, in illud Johannes non consensit, imprimis Imperatore Maximiliano, & Margaretha Austriâ Belgii gubernatrice vetantibus, & aliud conjugium cum Ludovico Bavaro urgentibus.

An. 1516 Sittardi Juliorum Burgundi novas pacis conditiones per Philippum Ravensteinium, & Comitē Nassovium proposuerunt, in quas Duces Juliacensis & Clivensis frater & filius hac conditione consenserunt, ut Maximilianus Cæsar Juliæ & Montium Ducatibus cum Ravensburgio Comitatu, Johannis filium primogenitum Joannem III. investiret, Saxonis actionem à patre Friderico Cæsare datam averteret, & ducis denique Joannis filia Anna apud reginam Eleonoram educaretur, quas Maximilianus Cæsar, ejusque ex filio Philippo nepos Carolus ita cōmprobarunt, ut 50 millia fl ad educationem filiæ Juliacenses & Clivenses contribuerent, & mutua quoque auxilia tempore necessitatis præstarent. Hę conditiones postmodum, anno 1519, itidem Sittardi & Gorcumię anno 1528, anno verò 1536 Graviæ, demùm in transactione Venlonensi anno 1543 repetitæ & confirmatæ sunt.

Opera politica. In omnibus his bellorum turbis Dux Joannes constitutus, fælix nihilominus & auspicatum cōjugium inter filium suum Joannē, & Mariam unicam Wilhelmi Juliæ & Montium Ducis Comitisque Ravensburgici filiam & hæredem, procuravit, quod an. 1496 tractari cœptum, sed anno demum 1510 consummatum est, quo anno etiam die Lunæ post Dominicam Oculi nobilib⁹ Cliviæ & Marchię privilegia de successione in linea recta & collaterali, filiorum & filiarum promiscuâ in feudis, evocatione, cognitione causarum nobilium

nobilium in civilibus & criminalibus eorumque liberis sine consensu parentum in dedecus familiæ contrahentibus nihil ex bonis conferendo, jure primogenituræ, controversiâ cum Principe &c. largitus est.

Opera Ecclesiastica.

Inter opera Ecclesiastica de spirituali jurisdictione, mixto foro, religiosarum personarum successione, emptione sæcularium & vēditione Ecclesiasticorum bonorū ab Adolpho primo introducta, ab avo an. 1463 confirmata Joannes II. & III. pater & filius renovarunt & publicarunt: utpote an. 1507 die veneris post Dominicam Reminiscere, itemq; an. 1508 de successione Ecclesiasticorum bonorum ad Ecclesiasticos interdicta, & proximis agnatis cōcessa; & an. eodem de mortificatione Ecclesiasticorum bonorum ipsis Ecclesiasticis prohibitâ; jurisdictione vero Ecclesiastica tantum in matrimonialibus, censura, bonis Ecclesiasticis antea mortificatis, & testamentis permissa, bullis verò bannalibus & exbannalibus (ut loquuntur) pontificiis exclusis, Dominica Jubilate.

Prædicatores Calcariæ in Ducatu Clivio, & in **Marienheid** propè Gommersbachium in præfecturâ Neostadiensi comitatus Marchici cōfirmavit, multisq; bonis & privilegiis dotavit, in protectionem etiā eosdem prædicatores cum Monasterio Lippiensi, & Ecclesiasticis Tremoniensibus suscepit.

Structuram templi Aldegundini, cujus fundamenta anno 1483 jacta sunt, urbi Embricensi confirmavit: parochiam Clivensem collegiatæ Ecclesiæ, & Sacellum **Nutterden** parochiæ Dousburgensi incorporavit.

Fundationem Hospitalis VVattenschedii ratam habuit.

Carthusianis Gravianis, Abbatiæ Campensi, & monasterio Monchusio propè Arnheimium liberum in teloniis suis Rhenanis transitum concessit.

Opera publica, & inter ea.

1. Pacta cum vicinis Principibus & Rebuspublicis.

In politicis cum vicinis Principibus & Dynastis ita convenit;

Anno 1481 cum Tremoniensibus de protectione, libertate & arrestis fœdus iniit, anno 1491 cum Archiepiscopo Coloniensi Hermanno Hasso interventu fratris VVilhelmi Landgravii de villa Geilemeria, & Elmenhorstiis in diœcesi Beklinghusensi, cum civitate vero Coloniensi de mutuâ immunitate & operâ transegit.

Anno 1495 Advocatiam Essendianam pro se & hæredibus Marcæ comitibus perpetuam acquisivit.

Anno 1505 ab imperatore Maximiliano I. privilegium de non evocando, & exemptionem subditorum à judiciis liberis VVestphalicis impetravit.

Eodem anno à Philippo Castiliæ rege omnium Geldriæ partium acquisitarum confirmationem accepit.

Anno 1511 cum quatuor Electoribus ad Rhenum de ejusdem ponderis & pretii moneta convenit.

Status nobilitatis in Ducatu Clivio.

Statum Equestrem nobilium multum promovit:

An. 1481 Ahasvero de **Boetzelaer** Archipincernæ Clivii hæreditarium

ditarium officium cum duarum in Hoerdt villarum medietate ad dies vitæ attribuit.

Anno 1487 Rutgero ab Hoyst cum filia naturali Maria arcem Hesshupsen restituit.

Anno 1492 Adolpho fratri naturali arcem Grondtstein / sibi censum reservando, & reditus, primo in feudum dedit, deinde in dominium convertit.

Anno 1497 arcem Wissen in dominium ratione tantum incolarum & villicorum ei subjectorum commutavit.

Anno 1498 Adolpho à Wplich arcis Dies-fortianæ dominium & cuniculatios Vluyrenenses concessit.

Anno 1499 Turrim Griethanam Ottoni Bureno cum filia sua naturali Helena largitus est.

Anno eodem 1499 Ottoni à VVylich arcem Rosaw in perpetuum feudum donavit.

Eodem etiam anno Stephano à Wplich arcem Kervenhemiam oppignoravit, & ipso vel posteris præsentibus etiam incolarum municipii adjacentis mulctas decidendas promisit, earum medietatem iisdem assignando.

Status nobilitatis in comitatu Marcano.

Anno 1504 Johanni de Recke munitionem castri Vntoyss / quod antea Friderico à Marck datum erat; anno 1515 Henrico Knippingh arcem Stochum / cum Wesenwinckel & Wesslingh in feudum & eodem anno Bernhardo Schoeler molam & jus venationis in præfecturis Blanckensteinia & VVerthinensi, concessit.

Status urbium in Ducatu Clivio, Westaliæ.

Civitates & oppida multis privilegiis exornavit. Nam anno 1481 VVestaliæ immunitatem teloniorum Cliviorum sicut etiam Duisburgo eidemque VVestaliæ anno 1493 judicii in curiam translationem anno 1502 de censu cerevisiario soli urbi solvendo, anno 1514 hæreditario Scabinatu abrogato liberam ejus à civibus eligendi potestatem indulsit; de mulctis item magnis, juramento judicis & modo judicii disposuit. Anno verò præcedente 1513 VVestalienses iidem armorum vi telonium à VVilhelmo ab Hoyst præfecto Dinslacensi in oris lupiæ locatum, diruerunt.

Emmerica.

Anno 1482 omnes homines, & bona parochiæ Embricensis ab utraque Rheni parte, prætori Embricensi, pactis nuptialibus & testamentariis exceptis, subjecit. Anno 1485 judicium liberum diei Lunæ propter debita & damna eidem, sed ad revocationem dedit.

Anno 1490 electionem Scabinorum urbi pro 7000 flor. reliquit, quam postea revocavit, & ob multas causas non amplius indulturum edixit.

Calcaria.

Anno 1486 Calcariæ excellens illud hebdomadarium forum promulgavit.

Rosa.

Anno 1481 præter libertatem in teloniis etiam libertatem electionis Magistratus attribuit.

Anno 1501 & 1515 ob tumultum civium, quoad Scabinorum designa-

designationem sibi revocatam, conservatam Bouricæ & Hussæ eandem in teloniis libertatem dedit. *Buderichæ, Hussæ.*

Anno 1483. quod Sherenbeca à Joanne de **Gemen** proditorie capta nihil. *Sherenbeca*

Anno 1487. Sevenariæ jus civitatis,& cum eo telonii Huissenii, census,item vini immunitatem assignavit, cereviſiæ vero censum pro 50 scutatis hæreditarie elocavit. Dinslacæ census cereviſiæ ad revocationem concessus. *Sevenaria: Dinslacæ.*

An. 1508.omnibus civitatibus, & civibus ne ab exteris propter debita,& damna infestari possent, & eodem anno Griethuisianis decimum ab excedentibus oppido nummum exigendi potestatē, & civitati Lippiensi teloniū terrestre ad revocationē largitus est.

In Comitatu Marcano similiter Altenanæ, Plettenbergæ, Ludenschedio,Castropio,Urbibus,& municipiis an.1484.Hatinegæ, & dominio Hulschedano cum oppido Neostadiensi libertatem venandi,Hammonæ & Unnæ pistrinæ,& cereviſiæ censum; dum revocetur,indulsit. Hammonæ peculiariter de hæreditate in toto Comitatu Marcano an. 1495.privilegium dedit. *In Comitatu Marchiæ*

An.1510.dispendia ab igne in arcibus Dusseldorpiensi & Hambachianâ Ducis Johannis, filius Joannis nominis tertius ex conjugio quoque Juliæ & Montium Dux, sensit.

Anno 1517. Gochia,Zonsbeca,Grietha, Ettena, Cranenburgum,Huissena in Ducatu Clivio,in Comitatu Marcano an.eodem etiam Bockhumium,anno verò 1520. Breckenfelda & Schwelma conflagrarunt.

Ordinationes de jurisdictione Ecclesiasticæ longis cultris non gestādis,judiciis in præfecturis Bochumiensi & Werthinensi, Provocatione Dufliæ ad Clivēse judiciū metropolitanū promulgavit. *Oeconomia*

Oeconomia Principis ob æs alienū in varios bellorum sumptus necessario impensum multum laborávit, ideoque etiam modus ejus reducendæ per Theodoricum à **Rijswijck**/ præpositum clivium Ioannem Seckiengum Scholasticum Craneb. Henricum à **Wiland** Equitem, Adolphum à **Wplick** Archipræfectum aulæ hæreditarium, Christophorum à **Wplick** Archimareschallum, Elbertum ab **Honnepell** Isselburgium, Wesselium à **Loe** Limersium, Godefridum **Turck** Gochiensem, Henricum Knipping Hammonensem, Ioannem ab **Horst** Dinsl: præfectos, Hermannū à **Wittenhorst** / Theodorum à **Wikedo**/ Casparum **Turck** cum omnium civitatis deputatis propositus est,eumq; in finem an. 1505. 12. Consiliarii, octo ex Cliviis, & quatuor ex Marchia deputati rationem ejus inierunt.

Annis 1481. & 93. Domus Niversias Bruxellis & Brugis vendidit,& nemus Zellerense iterum comparavit.

Obiit post 40 annorum imperium an. 1521. 15. Martii, horâ 5. vespertina,quem uxor Mechtildis Hassa,anno 1505. 19. Februar. præcesserat, ambo Clivis, in Ecclesia collegiatâ tumulati; de Ioanne Streithagenus.

Quod tibi Pontificis ſummo pro munere ſummi
Fulva Quirinali venit ab arce Roſa
Et quod Geldrenſem viciſti fortiter hoſtem
Virtutis pariter ſunt monumenta tuæ.

De Johannis ſecundi Clivorum Ducis III. binis fratribus, Engelberto & Philippo, Cliviis, Et primo quidem de Engelberto Duce Niverſio.

CÆterum Joannes II. de quo jam egimus Engelbertum quoq; & Philippum fratres ſuperſtites adhuc ſuo tempore habuit.

Engelbertus ſucceſſionis in Comitatibus Niverſio, Auxerrio, Eſthampio, Rhetelio materna hæreditate à fratre Ioanne fiduciles literas A. 1488. nactus, avi materni Ioannis Burgundi diviſionē tatā habuit. Et Ducatu Clivio, cum Comitat. Dinſlacenſi, Gennepenſi, & Marcano renunciatis ditionibus iſtis, cum dominiis Angelomonaſterienſi, Pontis Cavallino, Swienlandio & Viviano in Flandria, itemq; jure in ducatibus Lotharingio, Brabantino, & Limburgio, cum dimidiata 40. Anglicorum Salutenſiā parte ex reditibus Sylvę Ducenſibus potius eſt. Vivo tamen adhuc avo materno 900 libras ex Pontis-Cavallini proventibus accepit, donec eo A. 1473. ut ſupra dictum eſt mortuo, poſſeſſionem omnium illarum ditionum adeptus eſt. Uxorem duxit Carolam Ioannis Comitis Vendomii filiam. Controverſia vero inter ipſum & Ioannem Albretum, qui Carolotam Eliſabethæ matris ſororem duxerat, conjugio inter filium ſuum Carolum, & illius gnatam Mariam finita eſt; Et hic Carolus poſt mortem patris à Ludovico 12. Galliarum rege Dux Niverſii inauguratus eſt.

Ex hoc autem conjugio Franciſcus genitus, qui ex Marg. Caroli Borbonii Ducis Vindocinēſis filia ſequētes liberos viciſſim edidit.

Primis Franciſcus Niverſii Dux, & Comes Euſii ἄπαις in pugna Orcuſiana An. 1563. periit. Secundus Iacobus Illæ Marchio, ſimiliter ſine hærede obiit.

Henricus Niverſius Comes Euſii filiorum tertius, Annam Monpenſeriam uxorem habuit itidem ſterilem.

Henrica igitur Niverſia, Ducatum hærede vacuū dotis nomine Ludovico Gonzagæ, Mantuæ principi attulit, qui An. 1595. mortuus, filium Caroliū reliquit modernum, Mantuæ & Niverſii Ducē: Filiarum Franciſci præter Henricam, Catharina, primo Anthonio Croviato, Comiti Porciano. deinde Henrico Guiſio nupſit.

Maria vero uxor fuit Henrici Borbonii, Marchionis Condæi, Engelbertus autem Clivius, ut ad illū revertamur, cum Carolo 8. Galliarum rege ex Ludovico, Duce Aurelianenſe & Maria Clivia, avi ſui Adolphi primi Clivorum ducis filia, genitus An. 1495 Italiani ingreſſus, regni Neapolitani expugnationi adfuit, in quibus copiis etiam Henricus Wiſchius, atque Robertus Aræburgius militarunt, Idem mortua uxore Anno 1496, defuncto Davidi Burgundo,

Epiſcopo

Episcopo Ultrajectino successisset, cleri populiq; votis unanimiter electus, nisi Maxim: Cæsar Fredericum Marchionem Badensem authoritate sua ad hanc dignitatē promovisset: Ob quam causam frater ejus Iohannes, de quo diximus, Clivorum Dux, Reipub. Trajectensi bellum movit, expensas suas repetens.

Engelbertus tandem fato defunctus est, Anno 1521.

De Philippo Clivio.

Philippus alter frater, in studiis educatus anno 1496. dominium Angelomonasterience, hac tamen conditione, accepit, ut si vel Episcopatum consequeretur, vel sine hæredibus diem obiret suum, in manus fratris Ioannis Primogeniti illud vicissim resignaret, quod tamen Philippus non usque adeo bona fide præstitit; Factus enim Nivernensis, & postea Rhemensis Episcopus, ditionem illam pro 18. mill. fl. vendidit, & residuum fratri Engelberto donavit, ut propterea alter frater Ioannes, Dux Cliviæ, pro rei vendicatione actionem instituerit, sed literis amissis vel interceptis litem relinquere coactus est. Obiit Philippus anno 1505. 3 May.

Johannes ejus nominis tertius dictus Pacificus sub Maximiliano I. ejusque ex filio Philippo Hispaniæ redenepote Carolo V. Impp. Dux Cliviæ IV. Juliæ VIII. Montium VI. Marcæ Westphalicæ Comes in ordine XVII. & Ravensburgi, Ravensteinii, Gennepæ, Dinslaci, Holtæ, Hinsbergæ, Bornæ, Brugensis, Blanckenbergensis Dynasta.

NAtus Anno 1490. in profesto Martini, & in aula Burgundica similiter educatus. *Nativitas*

Anno 1510. Cal. Octobr. cum Maria Iulia & Montana an. 1491. Non: Augusti nata Dusseldorpii copulatus, inde proceres omniū provinciarū Duisburgū progressi pactū unionis inter sese erexerūt. *Conjugium*

Ex hac genuit Sybillam die Alexii anno 1512. Dusseldorpii natam, & Iohanni Friderico Saxoniæ Electori Anno 1527. nuptui datam. Licet enim ei Catharina Cæsaris soror natu minima, confectis atque signatis eâ de re literis, desponsata esset, quum tamen religionis incidisset in Saxonia mutatio, discessumq; idcirco fuisset à pactis, Cæsaris legato Haunarto apertè dicente, non esse fidem servandam hæreticis, Ioannes Fridericus hanc duxit. Sybillæ hujus adductio ex aula paterna per Brunswicensem & Magdeburgensē civitates imperiales insignes, Torgā usq; facienda primum quidem decreta, sed postmodum tamen consilio mutato per Hassiā Creutzburgū, & Gothā facta est, adeoq; die Mercurii post Iubilate Erphordiā appulit, ubi spōsa Electoralis à Gunthero Swartzēb. & quatuor *Liburi.*

Gleichiis Comitibus nomine Electoris excepta, indeque VVeimariam, Jenam, Zeitzam, Aldenburgum ducta, medio inter Grimmium, & Eilenburgum itinere à VVolffgango Anhaltino Duce, Alberto Manssfeldio, & VVolffgango Barbiensi Comitibus cum 200 cataphractorum turma accepta, cum Sabbathi ante Exaudi Georgius Saxoniæ cum duobus filiis, Henricus itidē Saxoniæ, Philippus Hassiæ, VVolffgangus Palatinus Rheni Bavariæ, Ulricus VVirtenbergius, Henricus Megapolitanus cum duobus itidem filiis, Ernestus Brunswicensis & Lunæburgensis Duces Turgoviæ prius appulissent, demum à Georgio Saxone cum quatuor curribus inauratis Turgoviam introducta, & sponso suo Electorali ipsa dominica Exaudi copulata est. Obiit 21 Februarii, Anno 1554. matrona sanctissima, simul & in sincera veritatis Euangelicæ professione per varias tribulationes inprimis mariti charissimi captivitatē jactata, constantissima, quam non post die maritus secutus est. Sibyllæ Iohan. Forsterus Doctor Theologus concione funebri VVitebergæ 4. Martii: Et alius vir pius ac doctus Musâ suâ ita eidem acclamavit:

Edita Iuliaca fuerat quæ stirpe Sybilla
Saxonici conjunx, & generosa Ducis.
Bullioneâ tui generis Godefride propago
Majorum celebri stemmate clara fuit,
Godfrido postquam Solyma rex factus in urbe est
Spinea, Regis honor gesta corona fuit,
Hac etiam caput est spinis redimita cruentum
Facta crucis consors mœsta Sybilla viro
Sed postquam terras vitæ pertæsa reliquit,
Lætitiâ fruitur, contuituque DEI:
Atque sui rursus pectus complexa mariti
Gaudia percipiens, non moritura, tenet,
Hic ubi Godfridus, David, Sanctusque Iosias
Te Comitem adjunxunt Ian-Friderice sibi,
Cum quibus alloquio dulci recreatur uterque
Conjuge cum dulci costa Sybilla suo:
Historiamque sua memorant ætatis, & optant
Majorum natos inclyta facta sequi.

Sic vulgo existimatur, licet malè.

Anna sequitur anno 1515. 10 Calend. Octobris, aliis 1. Iulii itidem Dusseldorpii nata: Et primo Francisco Lotharingo promissa, postea tamen Henrico 8. Angliæ Regi, Anno 1539. juncta, & statim anno 1540. ob sterilitatem repudiata, anno vero 1557. 16. Iulii Chelsyhi mortua, & inde 3. Augusti maxima, & solenni pompa Londinum delata ibidem, in templi VVestmonasterienſis majori choro ad latus dextrum ante summum altare versus meridiem sepulturæ mandata:

VVilhelmum vero omnium provinciarum hæredem, & successorem an. 1516. 28. Iulii, ipsâ Pantaleonis, pater Ioannes genuit in arce Clivensi in lucem editum, cujus sacer Anadochus in baptismo

fuit

fuit Hermannus Werdanus, Archiepiscopus Colonienſis, qui defuncto an. 1514. Philippo Falckenſteinio, Hermannum Haſſum ſecuto an. 1509. in dignitate hac ſucceſſerat.

Amelia deniq; an. 1517. 18. Cal. Decemb. aliis 14. Novemb. Clivis in lucem edita, veræ de Deo doctrinæ atq; ſinceræ religionis cultui addictiſſima, Domino Ieſu Chriſto animarum ſponſo nupſit, & in cœlibatu poſt educatos fratris chariſſimi liberos an. 1586. 1. Martii Duſſeldorpii diem ſuum extremum clauſit, cui ita parentavit non nemo:

Singula fine ſuo mundi contenta reguntur,
Et terram repetunt, qua dedit ipſa prius.
Exprimit erepta quod mors deflenda Duciſſa
Amelia multis dotibus eximia.
Nam mores humili geſſit ſub pectore caſtos,
Et mitis repulit corda ſuperba procul,
Sprevit opes quamvis pradivite nata Ducatu
Plurima pauperibus diſtribuenda valent,
Quin pietatis amans multos fœliciter annos
Finiit, & multos auxit honore dies.
Sic vixiſſe ſatis cum ſena decennia currunt,
Atque otio meſſes autumat eſſe ſibi,
Digna hac virgo fuit producere longius ævum,
Si diſpenſaſſet tempora longa Deus.
Ergo habitat Cœlo mens incorrupta ſereno
Et recubat nigra putre cadaver humo.

Chronoſtichon verò hoc eſt:

LIVIDas & rIgIDas reCoLIt Mars IVre CaLenDás
OCCVbo. ſerVator ne bona grata neges.

Johannes autem noſter, de quo agimus, Pater horum liberorum an. 1518. Satellitum illorum copiam, qui luporum & hædorum appellatione gaudebant, & ruſticos devorabant, ad oppidum Venlonam, cum Hermanno Weedano Epiſcopo Colon. delevit.

Eodem Anno Comitatum Cattimelibocium Naſſovio vendidit, qui, ope Franciſci à Sickingen/eum ſibi vendicavit.

An. 1521. Patri in Ducatu Clivio, & Marcano Comitatu, ſucceſſit, cum prius, nempè an. 1511. à ſocero Ducatum Iulium & Montanum, cũ Comitatu Ravensburgico accepiſſet: quo ipſo an. 1521. 14. Auguſti Brugis Flandrorum Carolus Cæſar, an. Imperii ſui tertio. pro Jolanda Dammertziâ Embricenſi in clauſtro Marienbomio veſtali, ſed ſagâ, atque idcirco à Ducis Ioannis Patre ante ſexennium carceri traditâ, literis manu propriâ ſubſcriptis, interceſſit.

Anno 1524. ſocrum Sybillam Brandenburgicam amiſit, adeoq; pro filio minorenne Guilielmo cum Cliviis, & Marchiacis, Iuliis, Montanis, ac Ravensburgiis præfuit.

Hic igitur notandum, etſi Fredericus 3. Imperator, Erneſto & Alberto Saxonibus Ducatum Iulium, & Montanum, linea maſcula deficiente, 4. May an. 1509. promiſerit, quia, tamé Maximilianus Impe-

rator, Friderici filius, & Imperii succeſſor 40 mille aureis, an. 1516. Sittardi promiſſionem ipſis factam reſcidit, ejuſque nepos Carolus V. Cæſar, Ioannem noſtrum Clivenſem in ditionibus Iulia, Montana & Ravensburgia confirmavit. Idem, omnibus Ducatibus, & Comitatibus, fœliciter unitis ſucceſſit, eaſque ad Wilhelmum filium unicum cum jure Geldriæ tranſmiſit.

Anno 1522. in Martio, præſentibus Wilhelmo Moerſenſi, Jodoco Schouwenburgico, Conrado Tecklaburgico, VVilhelmo Rennebergio, Toparcha Bornenſi, & aulæ Ducalis præfecto, VVirichio Falckenſteinio Comitibus, & 200. nobilibus, privilegiis confirmatis, & homagio præſtito, cum conjuge Maria Iulia & Montana inauguratus eſt, VVilhelmi Rennenbergii filia Eliſabetha, ut hoc addamus, in aula Clivia educata, primum in præpoſitam Eſſendienſem electa anno 1538 pro 2000. florenis reſignatione facta, procurante Ioanne hoc noſtro Duce Clivio, Iohanni à Reivertsheyt Noveſii copulata eſt. Hujus Principis tempore etiam Reformatio religionis Chriſtianæ à variis abuſibus, anno 1517. contigit, quam ab *ipſo* quoque in ditionibus ſuis anno 1533. 8 Aprilis Monrebergæ Clivorum exorſam, & publicatam, filius VVilhelmus continuavit.

Anno 1525. *CaptVs erat GaLLVs CoeVnt CVM rVre Cohortes.*

Anno 1526. Ludovicus Hungarus a Turca cæſus, cujus ſoror Anna Ferdinando poſtea juncta eſt.

Anno eodem 1526. 9. Maii, in profeſto Apolloniæ Virginis Turres Calcarienſis, VVezana, & aliæ ventorum turbine dejectæ ſunt.

Anno 1527. *ALtera poſt Captos GaLLos popVLIqVe fVrores:*
Æſtas te Captâ RoMa CrVenta fVit.

Anno 1528. Incendium Cliviis exortum multas ædes abſumpſit.

Anno 1529. VVeſalienſes Lupiæ amnis alluvium, Civitatis ante muros pertingentem, aggeribus & ripis ruptis amiſerunt, ſed anno ſequente 1530. eundem maximis impenſis & laboribus in priſtinum alveum redegerunt.

Anno eodem 1529 *Cæſar In ItaLIaM qVo VenIt CaroLVs anno,*
CInCta eſt rIphaIs noſtra VIenna GethIs.

Tunc contra Turcam, Viennam obſidentem, a Philippo verò Palatino fortiter defenſam, Ioannes Clivius ſubſidiarium militem miſit, eoque nomine a Statibus provinciarum nobilibus & urbibus, imò ipſis Eccleſiaſticis, tributum exegit.

Anno 1531. circa Pentecoſten Barones Falckenburgius & Falckenſteinius cum aliis nobilibus 11. a Dinſlacenſibus, ob mercatores Francofurtenſes, Brabantinos, exſpoliatos & captos, in Trevirenſi diœceſi apprehenſi, & Clivopolim abducti ſunt, Palandus Dinſlacenſis præfectus, ut conſcius facinoris, accuſatus, ſe purgavit, prædones vero examinati, & conjuncti, capitis ſupplicio affecti, &, exceptis duobus modo nominatis illuſtrioribus, apud Minores ibidem ſepultis, in rotam acti ſunt.

Anno 1533. 34. & 35. tumultus Anabaptiſtarum, & obſidio Monaſterienſis

nasterienſis contigit, cui Iohannes copias ſuas adjunxit, & ipſus cũ Ottone Bureno interfuit, cæteroquin Princeps Pacificus.

Cum Hermanno V Viedano Archipræſule Col. Non. Septemb. Anno 1533. unitus eſt, cum Jodoco Schowenburgico de Crudenburgio caſtro, judicio Gemenſi, & piſcatione Lippienſi, tranſegit. Cum Oſwaldo Comite Montium anno 1523. de limitibus Emmericenſibus. *Pacta.*

Anno 1533. cum urbe Colonienſi, & an. 1536. iterum cum Colonienſi & Monaſterienſi Epiſcopis convenit.

Edicta de præfectis, quæſtoribus, & prætoribus, ſervitiis ſubditorum, fodinis metallicis, telonio inter Weſaliam & Sherenbecam, Capituli Santenſis, & Monaſterii Cappenbergici protectione, & bonis, publicavit. *Edicta.*

An. 1534. 12 Decembris de Anabaptiſtis, Sacramentariis, quos vocant, blaſphemis ſectis, concionibus angularibus, ſeditioſis homicidis, latronibus, Peregrinis militibus, mercatoribus, mendicis, agyrtis, Zygeanis, leges tulit. *Statuta Wesalium.*

Civitatibus Duisburgenſi, & Orſovienſi, libertatem in teloniis, Reeſæ, Altenanæ & Werdenæ à cenſu Cereviſiæ immunitatem cõceſſit. Neoſtadio & Lüdenſchedio privilegia dedit, Ruroſthæ ſua reſtituit, & molæ exſtructionem promiſit.

Emmericam ſpeciatim an. 1422. in diſſidio Magiſtratus & civium reconciliavit, Viſelerio factionis authore, in caſtro Ducatus Montani Angereno, vinculis tradito; & jure electionis Magiſtratus ſui civibus ablato.

Anno 1536. 2. Octob. Hambachi de ſervitiis officiariis, ſuis à ſubditis voluntariè præſtandis, modum præſcripſit.

Arcem Winnendaliam propè Santos Theodorico, Domino de **Wplich**/ Archipræfecto Ducatus Clivenſis hæreditario an. 1532. conceſſit. *Status nobilitatis.*

Cuirliam verò villam in Comitatu Marcano Domino de **Reck**/ ut hæreditarium feudum, tribuit. Roſendaliam in ſaltu Clivio, domicilium Oiſterwyckiorum, à ſervitiis & tributis exemit.

Anno 1538. filium Wilhelmum ad obtinendam Geldriam modis omnibus adjuvit.

Obiit ſatis maturè, nempè quinquagenario minor Anno 1539. 6. Febr. Clivis ſepultus, de quo Streithagenus: *Mors.*

Contra Anabaptiſtas Geticaque examina gentis
Auxiliatrices junxit in arma manus,
Nec minus & patrias auxit cum conjuge dotes,
Montanaque ora, Iuliacoque ſolo.

Uxor vero Maria Iulia 4. Calend. Septemb. Anno 1543. exceſſit, in Carthuſia Gravienſi condita; cui Conradus Hereſbachius tale Epitaphium erexit.

Stirpe fui fœlix, terris & prole ſuperſtes,
His ego nunc cunctis ſum ſpoliata bonis

Veste quid ex byſso corpus decoraſse vel auro
Profuit, in terra vermibus eſca cubat.
At ſtat ſola ſalus ſperando fidere Chriſto,
Cætera vaneſcunt pulvis & umbra, Nihil.

Sub Carolo V. Ferdinando I. Maxim. II & Rudolpho II. Imp.

VVILHELMUS Dux Cliviæ V. Juliæ ac Geldriæ IX. Montium VI. Marcæ VVeſtphalicæ Comes XVIII. dictus Dives.

Nativitas.

NATUS ipſa Pantaleonis ſivè 28. Iulii, hora 4. pomeridianâ, Anno 1516. Clivis ab Hermanno Wiedano Archiepiſcopo Colonienſi, ſacro fonte levatus.

Educatio.

Ab ineunte ætate à Doctore Conrado Heresbachio Medmenſi Montano, Patris optimi, & Mariæ Matris, fœminæ prudentiſſimæ, conſilio educatus, tantos virtutis progreſſus fecit, ut Ioannes Sturmius, quem, prout etiam Eraſmum, Molinæum, Caſſandrum ob ſummam eruditionem, chariſſimum habuit, in Epiſtola ad hunc patriæ ſuæ principem ſcriptâ, ita loquatur: Non habet quicquam tua, vel animi, vis ſapientius, vel amplitudo majus, vel fortuna præclarius, quam egregiam erga noſtras literas voluntatem, ad quam tibi tua natura dux fuit, quam ipſe in ſe literæ auxerunt, & in qua te Doctor tuus Conradus Heresbachius confirmavit, à quibus ita imbutus, ita inſtitutus, ita educatus es, ut quæ habes, & quæ tibi ſine armis relicta ſunt, neque fortuna tempeſtate aliqua tollere, neque vis inimicorum bello detrahere poſſit, abſque ſtudioſorum bonorumque virorum dolore, ut tuis malis, quâſi per tuũ latus, reliqui omnes ſauciari videantur, &c. Non tantum autem viros doctos coluit, eoſque ubi potuit, in aulam ſibi adſcivit, ſed etiam in reliquis virtutibus Pietate, ſobrietate, caſtitate, aulicis & ſubditis præluxit, Iuſtitiam ex æquo omnibus adminiſtravit, ſubditos inſtar patris dilexit. Bello ſemper pacem prætulit, & ut Rempublicam conſervaret, omni ſtudio elaboravit. Ubi vero in ejus imperium ſucceſſio Geldrica incideret, & ob hanc cum Carolo quinto Cæſare, magnam controverſiam haberet, hoc bellum animoſè geſſit, ſed tandem provinciâ cedens, compoſuit.

Mutatio Religionis, quæ multos in Germania motus peperit, & ſpecialiter Reformatio Archiepiſcopatus Colonienſis duplex, In primis bellum Belgicum, Imperium ejus quoque infeſtarunt, Adminiſtrationem provinciarum ſatis difficilem Principi optimo attulerunt, de quibus omnibus jam ex ordine hiſtoria texenda eſt.

De controverſia Geldrica Iohannes Sleidanus, libb. 2. 13. 14. & 15. ſcribit, anno 1539. Cal. Aug. Arenaci Geldrorum Carolus Egmondanus Geldriæ Princeps, è vita diſceſſit, qui finibus propè univerſis ditionis ſuæ exactus, ad eandem ſub certa conditione iterum admiſſus fuit. Is, cum jam ægrotus decumberet, quod per omnem vitam partium Gallicanarũ fuiſſet, Burgundionibus admodum infeſtus,

festus, Gallorum ditionis provinciam facere voluit: In his angustiis constitutus Guilielmum Principem Clivensem propinquum suum, vix 20. annorum juvenem primo anno 1538. administratorem, deinde post mortem successorem pronunciavit; qui de ipsius, & nobilitatis atque populi voluntate, totam rei summam, maxima cum Cæsaris Caroli V. indignatione, ut dicemus, in se transtulit: Ita enim Bollius:

Me Sicambrorum seris Dux Carolus annis
Horrida cui quondam prælia ludus erant,
Permisit vetulus juvenis sua sceptra Wilhelmo
Clivorum, Montis, Iuliadumque Duci.

Et Conradus Achter-Veltius pasquillus merus, Germanus & Apostolicus poëta dictus,

Geldriaci ergo viri, cives, populique Sicambri
Cum pueris junctis senibus pulchrisque puellis
Exhibuere suas laudes, titulosque celebres,
Et cecinere Duci latisona carmina passim:
Electo domino prabentes gaudia summa.

De hac provincia amplissima eidem Gerhardus Geldenhauriüs Noviomagus prolixâ epistolâ, addita admonitione de officio Principis, cum historiâ Bataviæ an. 1541 gratulatus est.

Nam cum Carolo Egmundano ipsa Nativitatis S. Ioannis Anno 1538. pactus, ut 6000. flor. Brabanticorum medietatem Geldria, alteram Clivia quamprimum penderet, eidemque sola Clivia in festo S. Petri ad Cathedram singulis annis 25000. Brabantinos ad dies vitæ numeraret ipsa Blasii, Wilhelmus cum trecentis equis Neomagum invectus juramentum fidelitatis ab omnibus ordinibus accepit, ibidemq; in arce Falconia Theodoricum Singendoncium præfectum constituit.

Cum autem prius 6. Februarii Anno eodem 1539. Wilhelmi parens Ioannes tertius Cliviæ, Juliæ, Montium Dux in ipsa ætatis ἀκμῇ nempe annorum 49. non sine summo filii unici & hæredis dolore occubuisset, ipse patri optimo in omnibus provinciis, & ditionibus successit, indeque primordia regiminis adhuc difficiliora per immaturum ejus obitum sensit.

Eodem anno 1539. in Conventu ordinum Imperii Francofurti habito per legatos scriptum protestantibus exhibuit Wilhelmus, in quo jus suum in Geldriam à matre Maria Iulia adhuc superstite ortum explicabat, & venditionem ab Arnholdo Egmondano, & Gerhardo Iulio, Carolo Burgundo factam, vi, ob filium Arnholdi Adolphum utpote immorigerum corrigendum, & Egmondanos injustos hæredes è Geldria eliminandos, extortam interpretabatur, nec à Burgundo quoque omnes conditiones impletas esse dicebat, orans idcirco, ut apud Cæsarem pro se intercederent, causam quoque suam justam Cæsaris ibi legato commendarent.

Imo Anno 1540. die veneris post Quasimodo geniti legitimam possessionem

possessionem adeptus, causæ suæ æquitati confidens, ipsus ad Cæsarem in Belgium Bruxellas transactionis causâ venit, & cum nihil proficeret domum reversus cum Galliæ rege Francisco consilia communicare cœpit. Hic enim cum recuperandi Mediolani spe tota cecidisset, etsi cum Cæsare post liberam ex custodiâ dimissionem reconciliatus esset, rationes tamen occultè circumspexit, quomodo eidem molestias ac negotia iterum facesseret; Et cum Guilielmus noster tantam quoque cum maximo Cæsare litem & offensionem solus sustinere non posset, de mutuis amicitiæ inter utrumque vinculis, & quidem per conjugium incundis cogitatum est.

Erat enim Galliæ Regi è sorore Margarethâ, Henrici I. Albretani Navarræ Regis conjuge neptis Iohanna circiter undecim annorum puella, longè omnium totius Galliæ ditissima, & forma cum primis eleganti, optimisque imbuta moribus; ut autem hæc in matrimoniũ Principi Wilhelmo daretur, illicò parentes, imprimis Reginam sororem Rex sollicitavit, ac demum obtinuit.

Gulielmus igitur anno 1541. 8. Aprilis cum Ratisponæ nova comitia agerentur, quia ob Geldriæ possessionem implacatum Cæsarem habebat, Hambochia arce in Juliis clam in Galliam proficiscitur, & iis quos una secum esse voluit, locum atque diem constituit, quo diversis viis profecti tandem ad ipsum venirent: sub exitum Aprilis Lutetiam appulit, exceptus à regiis ministris, & per Aureliam deductus, 6 May Amboysæ ad Regem venit. Is non secus ac filium complexus illico regi Navarræ, & sorori ut adducta filiâ quamprimum ex Aquitania ad se veniant, nunciat. Cum venisset, etsi parentes neque tum admodum probarent, puella etiam de Germanorum agrestibus, & præ Galliæ delitiis multum durioribus moribus ab aliis persuasa, à Guilielmo alienior esset; Regis tamen, qui sibi per commodam fore hanc affinitatem judicabat, auctoritate victi, Idibus Iunii Schelerichæ nuptiæ peractæ sunt. Rege sponsam in templum deducente, Turnonio Cardinale missam celebrante, & Pontificio, Anglico, Lusitano, Veneto & Saxonico legatis, quia Cæsareus se excusaverat, præsentibus, cõvivium splendidissimũ apparante. Aliquot diebus post, Princeps Guilielmus conjuge sponsâ apud matrem, donec tempestiva viro esset, in Galliis relictâ 16 Iulii domum rediit, cum anteà Anno 1537. de Christinâ Danicâ Cæsaris è sorore nepte, viduâ Mediolanensi, quæ Italia relicta per Germaniam in Belgium reverterat, ipsi jungenda, frustra cogitatum esset.

Cæsar vero in Conventu Ratisponensi an. 1541. in omnium ordinum conspectu 3 Iulii die, gravem habet de Guilielmo, propter occupatam Geldriã, querimoniam, simulq; librum eis exhibet, quo suum jus in eam provinciã docet, atq; etiam scripto Wilhelmi exhibito respondet, additq; Illum quidẽ huc ad se vocatum, sed longè diversum iter (Gallicum) ingressum. Aderant quoq; Clivenses legati, qui principẽ excusabant, & cum in suo jure explicando pergerent, Cæsar consurgit & abit.

21 Iulii

21 Iulii Principes & ordines omnes ad Cæsarem veniunt,& pro Clivensi deprecantur,& ut eum in imperii tutelâ accipiat, & amicæ tractationi litem permittat,petunt, inq; eo suam operam profitentur, & si forte componi non possit,ut jure suum repetat,obtestantur:Cæsar ad ea per Ioannē Navium respondit,se tot annis conventus de summis Reipubl.negotiis in Germaniâ egisse, neq; unquam tot principes ad ullam publicam deliberationem cogere potuisse,nunc causam nacti adversus me,ecce,inquit,quāto numero conveniistis? de pace ergò Reipubl.conventum indictum, non verò ut privata hæc causa disceptetur,in quâ solâ,quæ tamen propriè sua sit,quod status imperii consentiant mirari se dixit.

Post Comitia hæc Cęsar è Germania discendens Friderico Palatino negotium det, per principes Electores de restituendâ Geldria,cum Clivensi agendi. Mittunt hi legatos,cumq; tum sui privati periculi,tum publicæ perturbationis commonefaciunt. Ille se legitimum hæredem,& absq; vitio possessionem nactum esse, adeoque causam totam disceptationi juris permittere, respondet, & ne vim sibi fieri patiantur, sed ad æquitatem animum Cæsaris inflectant, obtestatur. In Comitiis etiam Spirensibus Anno 1542. 14. Februar. celebratis juris & legitimæ possessionis defensionem una cum dilutione assertionis Cæsareæ Majestatis nomine in Comitiis Ratisponensibus Anno præterito 1541. exhibitæ,ordinibus imperii offert,quæ typis postea evulgata est.

Dum hæc geruntur,Gallus circa Majum ad Guilielmum mittit Longevallum, qui sub æstatem collectis copiis cum Martino Rossemo rei gerendæ occasionem expectabat, & non longè post atrocissimis verbis bellum Cæsari denunciat,cum paullò antè Longovallus,& Rossemus Brabantiâ occupatâ magnum terrorem imparatis incussissent, & proximum erat ut Antwerpiâ caperent atq; Lovanium,sed rebus ad tormenta necessariis destituti oppugnare non poterant,progressi igitur,quacunq; vaderent, omnia populabantur,pecuniam extorquebant,ac patefacta viâ filio regis, Aureliano Principi Carolo, qui Lutzenburgicæ regioni bellum tunc faciebat mense Augusto sese conjunxerunt.

Dux Guilielmus,contra milite ditionum suarum scripto,Heinsbergam, & Suesterenam quæ validis Cæsareanorum præsidiis tenebantur,Iuliacum munitus,& brumæ tempore asperrimo mense Decembri Duram circum sedit & subsidio Cæsareanorum in agro Aldenhoviano oppresso recepit. Cum vero An. 1543. alia Noribergæ Comitia indicta essent,in quibus Ferdin rex cum duobus filiis, & Gravellanus ex Hispaniis comparuerunt, Reginæ Mariæ quæ pro Cæsare fratre Belgium gubernabat,legati Ulricus Criechingus,& Viglius Zuichemus J.C. missi, principē Clivensem oratione prolixa graviter accusabant,quod ipsius opē consilioq; Rex Galliæ Martino Rossemo Ductore bellum iis locis fecisset, itaque petebant ut illū ad officium adducerent, quo videlicet à Geldriæ

possessio-

posſessione decedat,& damnum resarciat;sed quia propter Cęsaris adventum ad multò gravius bellum res tendebat, inter ipsum atq; Clivensem,Principes Electores, & alii ordines interq; eos Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector,& Philippus Hassiæ Landgravius affines per legatos intercedunt,& vix dum inducias impetrant à Gravellano,non quidem certas &definitas,Verum tales,ut esset in arbitrio Cæsaris ubi primùm Germaniam tetigisset , illas vel habere ratas,vel repudiare,atque interim oppidum Sittardum quod est ad fines agri Iuliacensis valdè munitum in potestate Cæsaris futurum erat,donec ille quid suæ mentis esset,explicaret. Intercessores hoc etiam promittebant, obviam se missuros legationẽ ad Cæsarem deprecandi caussa; & Gravellanus quidem magnam spem faciebat,fore ut benignum ab eo responsum ferrent,Pactionem hãc legati Clivenses,quorum erat primus Ioannes Vlattenus genere nobilis& vir doctus probabant,& intercessoribus agebant gratias ob navatam operam: sed intereà nempe 24. Martii fuit cõmissum prælium ad oppidum Sittardum,in quo Caroli copiæ quia Hinsbergæ obsessæ alimenta adducebant,profligatæ. Cumque superior in eo esset Wilhelmus noster partim ob hanc victoriã, partim impulsu Galliæ regis pecuniã subministrantis animum obfirmabat,repudiatis induciis, cum legatis domum rediissent; prælii secundi nuncius magnâ celeritate perlatus in Galliam excitavit ingentem lætitiam,& jussu regis decreta fuit Lutetiæ supplicatio,An. eodem 1543. Spiram venit ad Cæsarem sub exitum Iulii Archiepiscopus Colonien sis Hermannus Wiedanus, & pro Clivensi intercedit , sed frustra;nisi enim Geldriæ possessione prius Guilhelmus discederet, nullam pacis mentionem Cæsar audiebat. Et cum Saxonius legatus mandato sui Principis Granvellanum Moguntię pro Clivensi deprecaretur,ac persuadendi caussa Reipubl.diceret, privatam injuriam esse condonandam,præsertim jam imminente Turcâ:non dicessurum à proposito Cæsarem respondit,quæcunq; tandẽ sit futura Turcarũ impressio. Cæsar igitur ipse secundo flumine Moguntiâ descendens Bonnam venit,indeq; Duram petit,& quum ad Augusti diem 22 eo venisset,deditionẽ sibi fieri postulat, ni faciant bellum denunciat,Milites contemptìm respõdent,neq; sibi periculum dicunt esse ab illo,qui jam pridem factus sit esca piscium,rumor enim increbuerat,Cęsarem cum post cladem Argieranam domum ex Africâ rediret,facto naufragio periisse,& hæc opinio sic insederat animis populi Clivensis,ut illis qui se non vidisse modo Cęsarem,sed convenisse quoq; dicebant, vix crederent, principi quoque idem fatali quadam credulitate persuasum fuit. Hujus figmenti putantur auctores fuisse Galli,ne Clivenses remollescerent,Cæsaris potentiam veriti paciscerentur.

Porro caput hic ostentari solebat Annæ quæ mater fuit Marię virginis eoque veniebat quotannis magna hominum multitudo, ad 26um. Iulii qui consecratus est illè Divæ: sed Hispani victores caput illud nuro inclusum magnâ cum pompâ religiosa defe-

rebant

rebant in ædem Franciscanorum ne in illa ruina & templi conflagratione periret. Oppido direpto & incenso Cæsar progressus Iuliacum, ac deinde Ruremundam (quod est ad Rurę fluminis & Mosæ confluentem oppidum Geldriæ munitum) deditione capit; nã Duræ calamitas inopinata magnam omnibus trepidationem atq; terrorem incussit. Ruremunda Venlonam petit. Eo tandem ad ipsum in castra venit Dux Guilielmus comitatus Henrico Brunswicensi, & legatis Archiepiscopi Colonienſis Hermanni Wiedani, Adolpho Coadjutore, Comite ab Holtstein & Schowenburgh/ VVilhelmo comite à Newenaer & Moers/ & Joanne Groppero J. U. Doctore & Scholastico S. Gereonis Coloniense: cumque supplex deprecaretur, Brunswicensis etiam & legati vehementer intercederẽt, Cæsar tandem consurgit, ac Auraico principi & Granvellano dat negotium ut leges illi præscribant. His ergo conditionibus die 7 Septembris anno 1543 receptus est.

1. Ab Ecclesiæ Catholicæ religione non discedat, siquid in eâ mutatum, restituat.

2. Fidem & obedientiam Cæsari, Ferdinando Regi & imperio promittat.

3. Fœderi Gallico & Danico renunciet, fœdusque nullum faciat, in quo non & Cæsar, & Ferdinandus, & ipsorum excipiantur hæredes.

4. A totius Geldriæ possessione decedat, & jusjurandum populo remittat, ad recuperandam Geldriam, siquæ forte loca deditionem facere recusent, auxilia Cæsari submini stret: Cæsar invicem illi provinciam Juliacensem bello nuper acquisitam reddit, duobus exceptis oppidis Hinsberga & Sittardo, quæ sibi retinet ad tempus, donec de ipsius fide compertum habeat, & observantiâ.

His ita transactis anno 1544. 2 Januarii Bruxellis, & 24 ejusdem mensis in Spirensi conventu VVilhelmus comparuit, & cum in hoc præter Cęsarem, fratremque ejus Ferdinandum regem etiam plerique imperii principes adessent, plenior inter ipsos compositio inita est: ad quam a parte Cæsaris Ludovicus de Flandria Dominus de Praeth, Nicolaus Perenottus Cardinalis Granvellanus, Ludov. à Schore/ & Viglius à Zuichen Jurisconsulti: ex parte Guilhelmi Clivii, Johannes Gogrevius Cancellarius Iulius, Nicolaus ab Harff/ Geilenkirchæ præfectus, Henricus Olifarius Cancellarius Clivius, Georgius à Boenen præfectus Wetteranus, Ioannes Veltmeyer D. & Ioannes ab Ellen dictus Pottgieser/ deputati sunt. Hi Bruxellis convenerunt: *Tractatio Bruxellensis.*

1. Ut Carolus Cæsar nullum in Iulium Ducatum jus amplius prætenderet.

2. Quietè etiam Geldriam possideret.

3. VVilhelmo Hinsbergam & Sittardum restitueret.

4. Mutuo datos 260360 aureos, 42000 Maximiliano concessis, remissis, Cæsar redderet.

5. Munitio Ravensteinensis dejiceretur.

6. Imperator proprietati & redemptioni VVassenbergæ renunciaret.

7. Udenum antiquæ Cliviæ feudum cum Herpena & Ravensteinio à Duce Brabantiæ Dux Wilhelmus in feudum acciperet.

8. Winnendalia in antiquâ feudi formâ maneret.

9. Ut Dux Iulius medietatem Dynastiæ Millensis, Gangeltensis & Vuichtensis à Brabantia etiam feudum agnosceret, reliqua vero medietas libera esset.

10. Actionem in Bruggenium, Dulkenium & Randerodium oppida cum Advocatia Aquensi Cæsar remitteret.

11. Ut Restitutio VVachtendoncæ Schuelenburgi & parochiæ Angerogæ, erectio telonii Gennepensis, & Insulæ Rhenanæ ulteriori informationi reservarentur.

12. VVilhelmus Imperatori redemptionem Hertzogenradiæ permitteret.

13. De Bornâ Sittardo & Suesterâ quoque informatio fieret.

14. De Monioga medium propositum duplex: atque *hæc* omnia ordines utrimque rata haberent.

Hæc cum præstaret VVilhelmus Franciscum Galliæ regem infensissimum habuit, sed ille quoque cum anno 1544. 22 Septembris Cameraci Carolo reconciliaretur, totâ controversiâ sopitâ, utrimque animi reconciliati sunt.

VVilhelmus vero noster ab eo tempore Cæsari imperioque Germanico fidelis mansit.

Conjugium Ducis Wilhelmi.

Et cum conjugium cum Johanna Navarrena Brevi Apostolico, eo quod sponsa & parentes ejusdem dissensissent, per Bernhardum de Siburg à Paulo III. impetrato, abrogatum esset, juxta illud, regum & principum iræ in nuptias desinunt. Mariam Ferdinandi Caroli quinti Cæsaris fratris, & in axiomate imperii successoris filiam, anno 1546. 26 Julii Ratisbonæ cum Albertus Bavarus Annam alteram filiam duceret, in mediis turbis & bellorum motibus sibi adsociavit. Ioannam autem Henrici I. Albretanni Navarræ regis filiam & hæredem Antonius Borbonius Caroli filius, an. 1548 sibi copulavit, ex qua postmodum Henricus ejus nominis II. Navarræ, Quartus autẽ in hac Nomenclatura Galliarum rex natus est.

Privilegia.

Cum Maria verò Austria Dux Guilielmus à Carolo Cæsare privilegium de successione filiarum 19 Iulii, anno 1546: à Ferdinando verò socero Caroli fratre anno 1558, ut privilegium unionis omnium ordinum consensu, anno 1510 initæ, ratum esset, impetravit: quæ Maximilianus II. 21 Aprilis anno 1566. & Rudolphus II. 10 Martii anno 1580 confirmarunt. Ab eodem Carolo privilegium de non appellando, itidem à Maximiliano confirmatum, iisdem annis consecutus est. A Ferdinando verò specialiter omnium telôniorum, imprimis Mosani Gennepii translationem; à Maximiliano verò ejus filio anno 1566 privilegium exemptionis & Academiæ Duisburgensis anno 1562 à Pio

Pontifice Rom. indultam constitutionem, cum omnium regalium confirmatione accepit.

Anno 1571. ab eodem Cæsare Maximiliano protector diœceseos Recklinghusiensis, & anno 1575 cum Colonienſi & Monasterienſi Episcopis Advocatus VVerthinensis declaratus, anno eodem etiam privilegium de non evocando, & à judiciis VVestphalicis, itemque ab arrestis subditorum immunitatem, à Maximiliano I. Cæsare, avo Joanni II. anno 1505 concessam, confirmatam, adeptus est.

Fœcundum præterea cum hac Maria Austria, Guilhelmo, Deo benedicente, conjugium fuit, quippe ex qua non tantum quinq; filias, sed etiam duos filios, omnes in arce Clivia editos, suscepit. *Libri.*

Maria Eleonora nata anno 1550. 26 Iunii quam sacro Baptismi fonte initiandam Christo obtulerunt Maria vidua Hungariæ, & Eleonora vidua Galliæ, utraque Caroli Cæsaris soror, Dorothea Danica Palatina vidua, & Adolphus Elector Colonienſis. Hæc anno 1573. 14 Octob. Alberto Friderico Marchioni Brandeburgico, & Duci Borussiæ copulata, ex pactis dotalibus, *quæ Ferdinandus & Maximilianus Cæsares confirmarunt*, tanquam primogenita domui Electorali Brandeburgicæ, deficientibus masculis hæredibus successionem in omnibus patris provinciis attulit. Domiductionem hujus, suo infra loco subjiciemus. Obiit anno 1608 in Majo.

Anna nata anno 1551. 1 Martii, mane inter 4 & 5, cujus Christiani baptismi testes fuerunt Alexander à **Drunbozn** / præfectus aulæ, Sophia à **Nesebrandt** dicta Loe Domina in **Wisen** / & **Nesebrandt** / Gothardi Ketleri uxor: Hæc anno 1574 Philippo Ludovico Palatino Neoburgico nupsit; de ejus quoque Domiductione infra locus dicendi dabitur. Obiit anno 1632.

Magdalena nata anno 1553. 2 Septembris, quam sacro fonte abluendam susceperunt Theodorus Comes à **Manderscheidt**; Æmilia patris soror, cœlebs: Magdalena Nassovia. Hermanni Comitis Moersani uxor. Hæc anno 1579. 4 Octobris Johanni Palatino Bipontino copulata est. Obiit anno 1633.

Carolus Fridericus in spem successionis parentibus 24 Aprilis inter quartam & quintam matutinam, anno 1555 natus, & à Carolo V. Cæsare, Friderico II. Electore Palatino, Philippi anno 1588 defuncti, filio Ludovici VI. anno 1540 demortui, fratre, Anna Clivia V. Valdecciana sacro fonte levatus. De cujus vitâ & obitu ex Hercule Prodicio Pigii summa capita suo quoque loco annotabimus.

Elisabetha nata anno 1556. 29 Iunii, initiandæ sacro fonte patrini fuerunt, Joannes à **Bronckhozst** & **Batenburg** / Dominus in **Rimburg** &c. **Horstede** præfecti aulæ uxor, & vidua de **Schwanenburg**: sed anno 1561, 19 Aprilis denata in herbâ obiit & abiit, Clivis condita.

Sybilla in lucem edita anno 1557. 26 Augusti, hora decimâ, ante-

meridiana. Hæc anno 1606 Marchioni Burgoviæ Carolo Auſtrio nupſit.

Johannes VVilhelmus ſecundus filius fuit, de quo poſt patrem.

Omnium verò tum parentis utriuſque tum liberorum cunctorum ſequentia addimus Eteoſticha.

ETEOSTICHA,

ſive

Carmina numeralia, diem natalem Illuſtriſs. Principis Guilielmi D. Juliæ, Cliv. Mont. Nec non Illuſtriſſ. D. Mariæ Auſtriæ &c. C. S. uxoris.

Item ſingulorum Illuſtriſſimi Principis liberorum nomen, loeum diem feſtum, annum, menſem & diem, quo nati ſunt, complectentia.

Illuſtriſſ. P. Guilielm. D. Juliæ
1516, 28 Iulii natus.

Quintilis vigena fuit, tu junxeris octo:
Te genuit Clivis panta Wilhelme Leon.

Illuſtriſſ. D. Maria Auſtria.
1531. 15 Maij nata

Gens Tigurina furens jacet, inclyta Praga Mariam
Ortu ter quinto, vere calente creat.

Nuptiæ illuſtriſſimi Principes Guilielmi cum Mariâ Auſtriâ celebratæ Ratisbonæ 1546, 5 Iulii.

Quinta Ratisbonæ par nobile nectit Juli,
Clivenſi conjunx læta Maria venit.

Maria Heleonora 1550, 16 Iunii.

Iunius Octenos ſoles bis vexit in orbem,
Pulchro lux orta eſt Elleonora polo.

Nuptiæ illuſt. D. Mariæ Heleonoræ cum illuſt. P. Alberto Frederico D. Boruſſiæ celebratæ in Regio monte Boruſſ. 1573, 14 Octob.

Octobris nono ſocietur quintus, in arce
Kinsbergi, Alberto chara Maria coit.

Anna 1552, 1 Martii

Lubrica prima fuit, qua veſcier incipis aura
Ἀγὸς auſpiciis, Annula virgo bonis.

Nuptiæ

Nuptiæ D. Annæ cum illustriss. P. Philippo Ludovico Palatino Rhenis celebratæ Neoburgi ad Danubium 1574. 27 Septemb.

Septima lux noni vicenaque stellat, ut Anna
Nuburgi conjunx juncta, Philippe, fuit.

Magdalena 1553, 2 Novemb.

Altera lux noni fuit, Octobrisque sequentis,
Incipis hac lunâ tu Magalena frui.

Illustriss. P. Carolus Fredericus 1555, 28 Aprilis.

Octo & viginti numerabis Aprilis, ut exit,
Carole tu Clivis, natus es alte tuis.

Obitus illust. P. Caroli Fred. Romæ 1575, 19 Februarii

Carole tu patria is præclara palatia Romæ
Cernere, te Februi nonus in VRBE *necat.*

Elysabeta 1556, 29 Iunii

Triginta in numeris noctcis solisque reflexus
Iunius, huic vivis, nasceris Elisabeth.

Obitus Elysabetæ 1561, 19 April.

Extincta Elizabet Clivis, cum nonus Aprilis
Atqui bis quintus spiritus astra subit.

Sybilla 1557, 26 August.

Augusti sexto & viceno, nata Sibilla est,
Montigenis Clivis Iuliacisque suis.

Illustriss. P. Iohannes Guliel. 1562, 29 Maij

Majus vicenos recolit solesque novenos,
Aspexit vultus Clivia, Iane, tuos.

Barbara MAMCESI vox est ignota Latinis,
Continet hæc pueros dux Gulielme tuos.

Anno 1546 Maximilianus Burenus Cæsari Carolo V. ex Belgio militem adductum Eltenæ lustravit, cum quo protestantes PP. vicit VVilhelmus noster, cum anno 1548 Cæsar, per Germaniam victor comitia Augustæ vindelicorum celebraret, iisdem interfuit, atque Cæsarem ut clementius cum captivis Principibus Joh. Friderico Saxone, & Philippo Hasso affinibus suis atque Euangelicæ doctrinæ hominibus ageret, rogavit: fœdus tamen reginæ Mariæ

sororis Caroli, anno 1552 Aquis institutum per legatos excusavit. Pari ratione anno 1552 Heidelbergæ in principum conventu comparuit, ut Mauritium Saxonem cum Cæsare Carolo Albertum Marchionem Brandeburgicum cum Episcopis reconciliaret, atque pacem cum aliis in Germania stabiliret: anno 1553 in eadem Heidelberga tribus Electoribus Rheni, Pal. Mog. Treviro & Christ. Wurtenbergico fœdere defensivo unitus est, quibus studiis id effecit, ut semper hinc inde in comitiis in magna authoritate apud Principes fuerit, præsertim vero anno 1557 in compositione controversiæ de comitatu Cattorum, & anno 1558 cum socer Ferdinandus, & anno 1562 Maximilianus ejus filius suus affinis Francofurti Cæsares constituerentur, prout in sequentibus porro explicabitur.

Anno 1562 Arnholdus Comes Benthemius (anno 1554 11 Octobris natus) in ipso ætatis flore dum annũ ageret octavum, Everwino patre mortuo, ex consilio Annæ matris Conradi Tecklenburgici ex Mechtilde Hassa, anno 1558 in Sept. mortuâ filiæ unicę & hæredis aulam Iuliacam, tanquam ipsius Minervæ templum & palæstram, usque ad annum 1571 frequentavit, inque eâ cum junioribus principibus educatus est.

Reformatio Colonięnsis prima.

De reformatione Ecclesiæ Christianæ in Germania imprimis in Archiepiscopatu Colonienſi duplici, ex Iohanne Sleidano, & Iacobo Augusto Thuano historicis fide dignissimis jam porro dicendum.

Reformatio Colonienſis prima est, quod Euangelicæ veritatis cognitione illustratus Hermannus VViedanus Archiepiscopus Colonienſis (anno 1477, 14 Ianuarii natus,) & anno 1514 ad dignitatem istam electus cum emendationem Ecclesiæ cogitaret, hortatu suorum anno 1536 provinciæ Episcopalis concilium Coloniæ Agrippinæ coegit, vocatis eò reliquis, uti fieri solet, ditionis suæ Episcopis, Leodio, Trajectenſi, Monasterienſi, Osnabruggenſi, Mindenſi: facta ibi sunt decreta de ceremoniis atque doctrinâ: post etiam ejus rei liber fuit editus, quem Iohannes Gropperus juris pontificii Professor composuit, in quo pleraque omnia dogmata pontificia novis interpretationibus, & veluti coloribus vestiuntur.

Quia autem scriptum hoc Archiepiscopo neutiquam satisfecit, & præterea in Comitiis Ratisbonenſibus anno 1541 decretum fuit factum, & injunctum Episcopis, tum à Cæsare, tum à Legato pontificis, ut in suis quique finibus piam emendationem instituerent, ille anno 1542 Martinum Bucerum à Groppero ex comitiis reduce à pietate eruditioneque & & pacis studio commendatum, sed antea tamen sibi notum, Bonnam in Februario evocat, nec ante dimittit, quam de reditu præstita promissione. Deinde anno 1543 suorum ordinum agit conventus: hi sunt, Clerus primarii templi, Comites, nobilitas, & civitatum legati. Re deliberatâ placuit omnibus inchoandum esse tam pium opus, atque salutare institutum; negotium ergo dat quibusdam, ut rationem aliquam

futuræ

futuræ reformationis scripto concipiant, & de viris bonis Ecclesiæ ministris circumspiciant. Scriptum illud Theologis Colonienſibus mittit, & ut è sacris literis judicium faciant, sententiamque suam ostendant, petit: sed cum nec sic desiderio ejus satisfieret, Martinum Bucerum Argentinâ revocat; & Philippum Melanchtonem VVittemberga à Saxone; Ioannem Pistorium Niddanum ab Hasso impetratos, ei adjungit, qui totum reformationis opus exorsi illud perfecerunt, & anno 1543 publicarunt. Huic antidogma suum oppositit Gropperus, qui cum Bernhardo Hagio Cancellario, ambo sacerdotiis multis opimi, ab Archiepiscopo suo defecerunt, & quo minus reformatio in tota diœcesi succederet, effecerunt, itaut ad bellum Iuliacense proficiscente Carolo Cæsare, & Bonnam cum milite appellente, ministri Euangelici supradicti non sine vitæ periculo inter Hispanorum furores verbum Dei prædicarint; qui tandem ministerio Andernaci, Lintzii, Bonnæ, & Kempenæ constituto, ad suos redierunt.

Anno 1544 Clerus adversus reformationem protestatus Archiepiscopum suum coram Paulo III. Papa & Carolo Cæsare accusavit. A quibus anno 1545 citatus, Friderico II. Palatino atque Ioachimo II. Brandeburgico, Electoribus, ob senectutem licet pro eo intercedentibus, anno seq. 1546 exauthoratus, cum frustrà à Papa ad concilium provocasset, Episcopatum potius quam Christum relinquere maluit, adeoque cum ei Adolphus Schouwenburgicus ipsius primùm Coadjutor successisset, & fratris Friderici præpositi Bonnensis, & Episcopi Monasteriensis cum Decano comite Stolbergio, anno 1547, 25 Ianuarii dignitate exutis & urbe pulsis, depositorum exuvias Gropperus tulisset, à VVilhelmo nostro, Iuliæ, Cliviæ, Montium, Duce, Theodoro Manderscheidio, & VVilhelmo Novariense Comitibus persuasus, vir miti ingenio suorum potius periculo, quam rei familiaris atque dignitatis dispendio territus, Archiepiscopatu anno 1547 ultro cessit, & Biverini suæ ditionis oppido 14 Augusti, anno 1552 in Christi veritate constanter obdormivit, jam senio gravis; quippe nonagenario proximus.

Hoc pium Archiepiscopi, sui ἀναδόχου propositum Dux Guilielmus Clivius quoque imitatus est, quippe in verâ Dei & Christi cognitione à Doctore Heusbachio educatus, Doctrinam Euangelii non aversatus, illam cum Catholicorum religione collatam cum eadem componi exoptavit, & huc omnem operam fideliter contulit.

Depositoverò anno 1547 Hermanno VViedano, anno eodem Guilhelmo noster Adolphum Schouwenburgium in Archiepiscopum Colonienſem promovit, eundemque Coloniam, cum maximo comitatu nobilium deduxit. Huic frater Anthonius; eidemque Ioannes Gebhardus comes Mansfeldicus, anno 1558. Huic post Frid. VViedanum ultro se eadem dignitate; qua anno 1562 potitus, abdicantem anno 1567 Salentinus Isenburgius, & huic post abdicatum iterum Episcopatum an. 1577 Gebhardus Truch-

sesius succesſit, quorum hic secundam reformationem orsus est.

Reformatio Coloniensis secunda.

Nam anno 1582, 16 Januarii scripto publicato & typis mandato, testatur se non solum de civili administratione, sed etiam de gloriâ Dei promovendâ sollicitum, supplicibus libellis suorum, Religionis libertatem juxta imperii leges depoſcentium, acquiescere decreviſſe, proindè præfectis enixè inhibere, ne cui religionis causa moleſtiam faceſſant. Deinde publicè religionem Euangelicam anno 1583 profeſſus, eodem anno 28 Januarii solennia celebrantur comitia, in quibus vehementer accuſatus, Guilhelmum quoque noſtrum adverſum habuit: proipſo tamen Joannes Dux Bipontinus Ludovicus VVitgenſteinius, & Salmenſis comites adfuerunt, ſed nihil obtinuerunt. Imprimis cum 4 Februarii anno eodem 1583 Agnetem Joannis Georgii comitis Mandetſcheidiæ filiam Bonnæ, benedicente conjugio Pantaleone candido, Paſtore & Inſpectore Bipontino, ſibi ſociaret, exauthoratus, inque ejus locum Erneſtus Bavarus ſuffectus eſt, quem Noveſi Guilhelmus noſter convenit, & omnia fauſta ac fælicia gratulatus eſt. Saxoni autem Leoburgico, exercitus, quorum arces à Gebhardo occupatas reciperet, à Colonienſibus traditus, cui tamen Salentinus Iſenburgius poſtmodum præfectus eſt. Pro Gebhardo igitur 3 Martii anno eodem 1583 Hailbrunnum, ad Nierum oppidum, colloquium à Proteſtantibus indicitur, ubi Ludovici Septemviri Palatini, & civitatum delegati convenerunt, & de externo in Germaniam milite introducto, conqueſti, Heidelbergæ ad Arenbergium, cui cura Rheni partium ab Imperatore commiſſa erat, literas mittunt, utque ab illis militem abſtineat, monent. Sed cum nihil efficerent, frater Ludovici Iohan-Caſimirus Gebhardo patrocinatus militem quoque ſcribit, eumque Colonienſibus opponit, qui ideò 27 Iunii anno eodem 1583, à Cæſare Rudolpho II. mandatum accepit, ut omiſſâ omni dilatione ab hoc incepto abſtineat, copiaſque quas ſub ſignis habeat, dimittat. Ad eas Caſimirus confeſtim reſcripſit: hucuſque ſe vim abſtinuiſſe quamdiu ſpes promiſſi à Cæſare conventus aliqua ſuperfuit: nunc Pontificis publicato edicto, ſe injuriâ non ſolum imperii publicâ commotum, ſed ſeptemvirorum quoque expoſtulationibus incitatum, ſuppetias in communi Gebhardo promiſſas denegare non potuiſſe. Hinc præſidiarii Bonnenſes 12 Auguſti, Suitium cœnobium, cui novus præſul Erneſtus centurionem cum delectis præfecerat, coronâ cingunt. Repulſi ex occupatis vicinioribus locis ſub veſperam jam dejectis munitionibus, ad periſtylium accurrunt, atque incendunt. Ignis in cœnobium plumbo contectum pervadit, nequicquam reſtringuere illum annitentibus præſidiariis, qui ad extremum fame flammaque ſtrangulati, ceſſerunt, & fortiter pugnando, cuncti ferè in veſtigio perierunt. Poſt incendium tectum omne depaſtum eſt remanente lapide quadrato, tanti adificii illæsâ mole, veriti Colonienſes, ne, ſi illam occuparent hoſtes, impoſitis inde tormentis urbem infeſtarent, cum cœnobii præſule agunt, & certis conditionibus,

Thuan. lib. 78.

bus,promiſſaque in urbe habitatione,ut ruinas illas demolirentur, impetrarunt,id mox à mille cæmentariis peractum, & ſeptem dierum ſpatio ingentes illæ ruinæ ad aream complanatæ ſunt. Ideo Caſimirus, & cum eo Jacobus Mauſio Badenſis, Adolphus Nuenarius, Joanes Naſſovius, Herman-Adolphus Solmæus, Joannes VVedanus, Comites, Fridericus Vernerus, Bernhardus Valbrunnus,quod Gebhardo adhærerent,31 Auguſti,anni ejuſdem ab eodem Cæſare Rudolpho conjunctim mandatum acceperunt, quo pœnâ imperii legibus conſtituta,inque recuſantes ſancitâ imperabatur,ut ſine ullâ prorogatione ſcriptum militem ſacramento ſolverent, ſigna militaria deponerent, exercitum denique per decurias,ſine vicinorum Principum incommodo dimitterent.

Quod propter mandatum,10 Octobr. Francofurti iterum conveniunt Septemvirorum Proteſtantium legati: miſſi quoque quidam ab Erneſto novo præſule, propoſitum eſt, ut quando legitimis collegii ſuffragiis olim electus eſſet Gebhardus, ante omnia reſtitueretur, ſe Cæſaris & Septemvirorum judicio ſiſteret, ut de cauſa ſecundum imperii leges pronunciarent. Reſpondent Bojarici,interdictum ſibi, ne cum Gebhardo actionem inſtituant, electum fuiſſe,ut à ſummo pontifice confirmationem impetraret,jam privatum eſſe ab eo à quo confirmatus ſit, & ſimul dignitate Septemvirali excidiſſe. Caſimirus verò intellectâ fratris Ludovici morte,ſtatim publicato ſcripto,quo neceſſitatem domum redeundi ſibi impoſitam oſtendebat, numeratis militi aliquot menſium ſtipendiis, protinus ſe in viam dat, atque 19 Octobris Heidelbergam venit. Erneſto autem Bavaro electo frater Guilhelmus anno eodem 1583.9 Novembris ſuppetias laturus, ut conſcriptum exercitum inter Argentinam & Nancæam, locum diripitorio militi deſignatum luſtraret, Monaco movit: & cum Ferdinandus alter frater junior cum delectis copiis ad caſtra veniſſet, mox cedente ultrò Iſenburgio,ſummus exercitus Imperator à fratre creatus eſt. Is 21 Decembris arcem Goedeſbergam haud longè à Bonnâ in montis faſtigio poſitam, & ferè inacceſſam, quæ Bonnæ obſidionem difficilem reddebat, expugnavit. Mons,cum ut petroſus cuniculorum patiens non eſſet, cunicularii ad eam partem adhibiti ſunt,quâ petræ minus,plus terræ erat,quorum operæ brevi eò perductæ ſunt, ut ſuffoſſo muro, & pulvere nitrato ſubjecto, propugnacula mota in altum diſjecta ſint. Neque tamen præſidiarii ſe deſerunt, ſed comportatis tormentis, in denſos irrumpentium globos,ea diſplodunt. Ad extremum numero impares,ceſſere, & Bojarici vi loco potiti ſunt,omneſque ad unum præſidiarios, nulli gratiâ factâ (ſic enim Ferdinandus juſſerat) interfecerunt. Hinc anno 1584,28 Ianuarii Bonna Erneſto à militibus præſidiariis traditur,& Carolus Truchſeſius Gebhardi frater in cuſtodiam abducitur. Eadem anno 7 Aprilis Ferdinandus Bavarus & Alexander Farneſius Dux Parmenſis urbem Reghlinckhuſam coronâ cingunt, & una atque altera oppugnatione fruſtra tentato oppido,

tandem

tandem deditio facta est. Gebhardus igitur, dilabentibus suis, 4 Non. Maij Delphos ad VVilhelmum Nassovium, Arausionensem Principem se contulit, qui Hagæ aliquamdiu hospitium exuli cum uxore attribuit. Ernesto autem Bavaro successore ejus anno 1612 defuncto, ex fratre nepos Ferdinandus successit.

Ab eodem Cæsare Ferdinando, Gebhardo Truchsesio Archiepiscopo Colonienſi, Roberto à **Berge** Leodienſi antistite, imprimis Philippo Hispaniarum rege VVilhelmus noster deterritus, negavit, anno 1560 Non. Mart. de non recipiendis in Senatum Euangelicis, eorumque exercitio tolerando, decretum factum est, quod tamen anno 1574. 13 Julii iterum abrogatum; ex quo tempore publicum exercitium religionis orthodoxæ ibi viguit, quod anno 1580 rogatu Francisci **Vosz** Decani, Cæsaris Rudolphi jussu, Gebhardus à **Groeszbeck** Leodienſis antistes Cardinalis, Parmæ Dux Alexander Farnesius, & nomine Guilielmi hujus nostri Guilhelmus de **Harff** / Dominus in **Alszdorff** / **Kerpen** & **Huerdt** / VVernherus Gymnichius, Henricus Cadoneus, & Gualtherus Fabricius LL. DD. vicissim abrogare fategerunt.

Anno 1581. & 82 cum Rudolpho Imperatore, & Ernesto Bavaro Colonienſium & Leodienſium Episcopo, reducendis ad obedientiam Aquenſibus frustra iterum laboravit VVilhelmus. Ideoque anno 1585 novo mandato accepto, eoque anno 1588 repetito, anno 1590 Iohannem Thenium præfectum Aquenſibus designatum eodem dimisit, qui magno pontificiorum plausu exceptus est, refragantibus Euangelicis, qui ob id anno 1598 proscripti sunt: quâ de re in filio Iohanne VVilhelmo successore, plura.

Comitia Francofurtenſia.

Cæterum Dux VVilhelmus anno 1562 vivente adhuc socero Ferdinando Imperatore (qui anno 1564 ipsa Jacobi seu 25 Julii obiit, & per provincias Juliæ, Cliviæ, Montium campanarum pulsatione in omnibus templis Næniis tribus diebus honoratus fuit, affinem Ferdinandi filium Maximilianum, ut Rex Romanorum renunciaretur diligenter adiuvit, ejusque coronationi, sicut etiam conjugis Mariæ Hispanicæ cum multis suorum viris nobilissimis Francofurti interfuit: quales fuerunt Adolphus & Ludovicus Nassovii, Hermannus Novarienſis, Franciscus VValdeccianus, Edzardus Frisius, VVilhelmus Schwartzenburgius, Philippus Mansfeldius, Theodoricus Manderscheidius, & Gerolsteinius, Comites; Marescalci, Iulius, VVilhelmus Gymnichius, Clivius, Arnholdus VVachtendoncius, Montanus, VVilhelmus Bernsauwicus, cum præcipua omnium provinciarum nobilitate; ut sunt, Godefridus Baro Schwartzenburgius aulæ præfectus, VVernherus à **Bungart** Archicamerarius Iulius, Theodoricus à **Palandt** Dominus in **Bredenbendt** / VVassenbergenſis, Ioannes à **Reuschenberg** Dominus in **Setterich** / Ulricus à **Merode** dictus **Scheiffart** Dominus in **Nozvenich** / victor **Knipping** / Hammonenſis, Henricus à **Reck** Limarsiæ, Adrianus à **Bilandt** / Dominus in **Well** Gennepenſis, Otto à **Bilandt** / Dominus in **Rheidt** / Hensbergenſis,

Ioannes

Joannes ab Harff Bornensis, Ioannes à Palandt/ Dominus Noetbergæ VVillemsteinius, & Etschweileranus, Theodorus ab Horst in Hausz hæreditarius, Iodocus ab Eller Lulstorpiensis, Christophorus à Rolshausen/ Montisiovius, Conradus à Binsfeld Niedeccianus & Schoenforstanus, Ioannes ab Holtrop/ Theodorus ab Hall Monhemius, Franciscus à Loe, Dominus in Wissen/ Gorsensis, præfecti: cum nobilibus aulicis Georgio à Romberg/ stabuli, & Georgio à Bornen culinæ Ducalis præfectis, VVilhelmo VVylichio in Rosaw/ Christophoro VVylichio in Grondtstein/ Theodoro ab Harff/ Arnholdo à Stommel/ Ioanne Spresio, Bertramo à Landtzberg/ Ioanne Ketlero, Volmaro à Scheidt/ Degenhardo à Werde in Schloszberg/ Ottone Schenckio, Arnholdo Bieckio, VVilhelmo Spresio, Adolpho Batenburgio, Ioanne ab Efferen/ Georgio à Landtzberg/ Theodoro & Ioanne ab Aldenbouchumb/ Ioanne ab Ossenbruch/ Siberto à Bernsair/ Cõrado à Romberg/ Gothardo Schirpio, Alberto ab Huchtenbroich/ Philippoà Biernumbt. Iacobus Omphalius quoque, & Carolus Harstius I.C. nec non Paulus Langen Secretarius; iisdem cum principe comitiis interfuerunt.

Anno 1564. 19 Februarii æger testamentum condidit Carolo Friderico filio, hærede & successore nuncupato. *Infirmitas Principis.*

Anno 1565 maxima aquarum ex dissoluta glacie qua Rhenus hyeme durissima concreverat, inundatio, provinciæ Clivensi multum damni intulit, anno 1634 repetitum. Anno 1566 cum bello Belgico quod provincias omnes tantum non depavit, in Comitiis Augustanis infirmitas nova principis, Dei manu contigit, quæ cum paroxismis tandem in hæmiplexia desinens, 25 annis duravit. Hinc ergo historiam belli Belgici ex Thuano breviter attexemus.

Anno quo diximus, 1566 factâ prius in Belgiis multis locis reformatione, cum inquisitio Hispanica mandato Regis Philippi II. introducenda esset, eaque Bruxellis divulgaretur, Henricus Brederodius, VVilhelmus Nassovius, Florentius Culenburgius; & VVilhelmus Montanus Comites cum numero 400, amplius, nobilium, ubi ad Gertrudis fanum conventu habito deliberassent, 24. Martii vestibus subcinericii coloris ferè induti supplicem libellum Margarethæ Parmensi Gubernatrici Belgii de libertate conscientiarum porrexerunt. Barlamontius illis ultra modum infestus, contemptim Gubernatricem monuit: non esse cur ab hujusmodi nebulonibus sibi metueret, & omnes aut habitu, aut re mendicos esse, & Valonum seu Gallicâ linguâ Geusios, qui in Galliâ Hugenotti, in Germaniâ Protestantes appellantur. Hi dejectis passim idolis verbi divini incorruptam prædicationem urserunt. Cum autem VVilhelmo Nassovio 18 Octobr. anno 1566 Antwerpia in Germaniam descendenti suffectus esset Philippus Lalainus, Hochstratanus, Mechliniæ præses, hic seditiosos, imagines in summo urbis Antwerpiensis templo, post primam illam spoliationem restitutas, rursus dejicere molientes; ope civium non solum *Bellum Belgicum.*

repulit.

repulit, sed etiam præcipuos tumultus auctores cæpit, & sex eorum ad reliquorum terrorem, hac die cruci affixit. Alosti verò ministrum loco non concesso concionantem, capitis supplicio affecit.

Prætereà Rex 22 Augusti anno 1567, Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem in Belgium cum plena potestate missum Parmensi addidit. Is 9 Septembr. ejusdem anni, Egmondanum & Hornæum Comites, Bruxellas, tanquam de gravissimis negotiis consultaturus, excivit; à meridie in consilium vocatos per diversas januas emissos, comprehendi jubet. Cum gladium regis nomine ponere mandaretur Egmondanus, vir ingentis animi, ægrè eum, quem toties pro principe suo, ac patriâ feliciter strinxisset, relinquere se dixit: Hornanus autem cum sisteretur, de Egmondano ubi esset, percunctatus, & nihil à circumstantibus responderetur, sublatis in cœlum oculis & profundo dato suspirio, id verò rationi consentaneum erat, inquit, ut cujus consilium secutus sum, ejus quoque fortunæ comes essem. Quo dicto suam credulitatem increpabat, qui Egmondani amicitiæ, sana Arausionensis monita ac præsagia posthabuisset.

Anno 1568. 16 Februarii Belgis omnibus tanquam apostatis sectariis atque perduellibus ab Inquisitoribus Hispanis Madriti, cõdemnatis, & juxta rigorem præscriptum inquisitorio mandato; Cal. Matt. Albano executioni commisso, Parmensis gubernationis pertæsa 4. Id. Aprilis Bruxellis discessit: eodem autẽ an. prima inter Hispanos & Batavos pugna ad Dalenam in Ducatu Iulio cõmissa est, in quâ Lumæi & Villierii exercitus, qui Ruremundam intercipere cogitaret, profligatus an. 1569. 15 Martii, Albanus usum monetarum, nisi quæ Philippi nomine cusæ, atque signatæ essent, prohibuit. Idem Theologorum Lovanienſium, & Benedicti Ariæ Montani operâ in religionis causſa indicem expurgatorium librorum prohibitorum confici jussit.

Anno 1573. 17 Novembris, Ludovicus Requesenes Mediolanensis principatus præses Albano in Belgio prælidi successor designatus, facto per Allobroges, Sequanos, ac Lotharingiam itinere Bruxellas venit, & exeunte mense traditos ab Albano exercitus excepit: hic verò eodem quo venerat Requesenes itinere in Italiam perrexit, inque aulâ longè disparem meritis gratiam invenit. Th. lib. 54.

Requesenes autem vir summâ animi moderatione, & prudentiâ longo rerum usu confirmatâ præditus, ideò à Philippo ad id delectus fuit, ut contraria prorsus ab Albano ratione provincias Belgicas ad obediẽtiam suam reduceret. Quapropter etiam anno 1574. 8 Martii, veniæ à Rege Philippo Mantuæ omnibus Belgis concessæ formula concepta hoc die solenni promulgatione ab ipso publicatur: sed 5 Martii, anno 1576 acuto & pestilenti morbo correptus, ultimum diem clausit, lib. 62.

Anno 1577. ipsis Cal. Maij, Ioannes Austrius Belgii Gubernator

post

post Requesensium ab Hispano constitutus; magno comitatu & insigni pompâ Bruxellas ingreditur, inter legatum pontificium & Episcopum Leodiensem medius; & 4 Non. Maij publicâ ceremoniâ summus Belgii præses inauguratur.

Huic peste in castris propè Namurcum 1 Octobris anno 1578 mortuo suffectus à Rege Alexander Farnesius Dux Parmensis, qui 1 Octobr. anno 1581 Tornacum in deditionem accepit. Ipso verò 7 Decembr. anno 1592. Artesiæ extincto ex Hispania quidem Petrus Gusmannus comes Fuentius ad informationem de Nervo Belli in Belgo faciendam missus: In regimine vero Leonis Belgici Ernestus Austrius suffectus, cui in militia Petrus Ernestus Mansfeldicus adjunctus fuit. Post ejus verò obitum 10 Februarii anno 1595 Fuentius ipse successit. Anno sequenti 1596. Albertus Austrius, & Isabella Hispanica pridie Eid Augusti anno 1560 patre Philippo II. & matre Isabella Valesia Henrici II. filia Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. Galliarum regum sorore in nemore Segoviensi & prætorio Valsaino nata, in Belgium venerunt, auspicato conjugio anno 1595 copulati. Ipsorum verò militiæ primò Franciscus de Mendoza Admirans Arragoniæ cum Cardinale Andrea Austrio, Deinde Ambrosius Spinola præfecti sunt. Mendoza anno 1598 Episcopatu Monasterienſi, & Ducatu Clivensi occupatis dirè admodum in ejus urbibus, & toto agro grassatus est. Nam 3 Septēb. anno 1598 Orsoviæ ponte super Rhenum strato, 12 Octob. Bourichiam, 13 Dinslacum, 14 Rhenobergam, 29 Octobr. Reesam, 5 Novemb. Embricā, 8 Novemb. Dotichemum, 19 Novemb. Bocholtum, 26 Novemb Dorstenam, 8 Decemb. Calcariam occupavit.

Præterea Wirichius à Dhaun, comes in Falckenstein & Oberstein, Dominus in Bruich crudeliter 10 Octob. eodem an. 1598 ab Hispanis interfectus & crematus est.

Anno 1599 sequenti, Velalia invasa, sed non longè post qui occuparant, Hispanis sponte eam relinquentibus, iterum liberata.

Anno 1600 à Mauritio Nassovio in conflictu ante Novum-portum victus. Tandem induciæ post bellum diuturnum, anno 1609 annorum 12 successerunt: quibus exspirātibus Berga prætexta obsessa anno 1622, sed à Mauritio vindicata. Breda verò anno 1625 victa fuit, Groenloa contra ab Auraico anno 1627 occupata, quam anno 1629 Sylvæ Ducis & VVesaliæ, anno 1632 Venlonæ, Ruremundæ Trajecti ad Mosam, anno 1633 Rhenobergæ expugnationes insecutæ. Post Alberti Austrii excessum, anno 1621 Isabella sola Belgium administravit; quâ etiam anno 1633 defunctâ, nomine Regis Philippi IV. frater Ferdinandus Cardinalis Infans, Leonem Belgicum, parastatis Francisco Thomæ Sabaudo, Principe Carignano, & Francisco de Moncada, Marchione Aytona, rexit.

Ab Ordinum partibus præter Aurasiensem ab aliquibus evocatus Matthias Austrius, anno 1577. 2 Octobris, & anno 1578. 18 Januarii Bruxellas deductus est: quem anno 1581. 29 Octob. Leonis Belgici moderamen iterum abdicantem, Franciscus Andium Dux

Henrici III. Galliæ Regis frater secutus est: sed ille quoque frustra tentatâ Antwerpia in potestatem suam absolutè redigendâ, anno 1583 Belgio iterum excessit, indeque in Angliam, ex Anglia in Galliam suam rediit, Auraſionensi solo relicto, quo anno 1584. 19 Iunii transfixo usque ad annum 1587 Robertus Dudlejus Leicestriæ in Anglia Comes jussu reginæ Elisabethæ præfuit: ipse verò in Angliam redeunti, anno 1590 Mauritius Nassovius, & huic anno 1624 mortuo frater Fridericus Henricus successêre.

Cæterum ob bellum hoc Belgicum componendum diversi Imperatorum & Principum conventus habiti, & legationes in Belgium decretæ atque missæ sunt.

Anno 1575. 1 Ianuarii Dordracum appulit Guntherus Swartzenburgius Comes Maximiliani II. Cæsaris legatus, qui ejus nomine se medium inter Philippum & Belgii ordines interponens, expetere Imp. ostendit, ut pax in Belgio firma justis, & æquis conditionibus constituatur. Auraſionensis & delegati responderunt: velle ut ante omnia externi è Belgio deducerentur; deindè ordinum Belgii concilium generale convocaretur, quorum decretis super petitionibus suis de religione & conscientiarum libertate se submissuri sint. Sasbutus contra: Regem non posse ferre, ut Hispani qui ditionis suæ sint, & quorum fideli operâ in magnis expeditionibus hactenus semper usus sit, exterorum nomine censeantur, potius Germanos, qui Auraſionensi militent hac denominatione dignos.

Legato igitur Cæsareo primum 15 Cal. Aprilis, deinde prid. Id. Sextil. responsum datum, quo demonstrarunt Belgæ usque in hunc diem Regios non bonâ fide secum egisse, & ambiguis responsis, atque affectatis procrastinationibus, cum nihil magis quam pacem cogitarent, tempus extraxisse, ut ipsos interim imparatos opprimerent, Thuanus lib. 50.

Anno 1576 pax inter Johannem Austrium, & Status Belgicos in oppido Marchiensi iterum proposita est, cui per legatos V Vilhelmus quoque noster intervenit, sed nihil effectum.

Quapropter eodem anno 1576. 8 Novembr. Gandavi inter totius Belgii proceres in has conditiones conventum est, ut præteritorum oblivione ante omnia sancitâ, deinceps inter Brabantiæ, Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, Valencenarum, Insulæ, Duaci, Orchiarum, Tornaci, Namurci, Ultrajecti, Mechliniæ, Hollandiæ, & Seelandiæ provincias firma & syncera pax concordia & amicitia sit, in id omnibus consiliis & conjunctis viribus incumbant, quo Hispanos Belgii hostes declaratos ejiciant; Auraicus & cæteri subditi famæ ac dignitatibus restituantur, sententiæ, judicia, eorumque executiones, oppignorationes item ab initio tumultuum, anno 1566 tam armorum quam religionis causa factæ, rescindantur, revocentur, extinguantur; quo beneficio præcipuè fruatur Æmilia Nuenaria, Gomberti Nuenariæ & Limburgi

Comitis

Comitis filia, Henrici Brederodii quondam uxor, at nunc Friderici III. Septemviri Palatini vidua, in iis quæ ad Vianam spectant, & Philippus Nassovius Auraici filius, in iis quæ ad urbem & arcem Bredanam pertinent (Thuanus lib. 61.) Hanc transactionem anno 1577 unio Bruxellis excepit, & ibidem 17 Februarii ejusdem anni edictum perpetuum publicatum est. Sed cum hanc quoque pacem Hispani eluderent, ordines anno 1579, 23 Ianuarii unionis fœdus, & pacem religionis Ultrajecti inter sese inierunt, quâ inter alia cautum, ab hac unione nequaquam exclusas intelligi provincias & urbes, quæ tantum Catholicam Romanam religionem servent, modo se morigeras & amantes patriæ præbeant. Gandenses subscripsere prid. Non. Febr. deinde 5 Non. Maij Aurasiensis Antwerpiæ eam ratam habuit, Frisiæ & Trans-Isulanæ præses 3. Id. Iunii Sylvæ-ducis restitit. Th. lib. 68.

Eodem anno 1579 Coloniæ maximus Principum conventus novus habitus, In quo nomine Cæsaris Rudolphi, Iacobus Trevir, Gebhardus Truchsesius Colonienſis, Archiepiscopi, Iulius Herbipolensis Episcopus, Dux Franconiæ Otto-Henricus Comes Schwartzenburgius, itemque VVilhelmi Iuliæ, Cliviæ, Montium Ducis jussu VVernherus Dominus in **Gummich**/ Ioannes **Lawerman** / & Anthonius **Rinck** / Iuris Consulti convenerunt: nomine verò Regis Hispaniæ Carolus ab Aragonia Dux terræ novæ: Ordinum Belgii ejusque Gubernatoris Matthiæ Austrii mandato Philippus de Croy, Dux Archotanus, Princeps Chimaicus, Comes Bellomontanus, Marchio Pentiaci &c. adfueruut.

Sed cum & hæc tractatio in fumum abiisset, ordines Belgii, anno 1581. 26 Iulii, Hagæ Comitis conventu habito, fidem & observantiam Philippo debitam ejurarunt, scripto eâ de re confecto, quo declarabant, non populos principum causa natos, sed contra principes in usum populorum à Deo datos, adeoque Philippum omni jure ac dominio provinciarum Belgicarum excidisse, omnesque magistratus præfectos & judices à jurejurando ipsi præstito absolutos.

Caroli Friderici vita, peregrinatio, obitus.

Ad nostratia autem, unde defleximus, ut revertamur: de Wilhelmi hujus nostri natu majore filio Carolo-Friderico, quã supra promisimus historiam, ex Pyghio porro subnectem⁹. Sic igitur ille: Primus ei ad fælicitatem gradus fuit, quod heroinæ matris generosis uberibus lactatus fuerit, atque indolem Austriæ virtutis ex genuino & puro fonte materno suxerit. In parthenone sive gynecæo ab incunabulis apud eandem matrem, & Ameliam amitam, quæ in perpetuo, ut diximus, cœlibatu remansit, licet sæpius à magnis principibus ad nuptias expetita, educatus: pueritia ejus amabilis, & egregiæ festivitatis fuit, statimque in eadem exsplenduerunt corporis animique futuræ dotes. Itaque pater ei, cum septimum ageret annum, ex gynecæo sublato novum contubernium, & œconomiam propriam

quandam erigit, cui Wernherum Gymnicum Gymnicii dominum præficit, virum gravem, prudentem, & fidei exploratæ, nec non rei militaris ac aulicæ philosophiæ peritissimum, variisque legationibus principis sui nomine egregiè defunctum. Additi sunt pueri nobiles duorum Comitum ac præsulum filii ferè coætanei, ad disciplinę exercitii commilitium ex vetusto principum more, quos συμπάκτους Xenophon in Cyripedia vocat. Inprimis pædotribam adsciscit Matthiam Paludanum Venradiensem, virum ingenio, doctrinâ, & memoriâ magnum, eique ex Schola Embricensi evocato Carolum informandum atq; erudiendum committit; qui fundamenta Latinæ Grammatices per computum in digitis, & per artem, ut appellât memorativam cum nobilesq; pueros docuit. Erat enim Carolus ingenio promptus & alacer, memoriâq; non infælici, & licet in lubricâ illa ætate ad lusum propẽsior esset, honoris tamen, & victoriæ cupidus ideoq; : deinceps magis & magis per ætatis gradus animi corporisq; dotes in eo apparuêre, docilitas dexteritasque magna ad omnes ferè artes, memoria singularis, eaq; talis erat, ut cum vix esset annorum duodecim, Maronis poëtæ libros integros præsente patre principumque legatis continua oratione memoriter aliquando recitavit. Prudẽter enim pater sæpius filium ab aulica turba semotum, invisere, ejusq; studia & exercitia, rectorũ etiam ac ministrorum officia explorare, imò nonnunquam, quo vitam, victũ, ac mores ejus perdisceret, cum paucis ultro ad mensam ejus venire solebat: hinc sermo ejus Latinus non solum præcepris, sed etiam domesticâ cõmilitonum consuetudine excultus est, imprimis vero conversatione assidua doctissimi, atq; elegantissimi juvenis Joannis Reckii, qui jam anteà Italiam & Galliam studiorum causa peragraverat; linguas etiam externas à puero, Gallicam imprimis, deinde etiam Italicam, atque Hispanicam legendo, scribendo, interpretandoque, Musices etiam artem, canẽdi voce, psallendique testudine, cythara, organis, cæteris scienter ac jucundè degustare cœpit. Accesserunt exercitationes corporis, & armorum tyrocinia. Tum de peregrinatione Caroli consultatione instituta, eam tandem pater concludit, decretumque, ut honorato, sed tamen frugali cum Comitatu in Austriam proficisceretur, per biennium maneret in aula Maximiliani Cæsaris avunculi sui, palatium officii causa quotidiè frequentaret, & cum Cæsaris filiis amitinis suis Rudolpho & Ernesto, majoris atque ejusdem ferè cum Carolo ætatis, Matthia, Maximiliano, Alberto amicitiam familiari consuetudine contraheret, mores, linguas, ac disciplinas externorum usu addisceret, regulorum, principum, legatorum, illustrium, atque doctorum hominum colloquiis per conversationem assuesceret, domi certis horis studia, foris cum exquisita nobilitate militaria & campestria principum exercitia, fæliciter incepta, continuaret. Biennio peracto, Italiam, Gallias, Germaniamque inferiorem per ambages redeundo perlustraret, sanguine, vel affinitate, aut necessitudine sibi junctos reges ac principes

visitaret,

visitaret, celeberrimas urbes videret, populos, instituta, disciplinas, ac mores cognosceret, & quicquid denique vel antiquitatum, vel ædificiorum aut munitionum quibusq; in locis visu dignum esset, observaret & annotaret. Hujus peregrinationis Dux & antesignanus idem ille œconomus VVernherus Gymnicus constituitur, ad generosa ministeria principis Joanne Reckio, VVilhelmo Nesselradio, Adamo Gymnico VVernheri filio, Hermanno Boltwino, pueris item nobilibus Ottone VVachtendoncio, & Rolemanno Bilandio additis, in locum vero Matthiæ Venradii, fratris minoris Johannis VVilhelmi præceptoris domestici, Stephanum Pygium adsciscere placuit, virum in bonis disciplinis, historiâ veteri, & antiquitatum observatione haud mediocriter versatum. Rebus ita constitutis anno 1571 cum Carolus princeps prætexta deposita 17 annum ageret, dies profectionis Idus Octob. indictæ sunt, quois pater ipse, quamvis valetudine imbecillis, & alternis plerumque diebus æger, filium tamen comitaturus charissimum, charistiis cum matre, amitâ, fratre & sororibus amicæ dimissionis causa Dusseldorpii celebratis, familiam & omnem aulicum comitatum Dusseldorpio Bensbergum in superiorem ditionis Montensis provinciam movit, indeque præmissis per plaustra terrestri itinere per Francones Ratisbonam usque impedimentis, & valedictis omnibus 13 Cal Novembr. Bensbergo magno cum comitatu nobilium, officii causa principes suos prosequentium, pater cum filio discedit. Confluunt dehinc vicini magnates in itinere Carolo principi valedicere cupientes, atque imprimis Adolphus Novaquilanus Comes Ulpiensis elegantiâ morum insignis adolescens, expeditis equis, ne debitum prætermitteret. Conscenduntur naves ad Rheni ripam è regione Bonnæ, & labore jumentorum sexto die per Rhenum ascendunt Moguntiacum. Ex more principibus, vino, lautiis, tubarum sonitu, tormentorum applausu honores exhibiti: tum patris jussu Carolus cum Pyghio familiariter agere, visu digna passim observare & annotare, de re literariâ & studiis suis quotidiè conferre cœpit, quod totâ deinceps profectione statutis horis plerumque bis in die continuatum est. Appellentes Moguntiacum à Daniele Bredelio Archiepiscopi œconomo excepti: postridie sumpto jentaculo, Rheno relicto, per Mœnum adversum vecti sunt Francofurtum, emporium celebre Germaniæ, & à senatu solennibus verbis honoratis, à Patre Carolus Princeps gratiis actis discedit. Patre secundo Rheno in aulam regresso, filius rectà cum suis Herbipolim contendit, ubique ab antistite Friderico tractatus, Quinzingam pervenit: ex hac rectà Noribergam petit: qua urbe perlustratâ castrum Cæsaris & Ratisbonam pervadit, ubi per Danubium amne secundo Passaviam indeque Lintziam vectus, materteræ Catharinæ, reginæ Polonorum Sigismundi III. Viduæ locutus, Neoburgum & tandem Viennam Pannonicam appulit, ubi ab amitinis Rudolpho & Ernesto ante urbem acceptus, cum pompa equitum in palatium Cæsareum ductus, Maximiliano Augusto

avunculo, & imperatrice ſalutatis, locus ei in oratorio attributus eſt. Habito cum principibus Auſtriacis prandio, à legatis exterorum Regum, & principum honoris ac amicitiæ cauſa viſitatus, eoſdem viciſſim reſalutavit. In hac aulâ Cæſareâ ſtudiis, atque exercitiis principe dignis verſatus, in Hungariam etiam ad coronationem Rudolphi anno 1572 profectus, Henricoque III. Valeſio Galliarum Regi, aliiſque locutus, ad profectionem Italicam mandato patris ſe accingit, & Auguſto ejuſque filiis 8. Id. Septembr. valedicens, magnâ proſequentium pompâ, diſceſſit, & per Cæſei montis ſylvas in Noricum Ripenſe profectus, Danubium à dextris relinquens, per Valeriam & Carnas à ſiniſtris quatriduano itinere, prid. Id. Septembr. Laureanum pervenit. Inde per Epiſcopatum Saltzburgenſem, & Comitatum Tirolenſem apud Ferd. Archiducem benè habitus per Salinas vicinas, & valles Oenipontem movet. Per quem Steinachium & Pyrenæum montem tranſcendentes pridie Cal. Octob. Styriacum Brixinâque relictoque ad dextras Tridento, Primulanum Baſſianum Venetorum ditionis *oppida* contendunt, ibique ſalutata Italia Tarviſium Totilæ patriam, Meſtreſium, Mageram pergunt, ubi Cymbis actuariis per mare Adriaticum vecti, Venetias appulere, à Duce & Senatu ibidem honorati, à legatis verò Principum viſitati: & Republica illâ, inque ea inſigni ſacrario & theſauro D. Marci perluſtratis à ſummi Pontificis & Regis Galliarum legatis excepti, Patavium, Vicentiam, Veronam, Villofrancam proficiſcuntur. Hic Guilhelmus Mātuę Dux ejuſque filius unicus, 12 annorum juvenis, iis in villa Marmirolana adventum gratulatus, Mantuam, Brixiam, Caſſanum ad Abduam, Ticinum, Placentiam, Parmam, Mutinam, Bononiam vadunt, ubi à Gregorii XIII. Pontificis legato excepti, Umbriam, Spoletum Interamnam, Narniam, tranſeuntes per viæ Flaminiæ vetuſta monumenta ad Tiberim feſtinant; quâ tranſmiſſa Romam appellunt eo tempore, cum Jubilæum ibidem celebraret is ipſe Gregorius XIII. ſummus Pontifex: ubi ſicut & in prioribus omnibus locis viſis atq; annotatis cūctis ἀξιομνημονεύτοις 3 Nonas Januarii anno 1575. Neapolim perluſtraturus eo cum ſuis Princeps Carolus contendit: ex quo itinere Romam factus redux, 8 Cal. Feb. poſt mediam noctem ægrotare cæpit, febri & poſtea quoque Exanthematis totum ejus corpus occupantibus. Ex quibus fruſtra adhibitis remediis 9 Febr. decima antemeridiana vita exceſſit, magno Patris optimi & omnium provinciarum, imo Pontificis quoque, & S.P.Q.R. luctu, ibidem in æde Germanicæ nationis D. Virgini ſacra, cœnotaphio erecto tumulatus, nuntium vero obitus triſte parenti, 6 Martii ejuſdem anni Clivis allatum eſt. Prout hæc omnia in Hercule ſuo Prodicio Pighius pluribus perſequitur; Ex quo nos tantum ſumma capita hic recenſuiſſe, ſatis duximus.

In immaturam vero, & luctuoſam hujus Caroli-Friderici Cliviæ, Juliæ, Montium Ducis 9 Febr. anno 1575 Romæ defuncti mortem, ubi prius aliquot aulæ paternæ procerum, utpote Guilhelmi à

Bernſaw

Bernsaw Domini in **Hardenbergh** / Mareschalci Montani, Franciſci à Loe, Domini in **Wissen** / præfecti Gochensis, Gulielmi à Ley, præfecti aulæ, Victoris Knippingi, præfecti Hammonensis, Adriani à **Bilandt** / Domini in **Well** / Andreæ Masii, Hermanni Cruseri, & Henrici Barsii, Oliferii Cancellarii Clivorum I.ctorum, qui principem Patriæ non obscuro omine præcesserant, obitum exarasset, ita canit J.L.D.

Sic etiam cum tristis hyems festinat, & atra
Impendent nubes & sine luce dies.
Decutiant frondes properatæ mane pruinæ,
Et squalent subito prata nemusque gelu.
Flebile, sed quanto supereminet omnia, damnum
Fert ab Aventinis quod modo fama, jugis.
Quæ jam fama volat passim per regna, per urbes,
Per quotquot populos Teutonis ora tenet;
Cujus ad adventum, quanti ô lamenta doloris
Fecit Menapiis Clivica terra locis.
Carolus Ausoniâ occubuit Fridericus in urbe
Vnica lux Patriæ, Carolus occubuit.
Acta fuit gelidi sexta ac vicesima Iani
Mœstaque nocturnum Luna tenebat iter.
Cum subito sensit labi per viscera morbum
Ægraque non solito membra dolore premi.
Nec mora, dira lues omnes sit major in horas
Vlla nec ardentem sublevat unda sitim.
Artifices adsunt vitæ, succosque potentes
Et quæcunque juvat protinus herba, ferunt.
Nec minus interea pectus quatit aspera tussis
Duraque inassuetus concutit ossa tremor.
Multa quoque ex Vdo manat pituita cerebro
Quæ gravat offensum nocte dieque caput.
Crura dolent, algentque manus, oculique vagantur
Inque sedet toto mucidus ore color.
Sed fuit, heu morbus, nulla medicabilis arte
Nil lachryma, sancta nil valuere preces.
Iamque diem tibi cum numerares Februe nonum
Carolus heu mortem Dux generosus obit.
Auditum à multis num quid funestius annis?
Auditum aut toto tristius orbe malum?
Heu dolor, immanis quam cæca potentia fati est,
Quam non æquales mors habet atra manus.
Quot superant pestes hominum vitæque Tyranni
Quos melius vitam non habuisse fuit.
In quorum tardant scelerata funera parca
Morsque parat longas non benè lenta moras,
At hunc qui fuit egregia pietatis Imago
Immiti jugulat perfidiosa manu.

Obfuit at patriæ quantum hæc triſtiſſima clades
Quæ manet heu longo non reparanda die.
Scilicet hic Princeps noſtræ lux vivida terræ,
Atque ſeneſcentis gloria patris erat.
Spes erat ut tandem firmatâ pace teneret
Pacatum retinet quod pater Imperium.
Auſpicio cujus pietas ſtudiumque Minervæ
Hactenus immoto ſtantque manentque loco.
Auſpicio cujus concordes degimus ævum
Seu cives, ſeu nos ruſtica turba ſumus.
Sed quia tres nobis talem invidére ſorores,
Fatalem rupit, de tribus una colum.
Attigerat cum vix quarti confinia luſtri
Ingenii poterat dotibus eſſe ſenex,
Sic heu, ſic teneri velluntur ab arbore fœtus
Sic modo nata cadit falce reſecta ſeges.
Dii faciant, interque manus atque ora ſuorum,
Inque peregrina non periiſſet humo.
At fruſtra hæc mea vota fluunt, manet æthere in alto
Qui regit imperiis inferiora ſuis.
Et fuit hoc urgens & inevitabile fatum
Nec licuit fixum tranſiliiſſe locum,
Forſan ad incertos referat quis talia caſus
At certum eſt, Domini quod facit iſta manus.
Cum libet ipſe Pios mediis è fluctibus ævi
Eripit & regno dat meliore frui.
Nulla ubi præcipiti volvuntur ſecula curſu
Aut rapit occiduum nox tenebroſa diem.
Nullum ubi morborum genus eſt, ubi nulla fatigat,
Cura animos, Sancti nil ubi triſte timent.
Carole ſi qua manent juſtorum præmia manes
Et poſita eſt meritis gratia certa bonis.
Te quoque credibile eſt, miſtum felicibus umbris
Nec lachrymis noſtris jam, nec egere prece.
Sed liquidas inter mentes ſuper æthera vectum
Perpetua rerum felicitate frui.
Ergo dies iterum donec nos ultima jungat,
Perpetuum ſalve, perpetuumque VALE.

Domiductionem majoris natu filiæ Mariæ Eleonoræ (de quâ hic dicendi locus opportunus viſus eſt) ab ipſo Domino parente Regio montium factam typis ſuis deſcripſit, & Hermanno Manderſcheidio Blanckenſteiniæ Comiti &c. 23 Martii anno 1576 inſcripſit Sigiſmundus Feierabendt Bibliopola Francofurtenſis, hunc ferè in modum. Cum Illuſtriſſimo Principi VVilhelmo Juliæ, Cliviæ, Montium, Duci &c. per agnatos conjugium inter Albertum Fridericum Marchionem Brandeburgicum, Boruſſiæ Ducem &c. & filiam ejus primogenitam Mariam Eleonoram propoſitum eſſet, etſi

etsi ob loci distantiam aliasque causas nonnihil difficultatis moviſſet, poſtea tamen accedente conſenſu cæſareo, aſſenſit: & à Duce Prutervico Johanne Jacobo S. Imperii Truchſeſio, Barone Walpurgio aulæ Magiſtro, Joanne a **Werte** Tettaw capitaneo Inſterburgio, & Balthaſare Ganſio Secretario, à Johanne VVilhelmo verò Saxoniæ Duce &c, Bernhardo Creutzio Hamborchium, anno 1572. 21 Novembris, miſſis, poſt maturam deliberationem cum conſiliariis Juliis, Cliviis, Montanis, habitam, 3 Decembris pactis dotalibus conſignatis conjugium concluſum, ejuſque ſolennis poſtulatio & deſponſatio facta eſt, nuptiarum Ducalium feſtivitate ad 24 Sextilis Regiomonti indictâ: ob morbum verò ſponſi, & ſponſæ Ducalium iter in 14 uſque octobris diem dilatum eſt, cum prius, nempè 2 Auguſti nomine Salentini Iſenburgii Archiepiſcopi Colonienſis Adolphus Novaquilanus Comes, Georgius à **Lep** in **Saffigh** hæreditarius magiſter curiæ provincialis & Franciſcus Burchardus Cancellarius Duci VVilhelmo, ejuſque filiæ primogenitæ Mariæ Eleonoræ de conjugio hoc & verbis & muneribus gratulati eſſent. Quarto igitur Auguſti habito prandio VVilhelmus Princeps cum filia Maria Eleonora ſponſa Duſſeldorpio ſolvit, ipſe quidem comitatu ſtipatus Hermanni Manderſcheidiæ & Blanckenſteiniæ, Simonis Lippiæ, VVirichii à Dhaun Falckenſteiniæ Comitum, Gothardi Baronis Schwartzenburgii aulæ magiſtri, Joannis à **Reuſchenberg** Domini in **Settarich** Mareſchalci, Theodori ab **Hall** Monhemii Georgii à **Romberg**/Hipparchi, VVetterii, Bernhardi à **Warendorff** Limburgii, Henrici à **Binſzfelt** Blanckenbergii, Joannis à **Lutzenrhadt** Windecciani, Joannis ab **Aldenbouchumb** Ringelbergii, Friderici à **Warck** Swertēſis, Melchioris à **Delwich** Bochumienſis, Wilhelmi à **Plettenberg** Borfeldenſis, Ioannis à **Plettenberg** Berchemii; Theodori **Knipping** Hammonenſis, & Wilhelmi **Quad** à **Wickraed** Baronis Rechumii, cubiculariorum, Bertrami à **Lantzberg** Vlotani, Gothardi Prumelli, Wilhelmi Spieſii in **Walſum**/ & Degenhardi Haſii, Culinæ ducali præpoſitorum; quorum tamen duo poſteriores Magdeburgi ob morbum relicti ſunt: nobilium verò aulicorum Iacobi junioris Baronis Anholtini, Theodori Ketleri, Domini in **Alzen**/ Philippi à **Wilack** Hipparchi, Theodori à **Wilack** Dapiferi, Henrici ab **Elnipt**/ Domini in **Burgalw**/ Bertrami **Quaed** in **Eller**/ Ioannis à **Bawpr**/ collyriorum præfecti, Adolphi à **Werſelt**/ Chriſtophori à **Rolshauſſen**/ Conradi à **Rerk**/ Rabani à **Spiegel**/ Emerici **Huerdt**/ Gerhardi à **Bolszwingh**/ Theodori à **Diermundt**/ Georgii **Lep**/ Matthiæ de **Wendt**/ Anthonii **Scheiffarts**/ Bernhardi à **Newenhoff**/ N. à **Reuſchenberg**/ N. Schonebergii, Ioannis Keſſelii in **Hackhuſen**/ Theodori à **Diepenbroich**/ Adolphi à **Gimmenich**/ Arnholdi **Schenck**/ in **Helfenraed**/ Friderici **Quaed**/ Wickradiæ Domini, Gerhardi **Newenhoff**/ Engelberti **Stael**/ Henrici à **Plettenberg**/ Emerici ab **Heufsing**/ VVilhelmi à **Waldenberg**/ dicti **Schenckirg**/ N. Hanxleri in **Kempen**/

Kempen/Henrici Eickel/Arnholdi à Raetzfelt/ Ioannis Ludovici ab Hartzfelt/N. Adelmanni, N. Kesselii, N. Blodorff/N. Galeni in Bieszbruch/Adami ab Hegen/dicti Aluan: Medicorum verò Doctorum Reineri Solinandri, & Ioannis VVejeri; VVinandi Thomasii concionatoris aulici: Pauli Langen/ Iulii & Ioannis VVejeri Clivii Secretariorum usque adjunctorum, Leonhardi Bucheneri telonæ Dusseldorpiensis, & Siberti Butzhagen/reliquorum etiam ad tam splendidam aulam necessariorum ministrorum.

Sponsa verò Ducalis comitibus, Catharina Waldecciana vidua Lippiensi, Anna Manderscheidiæ & Blanckensteiniæ comitibus, Anna à Gimmenich vidua Reuschenbergiana ab Eix/ Anna ab Hurdt/ Maria à Rolszhaussen/ Ottonis à Bilandt/ Domini in Rheidt filia fuit pedissequis &c, equis, curribus, omnique apparatu regio instructa.

Hi omnes Ratingam transeuntes Essendiæ vesperi appulerunt. Inde 5 Augusti Heurdam progressi à Magistratu Tremoniensi salutati, 6 Augusti Camenam, inde Hammonam devenerunt, ibique 7 Augusti quiescentes ab omnibus Comitatus Marcani oppidis, & totâ nobilitate verbis & muneribus honorificè excepti. 8 Augusti Bechumium diœcesis Monasterienses oppidum contingentes, 9 Augusti Marienfeldæ habitâ concione Bilifeldam Comitatus Ravensburgi metropolim contenderunt, à quâ VVilhelmus Princeps cum filia sponsa honorificè exceptus est, ibidemque Arnholdus Benthemius, & Simon Lippiensis Comites accesserunt, quorum hic in Borussiam usque Principem quoque deduxit.

Rebus omnibus Bileveldiæ compositis, 14 Augusti Lemgoviam contenderunt. Ex qua 15 Augusti Ducatum Brunswicensem contingentes Erici Principis Cancellarium, & consiliarios obvios habueruut, Hammeliæ die Dominica quiescentes Ioannem à Hettaco nomine, Ducis Prutenici de die accessus Francofurtensis percunctantem invenerunt. 17 Augusti Hildesheimium, indeque à Julio Duce Brunswicensi inuitati, & ex eo Brunswichum 20 Augusti. 22 Halbelleben Episcopi Magdeburgensis oppidum, 23 Magdeburgum. 26 Loborgum. 27 Ziegeseram, in Marchionatu Brandenburgico. 28 Brandenburgium, Dremeram & Spandaniam. 1 Septembris Bernaviam, 2 Monachobergam. 3 Francofurtum ad Oderam appulerunt, ubique imprimis ab Electore Brandeburgico regaliter excepti verbisque ac muneribus honorati, ubi octo diebus ibidem masissent, de generi Ducis Prutenici misera conditione certiores facti, 11 Septembris inde solventes, 12 Celentzkiam, 13 Meseritziam, 14 Septembris Neostadium Bockium, 16 Septembris Posinainam Poloniæ, 18 Pravodiskam. 19 Ginsenam, 20 Treneslaum, 22 Leslaviam, 23 Turonam, 26 Colmensem, 27 Grandentzam, Marienwerderam ibidemque Borussiam Ducalem 30 Septembris Risenburgum, Ledem Episcopi Pomezanensis 2 Octobris Marchiam Prutenicam, 3 Hollandiam, 5 Frawenbergam, sedem Episcopatus Warmiensis, cui tũ præfuit Stanislaus Hosius,

Hosius, 6 Heiligenbielam, 7 Brandeburgum pervenerunt; ubi quiescentes à Cancellario Prutenico Creutzio gratulatione facta, Duce Prutenico Dominum parentem & sponsam Ducalem salutante, 9 Octobris excepti; 10 Montem regium invecti sunt, arcubus triumphalibus ubique erectis, in quorum primo in vestibulo arcis Montis regii constituti latere inscriptum:

Ingredere heroum genus illustrissime princeps,
Qui latè Rheni tractum ditione gubernas,
Iam redit & virgo redeunt Saturnia regna
Quaque diu facies apparuit aspera rerum,
Porrigit haud dubiam spem commutata Borussis,
Marchia Iuliaca domui felicibus astris;
Iungatur, faveat Pax & Concordia, cives
Et leges vigeant sanctæ, Pietasque Fidesque
Inter se figant conjunctis oscula dextris.

Alteri verò lateri:

Hunc arcum Leonora tibi pro more vetusto
Cum desiderio magnus Amor posuit.
Quem satis ardentes demonstrant undique flammæ
Pegma calefactum de quibus omne flagrat.
Ingredere ô felix Divum genus optima sponsa,
Ingredere Austriacæ gloria magna domus.
En cœli tibi temperiei favet, en tibi aperto
Blanditur nutu fulva Tonantis avis.

In secundi à Senatu Kneiphovienſi erecti facie una:

Ergò te Mariam Leonoram stemmate claro
Prognatam accipimus nostraque vota damus
Omine Rex superum felici læta secundet;
Fœdera Marchiacæ Iuliacæque domus.
Candida nunc omni se luctu Prussia solvat
Voce, sono plausu, compita cuncta strepant.
Tantâ supernigros ales sese exerat ursos
Imperii moderans sceptra benigna sui.
Hic Astræa simul nivea se veste serenans
Has habitat sedes hæc tibi templa parat.
Vivat cum Maria Fridericus, vivat, & omni
Tempore justitiam cum pietate colat.

Faciei verò oppositæ:

Ingressus LEONORA *tuos cum Prussia latos*
Aspiciet, cingens undique fronde domos.
Sic pia dum conjunx Alberti sceptra juvabis
Floreat & fructu divite vernet humus.
Et quia nostra tibi Respublica læta precatur;
Hunc arcum auspiciis condidit illa tuis.

14 verò solenni copulatione & festivitate nuptiali peractis, Wilhelmus parens Dux Juliæ, Cliviæ, Montium ex Monte regio filiæ Duci comitissæ Lippiensi, nobilulâ Hœniâ, Camerario Knippingio,

pingio, Rolshusio, Quado, Hanxlerio, Kesselio, Hetzingio, Lülsdorfio nobilibus, Doctore Herm. Cruserio cum uxore, & medico, Reinhero Solinandro, aliisque relictis, 26 Octobris per Brandeburgum Heilgenbielam, Frauwenbergam, Melbingam, Nerweideckium, Dorsaviam, Dantiscum, Rameliam, Lauwenburgum, Stolpam, Slauwam, Kesselinam, Colbergam, Groisenbergam, Gelnauwam, Damiam, Stetinum, Passewalckum, Fredelandum, Anclam, Daminum, Gnogeram, Rostochium, Creppelinam, Wismariam, Grevesmulheimium, Lubecam, Mullenium, Luneburgum, Atzenam, Zellam Hannoveram, Hammeliam, Lemgoviam, Bilefeldiam, Marunfeldum cœnobium, Unnam, Hordenum, Essendiam 19 Decembris Dusseldorpium salvus & incolumis rediit.

Nunc quoque ad Annæ alterius filiæ domiductionem ab eodem Domino parente Neoburgum usque factam, devenimus, quam idem **Feierabendt** Francofurtensis ita texuit: cum enim hoc quoque conjugium Deo benigniter providente consensu Cæsareo confirmatum esset, ipse sponsus Philippus Ludovicus Palatinus 21 Martii anno 1574 Richardo Palatino agnato, suoque fratre Friderico Palatino comitatus Clivopolim appulit, ubi solenni tum postulatione, tum desponsatione facta, festivitas nuptialis ad 17 Septembris Neoburgi ad Danubium celebranda decreta est. Ad eam ubi VVilhelmus Juliæ Cliviæ Montium Dux decenter se præparasset, ipse quidem comitatu stipatus Hermanni Novaquilani, & Moersæ, Hermanni Manderscheidiæ & Blankenheimiæ, VVirichii, à Dhaun Falckensteinię Comitum, Joannis à **Reuschenberg** Domini in **Setterich** Mareschalci, VVilhelmsteinii, & Eschweilerani, Godefridi Baronis à **Schwartzenburgh**/aulæ præfecti Grevenbruchii & Gladtbacensis, Theodori à **Palandt**/ Domini in **Bredenbendt** Camerarii, VVassenbergensis, Georgii à **Romberg** Stabularii, VVetterani præfectorum: Henrici Rudolphi à **Weze**/ & Conradi Furstenbergii J. U. Doctorum & consiliariorum. Nobilum verò aulicorum selectâ copiâ, utpote Ioannis **Hurdt**/ à **Schourck** in **Rinschein** Ducatus Iulii Archimareschalci, Joannis à **Lutzenrhadt** VVindecciani, Joannis Vlatteni Marcodurani, & Norvenicii, Jodoci à **Reck** Lunensis, Friderici à **Marck** Swertensis, Joannis à **Wilack** Holtensis, Bertrami à **Lantzberg** Vlothani præfectorum, Theodori à **Wilack** Stabularii, Theodori Ketleri Domini in **Allen**/Henrici ab **Eliupt** Domini in **Burgaw**/Bertrami Quaed in **Eller**/ VVilhelmi **Spiesz** in **Malsum**/ Philippi **Roitt**/ Pilgrami de **Hekeren** Borgensis, Volmari à **Scheidt**/ dicti **Welzpenningh** Blanckenbergii, Ioannis à **Bawyr**/ Conradi à **Reck**/Henrici à Plettenberg, Stephani à **Wplich** in **Ltervenheim**/ Wilhelmi à **Bungart**/Degenhardi à **Wittenhorst**/ Christophori à **Rollzhausen**/Henrici ab **Hoevelich**/Ludovici Rauteri, Christophori **Schenck** in **Hellenrade**/ Degenhardi **Haesz** Domini in **Conradtzheim**/ Henrici ab **Eichel**/ Bernhardi à **Newenhoff**/ VVilhelmi à **Waldenberg** dicti **Schinckern**/Arnholdi **Schenck**/

Henrici

Henrici à Vlodorff/ Joannis à Reuschenberg in Luppenaw/N. ab Hoeun/N. ab Hatt in Loerszberg/ Wolfgangi Caspari Adelman/ VVolfgangi Theodori ab Hoeten/Theodori à Diepenbruch/Wilhelmi à Nesselraedt/Ioannis à Niewkirchen/Reinheri Solinandri & Ioannis Lithodii Doctorum Medicorum: VVinandi Thomasii aulici concionatoris, Iacobi Kremer & Ioannis Kieff culinæ graphiariorum cum reliquis ad tam splendidam aulam necessàriis ministris. Sponsam vero Ducalem comitatæ, Margaretha ex familiâ Marcana Arenbergæ & Barbansonii, Amœna à Dhaun, Falckensteinii, Gumperti Novariensis & Alpensis vidua, Comites; vidua Hallensis aulæ præfecta Christina & Arnholda à Wachtendonck/Anna ab Hurdt/ Maria Bilandica, cum nobilissimis Buirena, Elleria, & Schureria virginibus aulicis. Ultima Augusti Siegeberga solvens, equitatum per Tencteros (Hundsruggen) ductoribus ei per Johannem à Reuschenberg/ Dominum in Setterich aulæ Mareschalcum, Volmaro à Scheidt dicto Wesspenning/ præfecto Blanckenbergio, & Joanne Buxr constitutis VVeissenkircha Andernacum pergentes ibidem ab Hermanno Manderscheidiæ & Blanckenheimiæ Comite, Georgio à Lep Magistro aulæ provinciali VVilhelmo ab Horst in Heimertzen hæreditario, & Joanne Kurtzrock/ Licentiato nomine Archiepiscopi Coloniensis: Treviri verò a Friderico à Reiffenberg Galliæ Chiliarchâ, Joanne Zandten à Merle/ & Conrado à Ret/licentiato verbis & muneribus excepti 1 Septembris confluentiam appulere, ubi ab ipso Electore Treviro in ripâ salutati inque arcem Ehrenbretsteiniam ducti Ernestum Hennebergium cum uxore VVeitenbergiâ, Joannis Nassovii conjuge & Comite Reitterscheidia ex balneo sylvestri reduces, obvios habuerunt. 2 Septembris navigium cum Philippo Nassovio rursus ingressi, S. Goarini à Landgravii Philippi Cancellario D. Nordeccio accepti, & Bacharacchum 3 Septembris prætervecti, Carolo Arnsbergio comitante Bingium aspexere, ubi, cum Reichardus Palatinus per Cancellarium & nobilissimum Geispitzium, quod ipsus ob crurifragium non venisset, se excusasset, 4 Septembris Moguntiam devenere; sed prius à Mareschalco Bickenio, vice-Domino Brendelio & Doctore Philippo contecto navigio in Rheno præventi, inque castrum Martinianum deducti, ex eo ab Alberto Packio Burggravio Alzeano conducti sunt. 6 Septembris igitur Moguntiâ Openheimium progressi à Philippo VVamboldo ab Umbstadt/ ad novam arcem invitati, ubi 7 Septembr. Gernsheimii in arce Moguntinâ pernoctassent, 8 VVormatiam devenerunt: quâ in urbe præfectus Germersheimius Christophorus à Gotfarth nomine Electoris Palatini, & Ioannes Falckensteinii comes cum sorore Amœna vidua Novaquilana comparuere: Inde undecima Septembris, ad Norcum arcem exque ea Spiram 12 appulere, à Marquardo ab Hatstein Episcopo excepti. 13 post peracta sacræ Reinhusium, 14 Mulbrunnum, 15 Stutgardiam sedem Ducis Wirtembergensis, & 16 ibidem

quiescentes, 17 Eslingam, 18 Hoppingam contigerunt, ab Adamo à **Gelen**/principis Neoburgici œconomo excepti, 19 ibidē pernoctantes Geislingam, 20 Heidenheimium, ubi 21 quiescentes, 22 Laugingam, patriam Alberti M. perrexerunt, 23 in Danubiana Insula ab Archiducis Ferdinandi legato Carolo VVelfero Barone Limburgio, & Marchionatus Burggravici præfecto, itemque circa vesperam à sponsi Ducalis aulæ magistro Christophoro **Landtschaden** à **Steinach**/& Gualtero Drechselero Cācellario excepti, deque ingressu consultatione habitâ, 25 Neoburgum advenerunt, & ubi 26 Septembris legatus Cæsareus Fridericus Comes Oetingensis ibidem appulisset, benedictio conjugalis 27 Septembris peracta est.

Edicta publica.

Hæc de liberis: jam porro Stylus noster ad patris ipsius VVilhelmi historiam revertatur. Is anno 1542 Mercurii post Pascha Ruræ jura publicavit. Eodem anno 12 Septembris, privilegia statibus Montanis sub manu Cancellarii Ioannis Gogrevii, & Secretarii VVaslenbergensis confirmavit.

Anno 1554. 10 Octobris leges politicas de Anabaptistis, sacramentariis blasphemis, clandestinis præconibus, conjurationibus, prædonibus, incendiariis, latronibus, eorumque assseclis, typographis item & libris, exteris militibus, vagabundis, mercatoribus sive institoribus, mendicis, Zigeunis, erronibus, circumforaneis, agyrtis, otiosis, fæminarum raptoribus, adulteris, clandestinis copulis, ebrietate, cauponis &c. rogavit.

Eodem anno & die de pauperibus viduis, orphanis, eorumque provisoribus, Xenodochiis, &c. statuta promulgavit.

Anno 1555 modum sive ordinem in judiciis & processibus observandum mandavit.

Anno 1559 de præfectis & prætoribus judiciorum scabinis, sequestratione, arrestis, successione nepotum loco parentum & filiorum, fratrum in capita, restitutione in integrum, salvo conductu, carceribus, censu, limitibus &c. leges publicavit.

Opera Ecclesiastica.

Anno 1551 de jurisdictione ecclesiastica Papæ interdictâ programma evulgavit. Urbes Vesaliam, Susatum, Lippiam, reformatas, contra Fiscalem Cæsareum in puncto exemptionis defendit.

Anno 1554. 12 Januarii statuta Ecclesiæ S. Clementis VVischelensis à proavo Ioanne I. Anno 1475 festo Ascensionis Domini renovata, tanquam ejus patronus confirmavit.

Anno 1569 collegium Canonicorum quod ab anno 1342 Nideccæ hactenus fuerat, Iuliacum una cum corpore S. Christinæ Stommelensis, ut vult Streithagenus, Canonicus Hinsbergensis, transtulit.

Anno 1573 Abbatissa Hervordiensis Comes Limburgia, jus suum quod in urbem illam habebat, in Wilhelmum derivavit.

Opera politica.

Anno 1583. 6 Novembris Calendarium Gregorianum in omnibus suis ditionibus observādum Hambochii promulgavit. Inter opera politica eminent propugnaculum metropolitanum Iulium,

Dussel-

Dusseldorpiense item ad Rhenum antemurale; & Orsoviense, cum Hinsbergii & Gennepii castrorum ampliori munitione. Accedunt portæ cum Cancellaria, & tabulato novis ad arcem Cliviam, & sacelli Dusseldorpiensis Arcum Hambochiæ & Gochiæ, Sporenbergiæ, Bensbergensis, Brugensis, Grevenbruchiæ curiæ amplissimæ Sittardiensis constructiones, & expolitiones uberiores, anno 1559 & deinceps factæ.

Anno 1548 permutatio de Lobithano Telonio cum oppido & telonio Huisseno, à Geldris proposita non successit: Ordinibus Cliviis, anno 1558 Essendiæ in comitiis proponentibus se Huissenum provinciæ Cliviæ antiquum oppidum sanguine suo asseruisse, Lobithum verò Emptionis & belli titulo anno 1479 Cliviæ accessisse: qua declaratione Geldri tandem anno 1552 acquieverunt.

Cum vicinis principibus & comitibus sequenti ordine & tempore pactus est, utpotè cum VVilhelmo ejusque filio Hermanno Novæ Aræ & Moersæ comitibus, anno 1541 & 1557. Et anno 1574 cum Adolpho Novenariense ob comitatum Moersanum. *Transactiones.*

Anno 1557, 13 Iunii compositioni ob comitatum Cattimelibocensem Francofurti inter Hassum & Nassovios initæ cùm Ottone-Henrico Palatino, Augusto Saxone Electoribus, Christophoro item Duce VVirtenbergis interfuit.

Cum Geldris anno 1552 & Domino in **Afferden** de terminis districtus Gochiani, cum Electore Colonienſi de limitibus Recklinghausiis anno 1562. Cum Carolo à Brimeu Comite Megenio anno 1565 de fossa marina Harenia in dynastia Ravensteinienſi. An. 1551 cum Cuyckiense comite de terminis Uffeldiis tractavit. Anno 1560 nobilem Spanderbrochium ob feudum Hegdanum in dynastiâ Gennepiâ accusavit. Anno 1565 cum VVilhelmo Montium Comite de limitibus Embricensibus, anno 1566 de feudo Dominii Millingensis & Bilandii cum eodem, an. etiam ad hoc 1566 cum Domino in **Lembeck**/ anno 1569 cum civitate Tremoniensi transegit. Anno 1570 jus Dominii Herbedeni, quod Kacifingo cœnobio competebat, à Maximiliano Cæsare accepit, illudque in Conradum àb **Elverfelt** certis conditionibus transtulit. Anno 1572 de pagis Dingdensi & Bruinio cum Monasteriensi Episcopo hac conditione convenit, ut Dingdensis Monasteriensi, Bruinius cum cœnobio Pacis Marianæ, Cliviæ accederent. Anno 1573 Duisburgo de electione magistratus, & officio Majoris sive prætoris leges tulit. Anno 1574 de VVerdæ & VVerdenbrochii limitibus, & anno 1582 de terminis Marcæ, Hammonæ, VVernæ cum iisdem Monasteriensibus. Cum Ioanne à **Vilendonck**/ de dominio Meidericensi eodem anno, sicut antea cum domino Hetterschedio de dominio Vennio composuit. Anno 1587 Mulhemium frustra in oppidum redigere conatus est.

Maria conjunx VVilhelmi anno 1581, 12 Decembr. Hambochii mortua, ipse pius princeps 25 Ianuarii, 10 vespertinâ, anno ætatis 75 quinque mensium & octo dierum Christi 1592 Dusseldorpii

dorpii Montium obiit, de quo Streithagenus:

Quid Marci Aurelii fictos miraris honores?
Quid Cyrum, arguti nomen inane Sophi,
Perfecti vivum speculum si Principis optas,
Id tibi Wilhelmi bellaque paxque dabunt.

Dusseldorpii verò Montium in Ecclesiæ collegiatæ templo primario conditi, pompam funebrem, Theodorus Graminæus legum Licentiatus & Scriba Provincialis Montensis descripsit.

Ibidem tale Optimo Principi erectum est Epitaphium:

Quis jacet hic? Dux Iuliacus: qua stirpe parentum?
Clivorum illustri sanguine natus erat.
Quæ conjunx? Maria illa fuit: quo stemmate? Magni
Cæsaris, & Divo Cæsare nata soror.
Quid juvenis coluit? Martem: quid adultior annis?
Pacem: quid senior? justitiam atque Deum
Quo morbo periit? senio cordisque dolore
Qualiter? invicta spe stabilique fide.
Ergo fuit? vivit pars prima, quid altera? surget:
Vnde? Ex hoc tumulo: quando? vocante tuba.

Epicedium verò sequens, quod apponimus ei destinatum est à Lamberto Lithocomo, I. U. D.

EPICEDIVM
IN ILLVSTRISSIMI
Principis ac Domini, Domini GUILIELMI, Ducis Juliæ, Cliviæ & Montium Comitis Marchiæ & Ravensburgi, Domini in Ravenstein &c. mortem conscriptum.

A Lamberto Lithocomo Ludolphi filio.

MAgnanimum Heroem, fama trans æquora notum,
Cujus & eximium cæli ferit ignea nomen
Sydera, terrarum & populorum jure potentem,
Consiliis annisque gravem, belloque togaque
Conspicuum, dum vita fuit: nunc morte solutum
Prosequimur lachrymis, totque uno funere raptas
Lugemus dotes, terramque polumque cicmus.
O pater omnipotens, qui solus ab æthere summo
Cuncta moves, solo nutu qui concutis orbem,
Hoccine constituit tua sic veneranda voluntas?
Hoccine fatorum jubet irremeabilis ordo?
Principe ut orbatos fido, patriæque parente,
In nos justa tuæ vindictæ spicula figas?

O patriæ

O patria GVLIELME decus, splendorque senilis,
O fidei exemplar veræ oppressisque salutis
Portus, & in dubiis ô constans anchora rebus:
Quos fugis aspectus, quorum te subtrahis usu?
Indue funestos mecum nunc IVLIA vultus,
Tuque ferox olim Dominos experta Sicambros
TERRA, tuum plorato ducem, cineremque supremo
Grates solve pio: Tu, qui sub montibus altis
Per valles, belli securus, & arva, profunda
Ocia pacis agis, tanti pars addita luctus,
Plange tuæ mitem sublatum pacis Alumnum:
Tu quoque, cui gelidam latè perrectus in Arcton,
Servit ager, lachrymas oculis, & pectore planctus
Excute, da gemitus, & tanta clade notatam
Devotam tenebris, fastis explodito lucem.
O patriæ GVLIELME pater, quænam invida nobis
Augustum fortuna caput subtraxit? & atro
Te dempto involvit mortalia pectora luctu?
Quæ te cunque peli curis annisque solutum
Excepit regio, si quando ad inania mundi
Lumina contorques, quam te lachrymentur ademtum
Aspicis, atque tui quando teneantur amore,
Quos placido quondam imperio cum laude regebas,
Tu patriam ornasti meritis, tibi candida cordi
IVSTITIA, innocuaque datrix divina quietis
Pax fuit, & largis custos CONCORDIA rebus:
Ah quoties belli totum dum fama per orbem
Spargeret in vulgus furias, ferrumque minasque
Alter in alterius truculentis improbus iris
Spiraret mortem, ne tantæ incendia cladis
Damna tuo ferrent populo, te cura coquebat:
Ah quoties tua, Mars, bellandi pectora princeps
Nequicquam studio tentabat: at una Triumphis
Innumeris Pax visa prior, patriæque salutis
Cura tibi potior, tam vota infensa repressit:
Ah quoties Musis, terraque marique fugatis
Hospitii sacra jura dabas, & honoribus auctas
Clementer, frustra marte indignante, fovebas.
Nunc tua, post tantos humana in sorte labores,
Digna polo regnare, alioque effulgere Divûm
Concilio & superos æternum habitare penates
Enthea Mens est visa Deo, patriisque recepta
Sedibus, invilis quæ mutet gaudia curis.
Per te RELLIGIO, per te OBSERVANTIA RECTI
IVSTICIÆQVE decus, Pax, Aoniaque SORORES,
(O vere egregium Heroem) sine labe vigebant.
Longis florentes annis; Te propter eundem

RELLIGIO, & juxta Comes OBSERVANTIA recti
IVSTITIÆ QVE decus, PAX, Aoniæque SORORES,
VIR, mulier, mistique senes, pueri atque puellæ
Certatim mœstis feriunt nunc questibus auras.
Hunc tu PHOEBE Ducem, quo se non justius alter
Iactet amore tui, qui te tot dotibus auxit
Ornavitque tuos, cujus tot pectore dotes
Concluſit natura parens, à nomine Mortis
Solve, vetesque mori, & fama super æthera vondas.

DISTICHON NUMERALE

Annum, Menſem & Diem mortis continens:
SoL qVInCtVs IanI radIos Vt CondIdIt VndIs
OCeanI prInCeps ab GVILLIeLMVs obIt.

JOHANNES WILHELMUS, ſub Rudolpho II. Imp. Cliviæ 6. Iuliæ 10. Montium 7. Dux Marcæ VVeſtphalicæ, Comes in ordine 19. Omnium verò harum provinciarum ultimus princeps, dictus Bonus & Simplex.

NAtus anno 1562. 28 Maij, inter 1 & 2 matutinam, & ex fonte ſacro à VVilhelmo Auraico Principe Ioanne Comite Arenbergenſe, VVilhelmo Comite Montano in præſentia utriuſque Auraici fratris Iohannis & Ludovici vel Adolphi Comitum Naſſoviorum, Theodori ſenioris Manderſcheidiæ, Hermanni Moerſenſis, Schauwenburgici, & junioris Mansfeldici, comitum, ſuſceptus.

Hic princeps à pueritiâ Eccleſiaſtico ſtatui deſtinatus primum præpoſitus Santenſis factus, atque reſignatione Comitis **Manderſcheidt/Gerolſtein/** Canonicatum in Metropolitana Eccleſia Colonienſi conſecutus eſt, ejuſque reſidentiam ex ſingulari indultu in Eccleſia Santenſi habuit; deinde poſt reſignationem VVilhelmi Ketleri Epiſcopi Monaſterienſis. anno 1557 factam, & obitum Bernhardi Raesfeldii ejus ſucceſſoris, anno 1572 conſenſu Imp. & Pontificis Epiſcopatus Monaſterienſis adminiſtrator electus illo laudabiliter aliquandiu defunctus eſt, donec defuncto Romæ fratre Carolo-Friderico, ſtatu Eccleſiaſtico abdicato, à parente regimini adhibitus eſt.

Anno 1585. 16 Iunii cum Iacobæâ Badenſi, deinde hâc, quo neſcio fato, anno 1597 mortuâ, & Duſſeldorpii in monaſterio Crucigerorum ſepultâ, anno 1599 cum Antonettâ Lotharingiâ copulatus eſt, prius conjugium Theodorus Graminæus Licentiatus, & ſcriba provincialis Montenſis deſcripſit.

Anno 1592. 25 Ianuarii Duſſeldorpii Montium patri mortuo in regimine

regimine succeſſit, cui ob id Cæſar Rudolphus II. 2. Martii gratulatus eſt.

Anno 1596 cum Colonienſibus, quod miſſis Hagam Comitis legatis nihil obtineret; de non permittendo Hollandis tranſitu fœdus percuſſit.

Anno 1598 dum in Aquenſes rebelles execútionem ſibi & aliis à Cæſare demandatam pararet; conſilio VVilhelmi à Waldenburgh/dicti Schinckern/ ſupremi aulæ Juliæ officiati ſolâ auctoritate eos ad obedientiam reduxit, ut anno 1600 Reſpubl. plenè pacata fuerit.

An. eodem 1600 uxorem juxta decretum Comitiorum Iuliacenſium in regimine ſociam admiſit.

Anno 1602 & 1604 cum Geldris de cenſu Greuenwerdano, Hulhuſio, Grondſteinio, & Inſulæ lapideæ ab incolis exacto tractavit, eumque abrogavit: In ſpecie verò dominium Hulhuſium anno 1386 VVilhelmo à Reeſ/ equiti à Cliviæ Comite Adolpho oppignoratum probavit.

Anno 1605 cum Aquenſibus varia cauſantibus fruſtra in Monaſterio S. Cornelii ad Indam tranſigere conatus eſt; & quod iidem anno 1606 uxori cum fratre Principe Vaudemontio ingreſſum in urbem denegaſſent, contra eos bello agere conſtituit, ſed tamen anno 1608 menſe Quintili cum iis interventu Electoris Colonienſis, & Mantuani Principis pacificè tranſegit. Obiit 25. Martii anno 1609, nullo hærede relicto; poſtquam languido ac diutino morbo aliquamdiu laboraſſet.

Uxor Lotharingia 18 Auguſti anno 1610 Nancææ ipſum ſecuta, & ibidem ſine pompâ funebri tumulata, Maritus verò ejus Duſſeldorpii poſt 19 annorum obitum anno 1628, trigeſima Octobris præſente & ordinante Wolffgango Wilhelmo Palatino Neoburgico conditus eſt, de quo Streithagenus:

Sextus ab antiquo Clivorum ſanguine princeps
Illuſtris clauſit nomina longa domus.
Hoc tantum infælix unâ quod prole beare
Non potuit populi tot pia vota ſui.

Anno 1606 in Comitiis Eſſendienſibus principes Prutenicus, & ambo Palatini, cum uxoribus, Ducibus Iuliis, Cliviis, Montanis, quia nulla prolis ſpes ſupererat, vocati, cum iis de ſucceſſione actum eſt; poſtea Maria Eleonora anno 1608, & Princeps Ioannes Guihelmus, ut jam diximus anno 1609 obierunt; cum paulò ante induciæ Belgicæ duodecim annorum promulgatæ eſſent. Nomine ergo Ioh. Sigiſmundi Electoris Brandeburgici ejuſque conjugis Annæ Prutenicæ, Mariæ Eleonoræ Iuliæ &c. filiæ primogenitæ, Ernestus Marchio &c. frater Electoris, nomine Ludovici Philippi ejuſque conjugis Annæ Iuliæ &c. VVolffgangus VVilhelmus filius eorum primogenitus poſſeſſionem omnium relictarum provinciarum adierunt, & Tremoniæ atque Hallis conſilio Mauritii Haſſi inter ſe uniti gubernaculum earum conjunctim, dum ſucceſ-

sor legitimus decretus esset, administrarunt, usque ad annum 1614. irritâ compositione Santensi eodem anno 12 novembr. concluſa, divisum animis ; & provinciis distractum imperium habuerunt, imò motu Germanico novo orto, & induciis Belgicis, anno 1621 exspirantibus, maximam ditionum partem Palatinus Neoburgicus ope Hispanorum Iulia metropoli, & mitrâ papali omnibusque ordinum & Electoris Brandeburgici præsidiis expugnatis solus obtinuit. Tandem verò cum Electore Brandeburgico Georgio VVilhelmo, Ioannis Sigismundi filiæ primogenito, ex compositione ordinum Belgii confœderati, anno 1629. ad 25 annos Hagę unitus, ille quidem Cliviam, Marchiam & Ravensburgiæ medietatem: hic verò præter alteram ejus partem Juliam & Montes integros cum Ravensteinia Brabantiæ feudo, VVienendalia, atque Breskesia in Flandria consecutus est.

Ad Provinciam Cliviam

APPENDIX QUADRUPLEX,

De Comitatu Moersano & Dynastiis Ravensteinensi, Wienendalia & Ghemensi,

De Comitatu Morsano:

Ad Celsissimum Illustri prosapia, nec minus multis & magnis rebus pro confœderato Belgio, fortiter gestis, FRIDERICVM-HENRICVM, Principem Aurasionensem, & Nassovio Cattorum Comitem &c.

QUia provinciæ Clivensis antiquum & præcipuum feudum Comitatus Moersensis, ad quem bona quoque in campo Kesserino sita, spectant, à Clivensibus habetur, ideò de eo hic etiam aliquid adjiciemus.

Anno ergo 1287 Theodoricum patrem, & anno 1294 Theodoricum filium cum fratre Friderico, comitatum Moersensen Theodorico Clivensi, ejus nominis Octavo, Ioanne de Cuyck, Ioanne de Heuszden/Ioanne de Hinsbozg/ Arnoldo de Sluſa, VVernhero de Lennep / Swedero de Alpen/ & Henrico de Wolffsruelen regulis præsentibus, accepisse & fidelitatis juramentum præstitisse traduntur. Illudque posteà Ludovicum Imperatorem anno 1317. privilegia venationis, & telonii terrestris Theodorico Moersensi largiendo, & Ioannem Comitem Clivensem anno 1351 in privilegiis Civitatis Orsovensis, civibus jus venationis toto Comitatu Moersensi tanquam feudo suo, permittentem confirmasse, imo à Ioanne Comite Clivensi anno 1356 novum Theodoricum comitatu investitum fuisse Clivenses prætendunt. Et post obitum ejus

Fride-

Fridericum quoque Moerſenſem cum uxore VValburge Saerwerdena, anno 1375: ab Adolpho comite Clivenſi comitatu præter dictas Eliſabetham Bernh. Lippenſis Annam Nicolai Teckleburgenſis uxores, inauguratum fuiſſe. Hic Fridericus ex uxore Hochſtratena Domina filios Fridericum ſucceſſorem, Theodoricum Col. VValeramum & Henricum Monaſterienſes Epiſcopos, & Iohannem, Fridericus viciſſim ex Engelberta Clivia Adolphi Marcani comitis Clivenſis ultimi filia Vincentium genuerunt.

Hic porrò ex Anna Palatina Stephani Bipontini, & Annæ Veldentiæ patriſque Friderici ultimi, ejuſdem Comitis hæredis filia anno 1455 ducta iterum Fridericum, & iſte denique Bernhardum procrearunt.

Contra Mörſenſes anno 1402 literas feudi abſolutorias à Ioanne Comite Clivenſi, anno 1361 datas fuiſſe, quas Gualtheri Steckii uxori, Richardis à Vollendoꝛff/ & filia ejus Richardis Steckia à Veeck/virgo, & Coloniæ ad S. Cæciliam Veſtalis, hactenus occultatas fuiſſe confeſſæ ſint, propoſuerunt. Quibus idcirco Adolphus primus Clivorum Dux Adolphi Marcani ultimi Comitis filius, & falſam, & ſuppoſititiam manum eſſe demonſtrare niſus eſt. Cum autem Fridericus Saerwerdenus Archiepiſcopus Colonienſis, ad quem controverſia hæc anno 1411 devoluta; ſicut etiam Theodoricus Morſanus in dignitate hac ipſum anno 1414 ſecutus eandem ad annos 1442 & 1451 ſuſpenderent, Vincentius etiam Moerſenſis comes, Friderico filio, ante ipſum mortuo, Bernhardo verò ex eodem Friderico nepote in Gallia pro Carolo Egmundano Geldriæ Duce obſide, nepti ſuæ Margarethæ Wilhelmi Wiedani conjugi, Comitatum anno 1493 traderet, Bernhardus tamen ex Gallia redux non VViedanos, ſed Saerwerdenſes Comites veros in Comitatu ſucceſſores declaravit; adeoque Comitatus poſt Vincentium 10 Aprilis anno 1500 mortuum, ejuſque poſteros defunctos, ad Ioannem Comitem Moerſenſem & Saerwerdenſem, Friderici ex VValburge Saerwerdena quartum filium, ejuſque ex Jacobo filio nepotes Jacobum anno 1500 extinctum, & Joannem in quo ſtirps maſcula anno 1510 deſiit, pervenit ab his ad VVilhelmum, Comitem Novarienſem per Annam VViedanam, VVilhelmi VViedani & Margarethæ Moerſenſis filiam, Wilhelmi conjugem, Comitatus derivatus eſt, qui eodem etiam intercedente apud Ioannem & VVilhelmum Duces Clivorum, VVilhelmo Naſſovio cognomēto Divite, certis pactis à Cancellario Julio Ioanne Gogrevio, an. 1542 præſcriptis cum Fremersheimio, Cracovio, Creiveldio, & Budbergio dominiis, & pro villa Gilueradiâ, quæ Marchicum eſt feudum, cum VVeileriana permutata, anno 1553 inveſtitus eſt. Ex Anna verò VViedana & Moerſenſi, Hermannus anno 1514 prognatus, cui Magdalena Naſſovia Wilhelmi modo dicti ex priore conjuge VValburge Egmundana filia conjugio licet ſterili copulata fuit. Ipſo vero 4 Decembris anno 1578 defuncto, quia Clivia feudum ſibi iterum apertum contenderat, eodem

VValbur-

VValburgum Hermanni sororem, & Adolphum Novariensem, Gumberti & Amœnæ Falckensteiniæ filium, post Philippum Momerantium Hornæ Comitem Bruxellis, anno 1568. 5 Iunii decollatum, secundum VValburgis maritum, & anno 1584 Geldriæ & Ultrajecti gubernatorē Wilhelmus Dux Clivorum donavit, hac tamen conditione ut post ipsorum mortem ad Cliviam reverteretur. Quia verò Adolphus in bello Belgico ordinibus suffragatus partes eorum defendit, hinc Alexander Farnesius Dux Parmensis, Regis Hispaniarum Belgii Administrator, anno 1586 Moersam expugnavit, gubernatore Camillo de Modiliano constituto: quo cum Adolphus tacentibus Clivensibus consensu ordinum, anno seq. de Morsa pactus est. Cum verò 8 Octobris anno 1589 Adolphus ex pulveripyrio Arenaci extingueretur, Mauritius Nassovius an. 1597 Walburgem Moersâ recuperatâ restituit: quam etiam Admirans Arragoniæ, Franciscus de Mendoza, Gubernator Belgii regius sequenti anno, præsidio imposito, in possessione confirmavit: ipsa vero 26 Maij, an. 1600 Morsæ mortua, & apud patrem atque fratrem in templo extra urbem jam destructo, inhumata, Clivenses oppidum & ditionem integro anno occuparunt: quos Mauritius Nassovius testamento VValburgis scriptus hæres anno 1601 inde ejecit, adeoque Comitatum integrum urbi præsidio impositore retinuit, & ad fratrem Dominio Frimorsheimio primum Wilhelmus à Frimorsheim, deinde anno 1236 Domini & Comites Montani ab Abbatibus VVerthinensibus investiti, postea anno 1297. Eberhardus Marcanus eo donatus, qui illud ad Engelbertum, & hic ad Adolphum Cliviæ Comitem postmodum factum derivavit. Cujus posteri hoc quoque dominium comitatu antiquius, ideoque liberum Morsense dictum, integræ provinciæ unitum, cum eadem Comitibus reliquerunt.

Ex Comitibus Moersensibus Fridericus & Engelberta Clivia, anno 1466 Monasterium Carmelitarum Morsæ: Vincentius ejus filius, & Anna Palatina uxor cœnobium cruciferorum in urbe Brugensi Ducatus Iulii, quam pignoris titulo à Geldriæ Ducibus possidebant circa annum 1500. fundarunt.

SECUNDA APPENDIX,

De Dynastia Ravensteinensi.

RAvensteinensis Dynastia olim Dominii de Herpen nomen obtinuit usque dum Walradius Falckenburgius Bornæ & Sittardi Dominus, arcem Herpenam demolitus, in ejus locum Ravensteiniam construxit. Herpena autem olim Dominium & Allodium fuit, quod Henricus de Cuyck uxore & liberis consentientibus, anno 1191 (prout diploma habet) Henrico Lotharingiæ Duci in feudum obtulit.

Udena verò singulare dominium & masculinum Cliviæ feudum post mortem Reinholdi Falckenburgici, sine virili hærede

exce-

excedentis, ad Adolphum Clivium rediit, sicut Joannes Comes Salmensis, anno 1397 in saltu Clivio ab Adolpho Duce cum aliis captus, cum omnis sui in Horpenam juris resignatione, obsignatis literis fatetur. Et licet Simon Salmensis filius Ioannis, eam patris renunciationem, utpotè vi & metu extortam, irritam esse existimaret, Adolphus tamen Clivius, quod Salmensis contra dominum feudi sese opposuisset, sententiam in aula Brabantina pro se obtinuit, dominiumque Ravensteinense anno 1411. à Philippo Burgundo in feudum accepit. Ejusdem etiam Philippi Burgundi operâ anno 1439. quæ Engelbertus & Henricus Comites Nassovii, Bredenses, cum Roberto & VVilhelmo Comitibus Virneburgicis ob uxores prætendebant, 21 aureorum millibus persolutis redemit, atque sic totam Dynastiam ad domum Clivensem pertraxit, & anno 1437 cum Arnholdo Egmundano Geldriæ Duce de eadem pactus est: quibus omnibus transactis, Adolphi filio primogenito Ioanni patre consentiente, anno 1440 à Philippo Burgundo tributa est, quam postea ex tractatione anno 1450 Clivis inita, Adolpho fratri resignavit, qui eadem anno 1463 potitus est.

APPENDIX TERTIA,

De Dynastia Wienendalia.

VVienendalense Dominium ab amœnitate Saltus ita dictum, cuique ~~Turnhoutum~~ municipium adjacet, castrum verò Philippus Clivius inædificavit, in Flandriæ Comitatu amplissimo situm, cum ditione liberorum (der Vrpen) à Roberto Frize secundo Flandriæ Comite, & uxore ejus Elsa, Bernhardi Saxonis filiâ conditum est, qui illud usque ad annum 1278 possedit. Tunc enim Guido Dampierius comes Flandriæ, cum ex Isabella Lutzenburgia & Namurcensi tres filios totidemque filias sustulisset, uxori & posterioribus liberis illud assignavit, ut diploma Gallicum eodem anno datum testatur, quod Philippus Rex Galliæ anno 1281 in Iulio confirmavit. Ab eo tempore Comites Namurcenses usque ad annum 1407 illud habuerunt, quo Johanni Duci Burgundiæ dominium vendiderunt, Iohannes autē Philippi filius, Adolpho Cliviæ primo Duci cum filia Maria in dotem concessit, qui vicissim cum Ravensteinensi Dynastia filio secundo genito Adolpho, idem tradidit, cujus possessionem à fratre Joanne literis fiducialibus acceptis anno 1463 adiit, sed anno demum 1473 Ioanne Burgundo Niversu Comite, & Iacoba ejus uxore defunctis potitus est. Et postmodum Philippo filio unico, anno 1492 reliquit, cui Maximil. Imp. Breskesium quoque dominium dono perpetuo adjecit. Philippus verò cum nullos hæredes haberet legitimos, Adolphum, Ioannis secundi, Clivorum Ducis, filium secundum nepotem suum adoptavit: quo ipso etiam juvene in Hispania ut diximus, an. 1525 exstincto, Dynastia Ravensteinensis, & Wienendalia post obitum Philippi Clivii 28 Ian. anno 1528 defuncti, ad Clivium rediit, licet

Thoroltum Vulgo Thorout.

Raven-

Ravensteiniam Sylvæ-Ducenses, tradente ipsis ejus præfecto ex testamento ut ajebant Philippi ad Ducis Brab. Domini feudi & legitimi successoris securitatem occupassent. Ideoque Ioannes III. Clivorum Dux anno demum 1533 admissus, utramque Dynastiam, Ravensteiniam & Wienendaliam, Wilhelmus ejus filius à Carolo V. Cæsare superatus an. 1543 in feudū accipere coactus est.

APPENDIX QUARTA,

De Dominio Ghemensi, ad Illustrem & Generosissimum Ottonem Schouwenburgium & Steinbergium Comitem Dynastam Ghemensem.

GHemense Dominium ad Borckenam territorii Monasterienſis oppidum situm est, illudque anno 1280 Theodoricus nominis Octavus, ut supra annotatum, comes Clivensis in ordine 24 Godefrido & Goswino à Ghemen patri, & filio jure feudi cōtulit. Post hos Henricus de Ghemen, quia Wilhelmo Juliæ & Geldriæ Duci in bello Brabantino fidelem operam præstiterat, Bredevorda cum Altenō & VVinterswichio pagis, anno 1389 investitus est, Ioannes Dominus de Ghemen & Bredevorth Henrici filius animosus heros anno 1464 à Ioanne primo Duce Cliviæ secundo, eadem Ghema inauguratus est: Scherenbecium tamen Clivorum oppidum anno 1483 invasit atque occupavit. Hic filiam unicam & hæredem Wilhelmi VVevelinchovii, Marescalci hæreditarii Col. duxit: ex eaque filium sustulit Henricum iterum dictum.

Is vicissim ex Brunckhorstana duas tantum filias genuit: quarum prima Eberwieno Bentheimio Arnholdi filio nupta, eidem VVevelinchoviam attulit: Secunda Carda, Ioannem Schowenburgium, & Holsteinium Ottonis filium ex multis familiæ unicum propagatorem Ghema dotavit. Ex qua cum annorum quinquaginta esset, ne familia Illustris interiret, singulari Dei benedictione, Iodocum accepit, qui ducta Wilhelmi Nassovii filia Maria, iterum Henricum in pueritia extinctum, Adolphum Archiepiscopum Col. Ioannem ex Elisabetha Frisia improlem Ottonem successorem, Antonium post fratrem Adolphum Archiepiscopum Col. Ernestum & Iodocum cum Henrici Brederodii filia, Henrici Ioannis Ottonis Wilhelmi præpositis Hildesheimensis atque Meschedensis Hermanni Georgii, & Erici patrem, fœcundo conjugio progeneravit.

Henrici filio Iodoco-Hermanno, anno 1635 in cœlibatu extincto, patrui Georgii filius unicus Otto, omnium comitatuum & dominiorum hæres factus, in iisdem ex asse solus successit, porro, ut hoc addamus, inter comites Schowenburgicos illustres admodum fuerunt: Adolphus primus Holsatiæ & Stormariæ Dux temporibus Conradi II. Imp. anno 1020 Ioannes dictus liberalis, Ericus antistes Hildesheimensis, Gerhardus antistes Mindensis

Gerhar-

Gerhardus dictus Magnus ejusque filius Henricus dictus Ferreus, hujusq; iterum filius Gerhardus primus in hac generosissima familia Slesvici Dux, cujus frater Henricus antistes fuit Osnabrugensis. Adolphus & Antonius fratres Jodoci filii Archipræsules Colonienses, Adolphus denique, qui uxorem Mariam Mestivoi Pomeraniæ Ducis filiam, accepit.

Ex eadem familia prodiit Gerhardus quoque primus Diethmarsiæ Dux, cujus filia Thodorico Oldenburgico nupta, regium Daniæ stemma, per Duces Holsatiæ propagavit.

IVLIA, MONTIA, RAVENSBVRGIA, MODERNAE.

Tribus porro Membris, cum Comitibus Marchionibus & Ducibus suis explicatæ,

Et seorsim Florentissimis Principibus

PHILIPPO-WILHELMO,

ET

FRIDERICO,

Comitibus Palatinis Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Neoburgicis & Bipontinis Ducibus Veldentiis, Sponhemiis, Marcanis, ac Ravensburgicis Comitibus Dynastis Ravensteinis, inscriptæ:

à

M. WERN. TESCHENMACHER ab Erverfeld Montano

Anno M.DC.XXXVII.

IVLIA MONTIA.

RAVENSBVRGIA.

MODERNA.

Anno M.DC.XXXVII.

ROBERTI Comitis Palatini Rheni Ducis Bavariæ, S. Romani Imperii Septemviri, & Principis Electoris; postmodum etiam Romanorum Imperatoris semper Augusti, Abnepotibus Maximis.

STEPHANI Comitis Palatini, Ducis Bavariæ, & Bipontis Veldentii & Sponhemii Comitis, Abnepotibus Majoribus.

LUDOVICI Primi dicti Nigri, abnepotibus Magnis.

ALEXANDRI Pronepotibus Maximis.

LUDOVICI Secundi Pronepotibus Majoribus.

WOLFGANGI Pronepotibus Magnis.

PHILIPPI LUDOVICI Comitis Palatini Neoburgici, & JOHANNIS Bipontini ejus fratris, nepotibus proximis.

WOLFGANGI WILHELMI, & JOHANNIS Comitum Palatinorum Rheni, Bavariæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium Ducum, Veldentianorum, Sponheimiorum, Marcanorum, Ravensburgiorum Comitum, Dynastarum Ravensteiniorum filiis primogenitis & successoribus.

PHILIPPO WILHELMO
ET
FRIDERICO,

Comitibus Palatinis Rheni, Bavariæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium Ducibus, Veldentiis, Sponheimiis, Marcanis, Ravensburgiis Comitibus, Dynastis Ravensteiniis, Principibus ac Dominis suis gratiosissimis.

Vita & Incolumitas.

ET vobis quoque Principes Illustrissimi, Juliam, Cluiam, Montiam, Marchiam, Ravensburgiam, Ravensteiniam, ex quo stemmate clarissimo simul & antiquissimo ob Avias Annam & Magdalenam, Wilhelmi Iuliæ Cliviæ Montium Ducis potentissimi secundam & tertiam filias originem maternam trahitis, dedicatum eo, adeoque cum Serenissimo C. V. nepote Friderico-

Wilhelmo hærede Electorale Brandeburgico Boruſsiæ, Cliviæ, Iuliæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, & in Sileſia Croſnæ & Iegerndorphi Duce, conjungo: ut cui vinculo maternæ, vos paternæ ſimul & maternæ neceſsitatis duplicis copulati eſtis, eodem quoque libro, quod Provinciarum, ex quibus orti, antiquitatem amplitudinem & ſucceſsionem edidſerit, compingamini.

Inprimis tibi Princeps Excellentiſsime Philippe-VVilhelme hunc nuncupo, quippe cujus Pater ſereniſsimus, VVolfgangus VVilhelmus, Philippi-Ludovici ex Anna Iulia Clivia, Montia &c. filius primogenitus, ampliſsimarum harum ditionum cum domo Electorali Brandeburgica poſſeſsionem nactus, ex tranſactione nuper adeo inita, Juliæ & Montibus cum ſummo imperio fæliciter præeſt.

In Montibus ergo ego natus & educatus, ex iiſdem utrique V.C. maxime Wolfgango-Wilhelmo, qui in illuſtri illorum ad Rhenum ſpecula, Iulia adſpectu & uſu conjuncta, conſtitutus, Montanis ſuis imperitat, aſſurgere debeo, quod ſubditus, quod civis: Imo quod C.V. pariter admittet, Dei miniſter, qui in precibus ad eum publicis & privatis indeſinenter rogat, ut Philippo Wilhelmo, & Friderico patruelibus poſt parentes Celſiſsimos, ſit vita diuturna. imperium fælix & ſalutare; & Rex ille regum atque Dominantium Dominus, C.V. in hac vita coronet ſua gratiâ. in futurâ vero gloriâ ſempiterna. Ita vovet qui C.V. propter Deum ſubjectus eſt.

M. Wernerus Teſchenmacher ab Elverfeld Montanus.

VNITARVM

Juliæ, Cliviæ, Montium Provinciarum Modernarum

MEMBRVM TERTIVM.

De Provincia Iulia ejusque Comitibus, Marchionibus & Ducibus.

POst Comites Clivorum 28, comitesque Marcanos 19. Duces denique Clivorum sex, qui ex his orti, sequitur ut Iuliorum Comitum, Marchionum & Ducum seriem expediamus.

Ipsa Provincia, ut eam ante omnia describamus, inter Mosellam, Mosam & Rhenum interjacet.

Aërem saluberrimum, solum frugum feracissimum habet, vinum etiam in superioribus partibus producit. Præfecturas urbes & oppida continet.

Zintzigiensem & Regiomagiam, Comitatum Nuenaricum, Monasteriensem Eysliæ, Euskirchianam, Thombergiam, Nidecciam, Norvenichiam, Heimbachiam, Montis-Ioviam, Marcoduranam, Birckesdorphiam, Staelbergensem, Eschweileranam, Iuliam, Aldenhoeviam, Pierensem, Hambochiam, Schonforstanam, VVilhelmsteiniam, Millensem, Bornensem, Sittardiam, Fucentiam, Gangoltinam, Geilekirchiam. Heinsbergiam, VVassenbergiam, Randeraediam, Linnichiam, Boeslariam Brugensem, Dulkeniam, Dalenam, Suichteliam, VValdenielam, Gladebacensem, Grevenbruchiam, Castrensem, Berchemiam & Duromagiam.

Harum præfecturarum & oppidorum multa tum Impp. Romanorum & Comitum Palatinorum Rheni, Imperii Electorum, qui à Francorum regibus, eadem acceperunt, beneficio, seu titulo feudi, tum emptione atque conjugio, bello denique acquisitæ ad Iuliam transierunt. Nam Zinzigium & Regiomagum oppida anno 1348 titulo pignoris Carolus IV. Imp. VVilhelmo primo Iuliæ Duci contulit. Marcodurum Fridericus II Imp. primo quidem VVilhelmo nominis V. Iuliæ Comiti, 50 mille florenorum pretio oppignoravit: sed post eandem Carolus IV. anno jam dicto cum Zinzigio & Regiomago oppidis confirmavit.

Otto verò Palatinus Comes, Dux Bavariæ, patre Ludovico, Avo Ottone genitus primus hujus familiæ Elector Septemvir 16 Cal. Martii, anno 1330 Advocatias in Brisack, Vilich, VVeselich, Bercheim, *Marquardus Freherus in originibus Palatinis.*

Bercheim, Pfaffendorph, Holtzweiler, Munſter, Greſſenich propè Staelbergam, Vrotzheim, & in Tolbiaco hodie Zuilch / bona multa, curtes nimirum 23 cum earundem juriſdictione, item patrocinium Eccleſiæ ibidem S. Mariæ, Dornich, integrum denique Comitatum & jus nemoris cum bonis allodialibus in Loevenich / eidem VVilhelmo Iuliæ comiti, ultimo primoque ejus Marchioni & Duci Francofurti in feudum tradidit. Præſentibus VVilhelmo Advocato Aquiſgranenſi Chriſtiano Pincerna de Niedecke, Henrico Bouff & Carſilio milite Iulio.

De his feudis Palatinis idem Wilhelmus primus Iuliæ Marchio, & Dux Ruberto ſenioti Comiti Palatino Rheni Duci Bavatiæ, 26 Ianuarii anno 1457 fatetur, etſi Comitatus Iulius in Ducatum, Dominium Falcobergium in Comitatum Carolus IV. Imp. ex clementia Cæſarea evexerit, hoc tamen fidelitati ſui homagii neutiquam derogaturum.

Iidem Palatini bonam partem Comitatus Nuenarici Principibus Iuliis in feudum largiti ſunt.

Falckobergium dominium anno 1346 à morte Theodorici ultimi ejus Dynaſtæ in bello Leodienſi occiſi & ſine hæredibus mortui, cum Dynaſtia Bornenſi, ſub qua Sittardia ad eundem VVilhelmum primum Iuliæ Marchionem & Ducem, ejus avunculum pervenit, cujus poſteri poſtea cum Dominio Caſtrienſi illud permutarunt.

Heinſbergicam Dynaſtiam, ſub qua olim arx Millenia, Fuichtum, Gangoltum, Geilenkirchium oppida, conjugio anno 1472 VVilhelmus in hac familia Ducum Iuliorum ultimus, Eliſabethæ Heinſbergiæ copulatus acquiſivit, inprimis anno 1494 omnia hæc oppignorata, iterum redemit propriaque vendicavit: & tandem anno 1499 cum aliis Dominiis permutavit. VVaſſenbergia à Maximiliano Auſtrio Cæſare per conjugium Mariæ Burgundicæ, Brabantię Duce, anno 1498 eidem VVilhelmo Iuliæ Duci hujus proſapiæ poſtremo, Friburgi Briſgoiæ cum Roda & Hertzogenraedia oppignorata, an. 1544 per tractatum Bruxellenſem Iuliæ acceſſit.

Similiter præfectura Brugenſis pignus fuit Ducis Brabantini, primo comitibus Morſenſibus traditum, à quibus ad Principes Iulios pervenit.

Linnichia permutatione cum Abbate Prumienſi inſtitutâ acquiſita.

Aldenhoeviam ab Eccleſia Metropolitana Col. Principes Iuliæ acceperunt.

Randeradia à Frid. II. Imp. deſtructa, iiſdem obvenit. Sed hæc ſingula in ipſarum urbium Iuliarum ſtatu indicare latiuſque deducere, operæ pretium erit.

P. Streith. in Syntag. urbium Iuliacarii.

Sunt verò ex omnibus iſtis urbibus, metropoles quatuor, quæ ſuffragium in Comitiis habent: Monaſterienſis Eyfliæ, Euſkirchia, Durena & Iulia Monaſterium Eyfliæ ad differentiam ejus, quod in VVeſtphalia eſt, ita dictum, & à collegio Canonicorum, qui olim

ſub

sub regula communiter vixerunt, jam verò cum aliis ad libertatem hodiernam transierunt, appellatum, montibus Eyfliacis, in quibus Eysla fluvius parvus natus steriles agros pertransit, incingitur, ut non nisi propè constitutis appareat.

Euskirchia ad Ervatem fluvium amœno & fertili loco posita est.

Durena Tacito Marcodurum vicus Ubiorum subactâ à Romanis Galliâ, in potestatem eorum concessit; inde à Francis victoribus occupata, & Austrasiæ unita est. Quo tempore, ut suprà in antiqua Iulia annotavimus, diversi Regum & Principum conventus ibi habiti sunt. Mortuo verò anno 912 Ludovico IV. ultimo Carolinæ stirpis Franciæ rege, Gallis omnibus Lotharingiâ à Germanis exactis, ab Ottone Imp. Collegio Aquensi tradita postliminio ad imperium rediit.

Anno 1124 muris cingi cœpta, ut versus indicant, frontispicio curiæ inscripti:

Anno milleno centeno bis duodeno,
Durenses duros cœperunt condere muros.

Hæc à Friderico II. Imp. VVilhelmo Iuliæ Comiti, 50 florenorum mill. pretio primum oppignorata, & anno 1348 cum Sintzigio & Regiomago oppidis, à Carolo IV. Imp. VVilhelmo primo Iuliæ Marchioni & Duci confirmata, inde ædium splendore, platearum nitore & civium negotiatione multum augmentata, Ocellus urbium Iuliacarum meritò appellatur. A Cæsarianis in bello Geldrico anno 1542 intercepta, asperrima hyeme à VVilhelmo Iuliæ Duce recuperata, anno insequ. ipsa Barth. iterum in potestatem eorundem pervenit, post reconciliationem verò, VVilhelmi Iuliæ Ducis cum Cæsare Carolo, eidem anno 1544 cum integro Ducatu reddita. In hac urbe caput ostentatur S. Annæ, quod à Latomo Moguntiæ ex æde S. Stephani circa festum cõceptionis D. Mariæ virginis, anno Domini 1100 furtim ablatum. & huc allatum fertur: unde diuturna eaque sumptuosa lis inter Moguntinos & Durenos apud curiam Romanam fuit, quam tandem Iulius secundus Pontifex anno 1507 ita decidit, ut quia Moguntini caput hoc irreverentius habuerant, atque negligentius, ut furibus præda facta sit, Marcoduranis maneret, qui illud hodie magnâ religione colunt, & quotannis multo hominum concursu circumferunt, inprimis verõ ne sibi rursus auferatur, arctius custodiunt.

Iuliacum antiquum, à quo ditio integra nomen sortitur inter propugnacula à Romanis contra Barbarorum irruptiones excitatas numeratur, imo Drusi opus asserere non veretur Streithagenus in Syntagmate urbium Iuliacarum, illud primo anno 887 à Nordmannis crudelissimè per inferiorem Germaniam grassantib⁹ unà cum aliis multis oppidis consumptum. Deinde anno 1277 post occisum Aquis in templo regio Wilhelmum Comitem à Siegfriedo VVesterburgio Archiepiscopo Col. gravissima damna iterum pertulit. Anno 1348 horrendo terræ motu quassatum: anno 1398 à Brabantinis in bello Geldrico deprædatum. Ex quibus

omni-

omnibus casibus, cum jam Iuliacum Iuliaci quærendum esset, tempore VVilhelmi penultimi Ducis novis ædificiis, & propugnaculis, inprimis arce munitissimâ & pulcherrimâ instauratum, inque templum ejus vetustum anno 1569 Canonici Nidecca deducti sunt.

Ut verò alias præfecturas cum oppidis, his quatuor præcipuis, accenseamus, à superioribus ad inferiora descendentibus, primo occurrit, Sintzigium non procul à Rheno situm, à Sunicis, incolis vetustis, ita appellatum, quos Civilis Societate Agrippinensium, sicuti in Antiqua Julia narravimus, auctus, occupavit, eorumque juventutem per cohortes composuit.

Hic anno 1180 Friderico Barbarossæ Imperatori, legati regis Francorum comitisque Flandriæ ob Henricum Leonem Saxoniæ & Angrivariæ Ducem ditionibus suis exactum de rebellione & conspiratione cum ipso inita excusarunt: Philippus quoque Suevus Barbarossæ ex filio Henrico sexto in diademate imperii successore nepos, qui contra Ottonem Saxonem Imperii rivalem bellum gessit, ibidem anno 1207 cum aliquibus Principibus convenit, & legatos Colonienſium in suam urbem illum invitantium, audivit.

Regiomagum quasi novorum amicorum vicus regius nominarum, in eodem bello Cæsarum Philippi Suevi, & Ottonis Saxonis à VValramo Henrici Ducis Limburgensis filio, qui nunc Philippo, nunc Ottoni patrocinatus fuit exustum.

Utrumque verò, tum Sintzigium, tum Regiomagum ut supra diximus, beneficio Caroli IV. Imp. anno 1348 ad Wilhelmum primum Juliæ Marchionem & Ducem pignoris titulo pervenit.

Marquardus Freherus in originibus Palatinis.

Comitatus Nuenaricus non à nova Aquila, ut vulgo existimatur, sed nova ara fluvio denominatus, castris Nuenarico, Garsdorpio, Rodesbergio & Bickendorphio à Friderico Saerwerdano, Archiepiscopo Col. anno 1371 destructis, Comites ejus solum nomen retinuerunt; cum verò ad Comites Vierneburgios per conjugium derivarunt: mortuo autem anno 1543 Cunone ultimo Vierneburgio & Nuenario Comite sine liberis, bona comitatus Nuenarii pars ab Electore Palatino Friderico secundo, VVilhelmo Juliæ, Cliviæ, Montium Duci cum prioribus feudis Palatinis Iuliis jure fiduciæ concessa est.

Monloyum, vel quasi meæ deliciæ, quod in eo & vicino tractu propè Aquasgraneas Carolus Magnus venationis & animi causa libenter ageret, dictum, vel potius à Monte-Iovis appellatione non Franco-Gallicâ, sed Romano-Latinâ melius & rectius Montis-Iovium scribitur. Pro cujus possessione acriter sæpe disceptatum est.

Eschweilera supra Ingam sita, carbonum in vicina Sylva erutorum & per totam provinciam Iuliam devectorum proventu nobilitatur.

Aldenhoevia ad primum à Iuliaco lapidem posita, quondam, Valerio Andrea teste, metropolitanæ Ecclesiæ Col. hæreditaria,

penes

penes principes Iuliacenſes, qui Advocatiam ejus geſſerant, tandem hæreditaria permanſit.

Niedecca ab odio, neſcio quo vel cujus ità dicta, antiqua Comitum Juliacenſium ſedes eſt, ab arce in Colle munitiſſima, cum oppido à VVilhelmo Iulio primùm excitata, ſed quam longinquitas temporis conſumpſit. Eadem à magnificæ aulæ latitudine celebratur, à VVilhelmo primo, Iuliæ Marchione & Duce ſtructa, quæ tanta fuit, ut haſtiludio aliquoties frequentata ſit. Anno Chriſti 1206 ad illam Philippus Suevus Cæſar, de Ottone Saxone imperii rivali ejuſque aſſecla Heinrico Limburgio triumphavit. Arcis cuſtodiis ſub VVilhelmo IV. Iuliæ Comite anno 1226 Engelbertus Falckenburgius Ubiorum Archimyſta: ſub Gerhardo verò ejus filio etiam Reinholdus Falckenburgius anno 1316: ſub VVilhelmo denique ſecundo Iuliæ Duce VVenceſlaus Brabantiæ Dux Caroli IV. Imp. frater anno 1371 aſſervati fuêre. Multis gaudet privilegiis, inque ejus muros antehac Cœnobium Virginum Præmonſtratenſe collocatum, cujus loco hodie Prioratum quem vocant, Monachi Steinfeldenſes adminiſtrant: VVilhelmus denique primus Iuliæ Dux authoritate fratris VValrami Archiepiſcopi Col. an. 1342 collegium Canonicorum ex Stommelio pago huc deduxit, quod poſtea nempe anno 1569 ut diximus Iuliacum tranſlatum eſt.

Sittardia à Moſa Italico circiter milliari diſtat, unde negotiationi apta, in cultris, ſeris & candelabris ferreis parandis, & devehendis, occupatur. Eam anno 1234 Ioannes Oppianus regum Francorum origine clarus Epiſcopus Leodius duobus millibus marcarum acquiſitam Walramo, aliis Valeriano Falckenburgio ſuo Marcſchalco in feudum tradidit, qui Bornæ quoque, cujus metropolis Sittardia, Dominus fuit; & in hac anno 1292 collegium Canonicorum excitavit. Anno 1317 obſeſſa, & 1318 in bello inter Ioannem Brabantiæ Ducem, & Reinholdum Falckoburgium, VValrami filium poſt gravem obſidionem perpeſſam expugnata, in illius poteſtate uſque ad annum 1334 permanſit. Quo tempore Adolpho Marcano Epiſcopo Leodio multiſque aliis Principibus contra Ioannem Brabantię Ducem conſpirantibus, ad antiquum Dominum rediit: à morte verò Theodorici Falckenburgici, qui in prælio inter Engelbertum Marcanum Epiſcopum Leodienſem Adolphi patrui ſucceſſorem, atque ſubditos geſto, anno 1346 cœlebs occubuit ad VVilhelmum primum Iuliæ Marchionem & Ducem illius avunculum pervenit.

Catalogus antiſtitum Leodienſiũ Ioannis Placentini Trud.

Sueſterena Sittardiæ vicina Moſæque proxima à tribus ſororibus, earumque templo quod condiderunt ibi Collegiali nomen traxit; paucis abhinc annis atroci incendio conflagravit.

Urmunda in ripa Moſæ vicus magis quam oppidum telonio inſignis eſt.

Heinſberga vel quod Heinrici mons ſit, vel ab Equo & aggeſto nomen habet, unde à Petro Streithageno hic Canonico mons

Cabal-

Caballinus appellatur, in extremitate provinciæ Iuliæ, qua Septentrioni objicitur, in confinio Ducatus Geldrici duobus milliaribus Ruremundâ dissita, Dominorum gloria, civium privilegiis, aëris temperie & situs amœnitate nulli urbium Iuliacensium postponenda. Circuitu ad unius circiter horæ spatium ejus amplitudo clauditur. Deflectit leviter ab Oriente in Septentrionem & planum in paludes, quod sicut de Anxure oppido Volscorum Plinius, ait, formam oblongam præbet. Templum D. Gangolphi in clivo exurgit, cui castrum in altero latere ex adverso respondet, utrumque altissima turri longè lateque conspicuum. Castrum insigni Canonicorum collegio ab Oda Heinsbergi Domina anno 1140 fundato condecoratur. In umbilico verò oppidi Goswinus secundus Heinsbergæ Dominus, & Aleidis Palatina Somberbergensis ipsius uxor nobilibus virginibus Præmonstratensis instituti Monasterium anno 1150 excitarunt: quod usque ad Caroli quinti tempora mœnibus excludebatur: in bello verò, quod cum hoc Cæsare ob Ducatum Geldricum, VVilhelmus Iuliæ, Cliviæ, Montium Dux gessit, Heinsberga mœnibus, fossis, portis ac propugnaculis munita, iisdem inclusum fuit, adeo ut 13 Octob. anno 1442 à Cæsarianis urbs intercepta integro anno sicut nec Susterena recipi potuerit; in potestatem verò Iuliæ Ducum anno 1472 per conjugiũ Elisabethæ Heinsbergicæ Wilhelmo Iuliæ Duci hujus prosapiæ postremo copulatę pervenit: antea tamen cum sibi subjectis Gangolto, Milla ac Fuichto à Theodorico III. Heinsbergensi Dynasta cum pro Comitatu Lossensi bellum gereret, & pecuniæ indigus esset, pro 24 millibus veterum scutorum Reinholdo Geldriæ Duci anno 1336 obligata, sed anno 1484 à Wilhelmo supradicto Iuliæ Duce reluitione pignoris in perpetuum ptovinciæ suæ vindicata.

Quæ ad Dynastiam pertinent oppida, Gangoltum à Gangulpho Heinsbergensi patrono, & Fuichtum, sive VValdfuctum ab humiditate loci, & sylva eo loci pro oppidi extructione excisa, unde hodieque Satyrum pro insigni habet, nomenclaturam sortiuntur.

Geilenkirchia olim quoque Dynastiæ Heinsbergicæ annexa, ad VVormium fluviolum sita, cum antea municipium esset an. 1484 à VVilhelmo Iuliæ Duce hujus familiæ ultimo jure civitatis donata est. Hæc mercatu hebdomatario tempore quadragesimali nobilitatur.

Randenradia itidem ad VVormium fluviolum jacens, ab eo in geminum alveum excurrente alluitur. Nomen autem à generosa familia habet, quæ cum agro vicino eam antiquitus possedit, variisque casibus diversis temporibus vastata fuit. Cum enim Gerhardus Randenradius in bello civili Philippi Suevi, & Ottonis Saxonis Imp. cum Bernhardo Horstmario anno 1214 captus esset Randenradia à Theodorico Heinsbergio Archiepiscopo Col. invasa & destructa est, Præcipuam ei vastitatem attulit, quod ab

Albigen-

Albigensibus infesta fuit. Nam ideò Henricus Brabantiæ Dux P. Divæo lib. 10. rerum Brab. teste, jussu Gregorii noni Pontificis anno 1226, iterumque anno 1239 binis iisque acribus expugnationibus, illam totam evertit: ex quibus ruinis quatuor adhuc lateritiæ turres arcis, unde pristina potest colligi magnificentia, supersunt: sic igitur castigata Iuliæ accessit.

Linnichia propè Ruram depressiori loco ibi præter fluentem ad montem, in quem assurgit condita, olim Abbatum Prumiensium peculium, postmodum Iuliæ permutatione accessit, & præfecturæ Boesleranæ unita est. Anno 1398 à Brabantinis in bello Geldrico deprædata.

VVassenberga, quasi **Wachs am Berg**/id est, ad montem excrescens dicta, quia à pede montis sensim cum clivo civitas assurgit, primum Geldrici juris fuit. In ea siquidem Gerhardus ejus nominis primus Comes Geldriæ Ottonis primi filius, cum conjuge Hedwiege Hollandinâ anno 1118 collegium Canonicorum fundavit, inde ad Limburgenses transiit.

Postmodum à morte VValrami ultimi Limburgensis Ducis, & fratris Adolphi Montensis de ejusdem proprietate controversia fuit, Reinholdo Geldro, qui Irengardem unicam VValrami filiam duxerat, & Adolpho Montense eam sibi pariter vendicantibus.

Ob quam litem Bellum VVorringense anno 1288 exortum est: quo Reinholdo Geldri cum Siegfriedo VVesterburgio Archimysta Col. à Ioanne Brabantiæ Duce, & Adolpho Montano victis, & captis, VVassenbergam Adolphus Ioanni Brab. vendidit. Anno 1295 quod imperium Ioannis Brab. Ducis filii, itidem Joannis dicti, utpote novi Domini detrectaret, fuditus, salva tamen Ecclesiâ collegiatâ, eversa est.

Post multorum denique Dominorum mutationem, anno 1498 per Maximilianum Austrium Imp. & per conjugium Mariæ Burgundicæ Brabantiæ Ducis VVilhelmo Juliæ Duci hujus prosapiæ postremo Friburgi Brisgojæ cum Roda & Hertzogenradia obligata: tandem ejus proprietas per tractatum Bruxellensem anno 1544 Iuliacensi provinciæ in perpetuum cessit. Non longè hinc Myrica locus plurimorum supplicio infamis abest, in quo vel vicinis certè locis paludosis an. 1206 Philippus Suevus & Otto Saxo de imperio dimicasse leguntur.

Bruga arcem habens; unde tota præfectura denominatur, pignus quondam fuit Comitum Morsensium, qui illud à Principibus Geldris consecuti sunt; iisque pignus reluentibus tandem per tractatum Bruxellensem sæpè memoratum anno 1544 etiam Iuliæ unita est. Hæc præfectura etiam alia oppida suo ambitu complectitur: qualia sunt Dalenum, Dulckenum, Suchtelenum, quæ fino ut totus ille tractus, copiosissimo & optimo abundat.

Dalenum aliud à Dalheimio Limburgensi, Monasterio religiosarum virginum, & clade Batavorum anno 1568 nobilitatum est.

Dulkenum fontem in se habet salientem Neetam, qui non longè post in fluvium excrescens, molas circumagit.

Suchtelenum sicut & VValdenielium municipia potius sunt quam oppida : quorum istud Irmgardis Zutphaniæ Comes Ecclesiæ Col. collegio Pantaleonæo legavit.

Gladebacum, Joannes Buchlerus nobilis ejus indigena lubricum torrentem interpretatur : alii Galbiacum Taciti esse putant: ubi ordinis Benedictini Monasterium celeberrimum Gero Archiepiscopus Col. circa annum Domini 971 condidit. Oppidum verò in finibus Agrippinensium situm Novesio propius, sed quatuor milliaribus Iuliaco distat.

Grevenbruchium ultimum ad Ervatem Iuliæ oppidum, arce splendidâ, patriâ VVilhelmi Insulani præpositi, ad D. Adelbertum Aquisgrani, & Monasterio egregio VVilhelmitarum Ordinis Eremitarum D. Augustini clarum est.

Castrense oppidum à castro magnifico quo munitur dictum, itidem ad Ervatem situm, cum ditione ei subjectâ, olim peculiaribus Dynastis paruit: Gerhardus enim VValrami Juliorum Comitis frater ejus Dominus in antiquis literis appellatur. Postea cum Dynastia Falckenburgica fœdè permutatum, ut rythmus habet Germanicus:

Der muß Schandt haben/vnd Laster/
Der Falckenburg gab vmb Caster.

Berchemium denique ultimum Iuliorum, quia Coloniam proximè contingunt oppidum, Ervate fluvio alluitur & perluitur, cum integra sua Dynastia à Comitibus Palatinis in feudum Comitibus Iuliis concessum, olim similiter peculiarem Dominum agnovit.

Inferioris Dynastiæ Dominia, quæ Ducem Iuliæ feudi Dominum agnoscunt, in amplissimo Ducatu & plurima & eximia sunt. Hæc juxta præfecturas jam porro recensebimus.

Dominia provinciæ Iuliæ 81.

In præfecturis Zintzigiensi & Regiomagiâ sita sunt: Burgbroelum, Hersbachium, Kaldenbornium propè Altaquilium, Bocholtium, Francenum, Gimmenichium, Verendorfium, Odinckhovium, Lauterhovium, Lantzcronium, VVinteranum, Conigsfeldium, Herckenbachium. In Comitatu Novariensi: Merckenheimium, Alertzheimium. In Monasteriensi Eiffliæ præfectura: Lindanum, Freitheimium, Vischelium, Vettelhovium, Kaldenbornium Artzdorffium, Merlium, Lamersdorfium, Lusingium, Blanckenheimium, Geroldsteinium, VVeinheimium, VVinterbergium, Marschalradium, VVildenbergium, Dollendorfium, Holtzium ad Bleibergam, Schmitheimium, Hartzheimium, Gleheimium, Saltzfejum, Zerelium, Antweileranum, Wachendorffium, Burgfejum, Henrodium, Schurenum, Eichium, Lantradium, Sahranum, Blitterfbergium.

In Euskirchiana præfectura: Billichium, Ruxheimium, Ewenheimium, Bullesheimium magnum.

In Heimbachianâ unicum Sleidanum.

In

In Nidecciana præfectura Drimbornium, à qua familia nobiliſſima in ducatu Iulio, cujus majores illud poſſederunt, ſed ab illo fato quodam dejecti ſunt, hodieque denominantur: Gortzenum, Eixium, Metternichium, Gladbacenſe, Binsfeldenſe, Druiſium, Burggarium. *Status Eccleſiaſticus provinciæ Iuliæ.*

In Norvenichianâ Gortzenichium, Frentzium, Merodium.

In Bercheimia Etzweileranum, Turnichium, Vogbellenſe, Frecchenſe, Hemmerſbachium, Sunddorffium, Fliſtedium.

In Caſtrenſi præfectura Newradium.

In Iulia V Veiſweileranum & Settericenſe.

In Boſſeriana Tetzium.

In Gladebaccenſi Rhedanum.

In Eſchweilerana Stolbergicum.

In V Villemſteinia Kintzweileranum, ad Comites V Valdecianos ſpectans, Bergenſe, Heidanum.

In Bornenſi Limbergium & Keltzenichium.

In V Vaſſenbergenſi Tuſſenbrochium.

In Summa 82 Dominia.

A Seculari Provinciæ Iuliæ ſtatu, ad Eccleſiaſticum tranſimus: In quo præter Domus Commendatorias S. Ioannis, etiam multas Abbatias præclaras insignes Eccleſias Collegiatas, & multa utriuſque ſexus Monaſteria numerat.

Domus Commendatoriæ Ordinis S. Ioannis ſunt Elſenia, propè Grevenbruchium, Slerſtorphiana in præfectura, Aldenhoevia, Nidecciana.

Abbatiæ ſunt, Prumienſis in Eyflia, S. Cornelii ad Indam, Gladebacenſis omnes familiæ Benedictinæ, ſub tutela Iuliorum Principis, & Steinfeldenſis inſtituti Præmonſtratenſis.

Prumienſis à Pipino Caroli Magni patre fundata, etſi dioecæſi Trevirenſi ſubjecta, eam hic tamen tum ob vicinitatem, tum quod ejus beneficio Principes Iulii multa loca conſecuti ſunt, recenſemus. S. Cornelii ad Indam etiam circa Carolina tempora fundata eſt.

Anno 1310 à civibus Aquenſibus vaſtata, juſſu Henrici ſeptimi Imp. & Henrici Vierneburgii Colonienſis Archiepiſcopi ab iiſdem inſtaurata.

Gladebacenſis ſub Ottone primo & ſecundo, patri & filio Imp. à Gerone Ludovici Saxonis filio Archiepiſcopo Col. circa annum Chriſti 971 inſtituta, & S. Viti memoriæ conſecrata eſt. Primus ejus Abbas fuit Sanderadus, authore Molano, cujus natalis in 24 Auguſti, vel 9 Cal. Septembris incidit.

Eadem caput S. Laurentii Martyris aſſervare dicitur, quod nuper adeo rex Hiſpaniarum Philippus quartus magnis precibus, & donis à Præſule Collegii impetrare non potuit.

Steinfeldenſis itidem in Eyflia inſtituti Præmonſtrati Abbatia Lipſanis Sanctorum Potentini, Fælicis & Simplici, habitatione etiam B. Joſephi celebris eſt.

Ecclesiæ collegiatæ provinciæ Iuliæ.

Ecclesiæ collegiatæ provinciæ Iuliæ sunt: Monasterienſis Eyfliæ, Iuliacenſis, VVassenbergenſis, Heinſbergenſis, Sororia & Sittardienſis.

Monasterienſis Sanctorum Chryſanti, & Dariæ memoriæ ſacra eſt, quorum reliquias ſub Sergio II. Pontifice Romano, anno 844 Marquardis Abbas Prumienſis Româ eo detulit, à quo Prumienſis collegii vicini meritò Colonia appellatur. Sic autem dicta eſt, quod Canonici olim ſub regula communiter vixerunt, qui hodierno tempore cum aliis ad libertatem irregularem & ſecularem tranſierunt.

Juliacenſis ptimum in pago Stommelenſi fundata, inde anno 1342 à VVilhelmo primo Iuliæ Marchione authoritate fratris VValrami Archiepiſcopi Colon. Nideccam, indeque Iuliacum à VVilhelmo Cliviæ, Iuliæ, Montium Duce anno 1569 deducta.

Heinſbergenſis ab Oda Heinſbergæ Domina Goſwini Falckēburgici ſorore anno 1140 condita eſt: eique anno 1224 decimæ Kempenſes à Theodorico primo, Godefridi filio, Dynaſta Heinſbergenſe tributæ: anno verò 1257 ex caſtro, in quo primitus collocata, in Parochialem Eccleſiam ab Henrico primo, Theodorici filio, omnibus illius proventibus unà cum ſacellis Kirchovienſi & Kempenſi collegio aſſignatis, tranſlata. VVaſſenbergenſis à Gerhardo primo Ottonis filio Geldriæ Comite, cum conjuge Hedwiege Hollandina, anno 1110 pridie Cal. Octob. D. Virgini & S. Georgio conſecrata, & conſenſu Otberthi Epiſcopi Leodienſis in allodio ſuo ſtructa: in quo nihil ſibi ibidem quam Caſtrum & preces Deo famulantium ut literæ fundationis habent, reſervavit; has Henricus Geldrus Epiſcopus Leodienſis anno 1263 recognovit.

Sororiam Canonicorum & Canoniſſarum VVillibrordus Epiſcopus molitus eſt Nam anno Dagoberti Francorum Regis quarto Chriſti 714 ſexto nonas Martii Pipinus Major domus regiæ, ipſi villam, ſicut Theofridus Abbas Epternacenſis in vita VVillibrordi loquitur, in pago Moſariorum à præterfluente rivo Sueſtra nomen ſortitam, & per Plectrudem ab ingenuis coemptam, contulit, in qua VVillibrordus illuſtre virginum Canonicarum collegium, cui etiam Canonici additi ſunt, condidit.

Illud poſtmodum tres ſorores, Gertrudis Nivigillæ, Aldogundis Mamboſii, & Amelberga hujus authores auxerunt. In quo etiam Swentiboldus penultimus Lotharingiæ rex ob flagitia & vitæ turpitudinem, an. 9001 interemptus cum filia Cæciliâ inhumatus eſt.

Sittardienſis à VValramo Falckenburgio, anno 1292 in ædem D. Petro ſacram collocata eſt, Templi hujus turris faſtigium, ante annos aliquot, cœleſti igne conflagravit, Deo præſtigiatorem, quod inde per funem decurriſſet, vindicante.

Monaſteria. Monachorum.

Monaſteria in Ducatu Iulio utriuſque ſexus recenſentur.

Monachorum quidem diverſorum ordinum, Eremitarum S. Auguſtini, ſpecialiter VVilhelmitarum, Cruciferorum, Carthuſianorum, Franciſcanorum, Dominicanorum.

VVil-

VVilhemitarum cœnobium est Grevenbruchi.

Cruciferorum: Swartzenbergium in præfectura VVilhemsteinia.

Item aliud eorundem cruciferorum Brugis Vincentius Moersanus,& Anna Palatina conjuges anno 1499 ædificarunt.

Hohenbuschium etiam communiter Hompeschium in præfectura VVassenburgensi crucigeris consecratum est.

Ex hoc etiam Dulkenium deductum est.

Carthusianis claustrum ad Avium concentum, zu dem Vogelsangh/propè Juliacum oppidum,anno 1504 Wilhelmus Juliæ, hujus prosapiæ, ultimus Dux, cum conjuge Sybilla Brandeburgica struxit.

Franciscani Minorei sunt in VVelchenbergio pago Observantes Marcoduci.

Monasteria vestalium nobilium, Sweinheimium, Hocvenium, Vessenichium in præfectura Thombergensi sita sunt. *Monialia.*

Ex quibus Sweinheimium anno 1238 Godefridus de Thombergh Eques instituit, & Heinricus a Molenarck Archiepiscopus Col. præsente fratre Friderico inauguravit.

In præfectura Noervenichia est Ellense instituti præmonstratensis cœnobium,milliari infra Marcodurum situm, ubi crucis Segmē inter Navis onera in mare tempestuosum ejectum, cum pixide inter medios fluctus sine latore eo miraculosè traductum esse, scribit Ægidius Gelenius in staurologia sua.

Nideccæ etiam magnificum ejusdem Ordinis Præmonstrati collegium fuit, quo collapso Monachi Steinfeldenses, Prioratum quem vocant ejusdem administrant.

In Heinsbergensis oppidi umbilico Goswinus II. ditionis illius integræ Dynasta & Aleidis uxor, iisdem nobilibus vestalibus instituti Præmonstrati cœnobium anno 1150 constituerunt, ab Alexandro II. Episcopo Leodiensi consecratum, cui anno 1184 Godefridus I. ejusque frater Philippus Archiepiscopus Col. Heinsbergenses Domini mansus tres anno 1217 & 1223 Theodoricus primus, & hujus filius Henricus primus,anno 1245. Theodoricus verò II.omnes itidem Heinsbergenses Domini. Anno 1267. 68. 74 & 82 prædia & bona multa largiti sunt.

In præfectura VVassenbergensi Dalheimium insigne vestalium nobilium Ordinis Cistercensis Monasterium situm est.

Cœnobia verò Monialium plebejarum multa sunt in amplissimo Ducatu: qualia sunt Mierurelerium in præfectura Noervenichia, in Heinsbergensi vff dem Hilvarth / quasi dicas sanctorum statione.

Sintzigium S. Antonii. Gerzense item.

Et Dalenum tertii Ordinis Franciscí in præfectura Brugensi, in quibus omnibus Moniales præter Pietatis exercitia veteri instituto,nendo & texendo se sustentant.

Provinciæ Iuliæ Flumina.

IUliam provinciam, præter Moſellam, quæ ad Eyſliam eam longinquius reſpicit, Moſam & Rhenum, qui ambiunt, & quaſi convexis brachiis inter ſe concludunt; etiam Inda, Rura, VVormia, Swalmia, & Ervetus interlabuntur. De Rheno, & qui eum influunt fluminibus, quà omnes Juliæ, Cliviæ, Montium &c. Provincias concernit, ſupra generaliter dictum eſt. De iis jam ſpecialiter, & de Moſella quidem ita Bernhardus Mollerus in deſcriptione Rheni.

Naſcitur in Belgis ad anheli fragmina Rura
Puniceo lambens amne Moſella ſolum.
Cominus ad lævam dimittit flumina Moſa
Eminus ad dextram flumina Rhenus agit.
Non caret unda bonis locuplete quod obſita Baccho (*Auſonius*)
Arva ſecat, rupes urbe Moſella tegit.
Rumarici clauſtrum ſubiens illuſtre, Volæi
Fluminis, ad dextram tollere gaudet aquas.
Præterit ab lævo ſpinali cardine muros
Inde Moſelburgi tecta liquore rigat.
Præterit à dextris Bojani mœnia, Tullum
Nobile, Condæi poſtea ſpectat agros.
Excipit obliquo Mortana flumina tractu
Flumina Squammigero digerit apta gregi.
Monte cadit celſo fertur Mortana Brinerum
Et teneris ripam lambit utramque labris.
Ramberti villamque ſubit, villamque Geberti
Hinc abiens Morta prædo juvatur aquis
Montis ab excaſi glomeratur vertice Morta
Morta Theodati valle coactus abit.
Contiguum dextra linquit tellure Ravonum
Danubrium læva mittit abire manu.
Excipit à dextris monti quod ceſſerat albo
Flumen & ad Lunæ culmina volvit aquas.
His ſimulac auxit ſeſe Mortana fluentis
Vndiſona clarum fronte Roſetan adit.
Inferius potat quod dat Ruxinga fluentum
Nicolei pergens teſta rigare parat.
Linquitur Illuſtris Lotharingo Nancea tractu
Nancea priſcorum tempore clara viris.
Vndiſona major creſcit virtute Moſella
Linquitur arx, nomen motio Pontis agit.
Inde Metis petitur populo venerandæ Metenſi
Nobilis illuſtri Sella ſub urbe perit.
Vdam Sella rotat, Lenderi naſcitur æſtu
Æquoris, ad Duſæ culmina volvit aquas.

Præterit

Præterit herboſo Marſellam turbidus amne
Caſtra procul fugiens eſſe Salina videt
Inferius fluviei ſubigit reſonante Nomenum
Sella gravi Sellam bile Moſella rapit.
Tot ſimul ac undis ſeſe prædator adauxit
Clauſtra Dinoduri mole Moſella rigat.
Digerit ad lævam brevioris cornua Suræ
Grandior ad dextram turbine Sarrus adeſt.
Sylva pium Suræ confert Arduenna fluentum
Flumen Aliſontis Sura ferire facit.
Lutzelburgorum ſedeis explorat Aliſo
Flumine nil ipſo dulcius eſſe reor.
Tecta Viandena ſimul ac auguſta reliquit,
Vrus adit Sura flumem amittit aquas.
Mordicus abſorpto Proneam flumine Sura
Digerit ac Neme ſæ flumina mole capit.
Egreditur pulchra Sarrus tellure Quirini Saerbrug.
Nominis ad propriis caſtra nec ire timet
Culmina Vinſtingæ, Sarwerdam poſtea linquit,
Inde Buchenhemi tecta venuſtat aquis.
Dives ubi læto vigilat Sargmunda vigore
Sarrus inoffenſo rura liquore coquit.
Accipit occurſu famulantis cornua Bliſſa
Cornua multijugis comiter aucta vadis.
Sed quæ Bliſſa prius gemino ſunt cognita ponti
Flumina Luenburgi partibus acta rapit.
Dum ſolito pergit curſu tranare Moſella
Candida terrarum candidus arva lavat.
Vitrea fœcundi penetret dum flumina Nidda
Mox propriis Nidda labra maritat aquis.
Fertur ab occaſu Treverim, defertur ab Euro
Novomagum curvo linquit inane gradu.
Conſtantina levi metitur nomine caſtra
Eminus advecto cernitur amne palus.
Mordicus abſorbet violenti cornua Gelbis
Gelbis ab Arctoo naſcitur orbe caput.
Hujus & urgetur Tarbellia margine rivi
Cujus & Ephalia nomina tractus habet.
Abluitur curvi gyro Cuſana Moſella
Flumina Mæandri flexibus inſtar eunt.
Piſciferum viridi rapiunt legione Leſuram
Exigua fluvium mole Leſura vehit.
Conditur hic amnis dextra qui liquerat ante
Mœnia Waldechi divite ſtructa loco.
Limite mox dextro ſtationem præterit Hunni
Ephaliam lævo mittit abire gradu.

Præterit ad lævam Meinfeldi jugera longè,
Imminet à dextris Alcona, ſpectat aquam
Deſluus excelſo Cobarenum gurgite linquit
Flumine jam feſſo longius ire nequit.
Vt Boream læva dextris ſuſpexit Eoum
Sceptriferis Rheni conciliatur Aquis.

Moſa ex montis Vogeſi radice propè caſtrum Neoburgum ſcaturiens Birſeni & Sorſonæ gurgitibus abſorptis Michaelis fanum Verdenum, Maſeriam, Iambeſium, Namurcam tranſit, ibidemque Sabi fluvio ab Hannonia deducto hauſto, Hogenum Leodium fluviiſque inibi Legia, Murtio & Aſpro iterum auctus, Viſetum, & Trajectum præterit: ex Tongria verò Icaria nacto Gelenium propè Sittardum lambit: ubi quoque fundo ſuo deſerto quaſi in aëre penderet, juxta Suſterenam ſubſiſtit: tum Stepha-inſulanum, Hornæum, atque Gugernos pertranſit; & Ruremundæ, Ruræ, de quo mox, junctus caſtellum Venlonum Blariaco objectum, & tandem Gennepium præterlabens ibidem Niero commixtus, Ravenſteinium, Gravenum, Bataburgum, Mœganum caſtra tranſit, ubi Vahali commixtus, moxque ab eodem flectens flumine Pomello læva dexterâ Boxtelum, Pælandiam, Helmontum adit, indeque Sylvam Ducis delatus circa rupem Leoniam Vahali abſorpto in mare defertur, de quo ita idem Bernhardus Mollerus in deſcriptione Rheni:

Moſa caput fontis Vogeſi radice meretur
Ante Neoburgi caſtra rotatur aquis.
Gurgite Birſenum Sorſanos gurgite lambit
Ante Michaelis tecta profuſus abit.
Mœnia Verduni præclaro præterit amne
Pulcro Maſeriam pulchrior amne rigat.
Eminus Arduennæ veneratur jugera ſylvæ
Hiſtoricis paſſim nobilitata libris.
Iambeſium dextra ſubigit lævaque Namureum
Fluctifer hic Moſæ cornua Sabis init.
Sabis ab Hannonia deducit divite fontem,
Poſteritas Scambræ nomen ineſſe dedit.
Præterit Hoienum modico non agmine Moſa
Moſa Leodinas inde pererrat opes.
Tecta Leodinæ pertranſit Legia gentis
Legia præluſtri no bilis amne latex.
Vrtius adverſa Moſam delabitur urbe
Vrtius Arduenna flumen ab orbe ferens.
Accipiens Aſprum Veſeni digerit undas
Flumina Veſeni mordicus inde rapit.
Nomine Viſeti quæ jam Taxandria pollet
Vrbs veterum pollet laude, propinquat aquis.
Dives ab antiquo Trajectum tempore ſurgit
Illuc Icarium Tungria flumen agit,

Vtra-

Vtraque Falconum ſimulac ad Mœnia ceſſit
Irriguo Moſam calle Guellius adit.
Gurgite Stochemum Maſeicas gurgite lambit
Flumina Geleniiflumine Moſa bibit.
Gelenii Sittarda vadis accedit eodem
Incola Neuſtadii viſitur amne cohors.
Hinc Stephani curvo circundatur Inſula fluctu
Inſula Maesbrachii deſinit iſta ſolo.
Latius exili dum volvitur impetit Moſa
Dividuis iterum diſſociatur aquis.
Præterit Hornæum læva quod deſpicit undas
Aſtalia Ruram parte ſuperbus habet.
Mœnia Rurmundi nomen teſtantia Rura
Præterit hic geminus flumina Moſa coit.
Culmina ſuſpectat Caſtelli nomine clara
Culmina Venlonum nomine clararigat.
Flumine Bergæum liquido protenſus ad ima
Rudera Gennepii ductile vertit iter
Gennepium fertur duplex præcurrit utrumque
Qui gelido cedens amne Niarus adeſt.
Vrbs paulum ripa Moſa ſemota videtur
Proximus ad Moſæ cornua pagus abit.
Mœnia Cuickeni delibat gurgite Moſa
Rudera Catvici gurgite Moſa ferit.
Atque ſitum vaſta ſubigit torrente Gravenum
Ante Ravenſteini caſtra profundit aquas
Caſtra Batenburgi tumulus impoſta ſalutat
Ardua Megeni tramite Saxa ferit.
Inde ſubit Vahalim, ſed mox deflectit eodem
Et ſolito ſolitum more reducit iter.
Flumina Domelli prædatur fluctibus aucta
Adit & audaci flumina mole vehit.
Ad in ab auſtrali rapit Oſter Wichiaparte
Vicus & Eoi nomina ſolis habet.
Domelli lævam Campinia præterit ingens
Dextera Boxtelum ſuſtinet ora jugis.
Alterius dextram Peelandia diſtinet Adis
Adis ad Helmanti mœnia fundit aquas:
Inde Ducis ſylvam ſimulac adverſus obivit
Cærula Domelli fluctibus ora ſubit.
Longius arrepto procedit gurgite Moſa
Brachia protenſo longius amne trahit.
Inſula Vallanti ſepitur flumine parvo
Haegdenium cujus fauce relinquit aqua:
Cominus apparent antiqua brachia Moſæ
Nunc alio ruptum Moſa peregit iter.

Alta leoninæ ſimulat faſtigia rupis
Attigit arrepto flumine Valis init.
Nec jam ſubducet ſeſe velut antea Vali
Valis in imperium Moſa ſed ire negat.
Valis habet Moſam læva concurrit utrumque
Flumen & audaci verberat amne ſolum.
Horrida civili peraguntur prælia motu
Armat Valis aquam cedere Moſa negat.
Imperium quærit præclarus origine Rheni
Valis adhæc Rheni jactat inermis opem.
Rhenus adeſſe nequit, nam longius effugit ipſe
Seque minor non jam ſufficit ipſe ſibi.
Exurgens animal pugnare potentia Moſam
Major enim Vali Moſa timere nequit.
Moſa necat Valim pedibus proſternit inermem
Nec patitur Valis nomen ineſſe Vado.
Illum propterea Rheno quid profuit ortum
Degeneri cedit nobile crebrò genus.

Inda Monaſterium S. Cornelii alluens in pago Gyrbergio Dynaſtiæ Heinſbergenſis Ruræ commiſcetur.

Rura Orientalis ad differentiam Ruræ Occidentalis concitatus Marcani fluminis, in præfectura Montis Jovia ſub pago quem frigidum hoſpitium nominant, fontem ſuum habet, & inde vorticoſo alveo decurrens univerſam provinciam Juliam inundat, Iuliacum, Linnichium alluit, donec Randenradiæ, VVormiæ, & Swalmiæ, qua in Mediterraneis Iuliis ei cõjunguntur, unitus apud Ruremundam, ut jam diximus, à Moſa abſorbetur. De quo ita Bernhardus Mollerus in deſcriptione Rheni:

Præterit audaci Gugernos flumine Rura,
Iulia Gugerni creditur eſſe domus.
Mœnia Iuliaci ſimul atque potentia vidit,
Linnichium parvo ſpectat abeſſe ſitu.
Digerit obliquo Wormæi flumina tractu,
Eminus Heinsbergæ culmina ſtare videt.
Mœnia Rurmundæ nomen teſtantia Ruræ
Præterit, hic geminus flumine Moſa coit.

Inprimis de ejus curſu urbibus, rivulis ingredentibus, accolis, piſcibus, virgultis, avibus, ſegetibus, paſcuis, hoc inſigne, quod ſequitur Poëma Petrus Streithagenus, Canonicus Heinſbergenſis contexuit, nobiſque ſubmiſit.

Ervates denique qui ab aliis Arnapha dicitur, Tarbelliâ, ſive Eyſilia exortus Euſkyrchiam, Lechnichium, Carpenam, Berchemium, Coſteram, & montem aquilium alluens à ſiniſtris ſaltum, qui Comitis dicitur relinquit, indeque fluvio, qui Fletus appellatur, itemque Crura acceptis juxta Noveſium Rhenum influit, ſicut iterum Bernhardus Mollerus canit:

Ervetus

Ervetus oblongo rimatur flumine terras
Elphaliæ gaudet matre fluenta dari.
Præterit hamato Lechminum gurgite vastis
Ditia Carpenæ fluctibus arva subit.
Iulia Bergonam veniendo pascua lambit
Mœnia Castereæ civibus apta rigat.
Candida prolabens Aquiloni culmina montis
Irrigat, ad comitum serpere lustra nequit.
Flumen ab illustri defertur jugere Fletus
Ervetus hunc rapido gratior amne vorat.
Qui dum progreditur labente valentior unda
Hunc subito Rheni lava furore bibit.

SOMNIVM.

SOMNIVM,

SIVE

POEMA IN RVRAM

præcipuum Juliæ Provinciæfluvium,

Serenissimo ac Potentissimo Principi, Domino

GEORGIO GUILIELMO

Marchioni Brandenburgico, S. Romani Imperii Archi-Camerario & Electori,

Borussiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, Lacaoniæ, & Grosnæ in Silesiâ Duci,

Burgravio Norinbergensi, Principi Rugiæ, Comiti Marchiæ, & Ravensbergi, Ravensteinio ac Heinsbergio, adeoque utriusque Ruræ Dynastæ, Petrus à Streithagen,

Ejus auspicio, ac benignitate Canonicus Heinsbergensis,

In grati animi significationem & æterni cultus, aut ornamentum, Ruram à se descriptam, una cum Tetrastichis in Principes Juliæ, Cliviæ ac Montium, dedicat, consecratque.

ARGUMENTUM POEMATIS.

FIngit Author, se juxta fundum Hackianum, quà ad collegium Heinsbergense spectat, in sylva, dum solis ardorem declinat, sub frondibus arborum, obdormivisse. Ibi Ruram, quæ illac præterlabitur monuisse in somnis, uti exemplo Ausonii, qui Mosellam dedit, se quo que carmine celebraret. Si feciſſet, futurum eum aliquando Canonicum Heinsb. & de dicto fundo pariter participaturum. Moviſſe hanc promiſſionem ejus animum, uti in laudes fluvii venam

venam laxaret; eoque facto Ruræ prædictionem effectum suum sortitam, eique Canonicatum Heinsb. collatum:

Forte fatigatus ferventi Solis ab æstu
Frondosa subtus convexa cacumina sylvæ, Somnium.
Carpebam dulces viridanti in gramine somnos;
Hackia, Gangulphi templo qua debita villas
Frugiferos ostentat agros, & prata benigna
Pascendo pecori multoque comantia flore.
Nec mora, dum varia ludantur imagine sensus,
Diversoque abeunt per mille insomnia motu,
Visus adesse mihi coram Rura obsitus annis,
Humida populeo redimitus tempora ramo.
Tauri vultus erat, barba hispida, corpus aquosum,
Tanquam Hydrope tumens, ideoque ingentia terga
Insistens fluvialis equi, cursuque fatigans.
Obstupui faciem insolitam, motusque senilis
Corporis assiduos, nec visum frontis honorem.
Sed postquam humano mecum est sermone locutus
Conceptus subitò longè timor aufugit omnis.
Sic verò fluido cœpit mox ore profari.
Ergone lente jaces somnoque oppresse Poëta,
Nec te tot voces avium tam dulce canentium,
Nec te tam ridens æstivi temporis aura
Commovet, ut cytharam cupias tentare vacantem,
Et lætum celebrare melos, quo protinus omnis,
Vatis ad Ismarii facinus, tibi sylva resultet?
Quin age, si nulla est propior tibi causa canendi,
In laudes assurge pias, atque ubere vena,
Ausonii nostros fluctus compone Mosellæ.
Quod si tanta manet patrii reverentia Rura,
Ecce tibi villæ partem prædico propinquæ
Obventuram olim, sociis cum junctus in Æde
Gangulphi, Canonam referes de nomine nomen.
Ne quid diffitear, moverunt præmia mentem,
Et sortis fortuna sacra, blandique soporis
Somnis, traxerunt cani ad præconia Ruræ.
Hoc magis, arrepta cum puro è gurgite lympha,
Infaustos longè jussit discedere visus,
Et menti solum Parnassi objecit amorem.
Atque ita, quod mirum possit fortasse videri,
Ista soporifero deprompsi carmina corde.
Qui Ruræ ignorat famam, qui flumina nescit,
Audiat, & nostra doctus veneretur ab arte. Ruræ.
Rura vetus retinens Ruraco à Principe nomen, Tribem. Nomen.
(Quem vada conantem gravibus transire sub armis Fluxus.
Mersit:) & Eifaliæ decurrens montibus ora
Iuliacam pertransit humum, crescensque fluentis

Pluribus, in Mosam pleno sese impete volvit.
Ter felix fluvius, si munera magna ruentis
Attendas, liquidique sinus miracula centum.
Quis rapidis etenim citius delabitur undis?
Quis resonet graviore vado? quis murmura lapsu
Nobiliora ciet? quis pronius aquora plana
Permeat, & ausum currendo prævenit ipsum?
Longinquo tractu sinuosa volumina torquens,
Nunc obliquus abit, nunc rectus defluit amnis,
Nunc gyros iterat, nunc leni volvitur orbe.
Non secus ac serpens obscuro egressus ab antro,
Implicat errantes spicas, corpusque revolvens
Verrit humum, lentæque trahit vestigia cauda.
Jam fœdum exosus cœnum sordesque paludis,
Lapides. *Ipse sibi silices per quos longè avius erret,*
Procreat, & fœta semper producit ab alvo.
Quippe velut prima lapides ætate cadentes,
Assumpsere hominum formam, durique nepotes
Evasere senis, servati à turbine ponti:
Haud aliter mediis lapides gignuntur in undis,
Eque liquore levi sensim saxa aspera fiunt.
Et verò ingentes silicum fert copia fructus.
Hinc etenim platea mixta solidantur arena,
Sternitur hinc domus, & domui simul area juncta.
Quin tessellatus, patrii de more, lapillis
Exiguis nitet inde focus, quin atria splendent
Inde pavimentum variis crustata figuris.
Aqua. *Adjice, quod dulces toto vomit amne liquores*
Non sale respersos, qualis maris unda refertur,
Non ferrugineos, quales dat Bilbilis haustus,
Sed nec mortiferos, quales Styx atra propinat.
Hinc sudore fluens, & lassus sole viator,
Ambabus bibit è manibus, sicumque calore
Guttur, ab humentis madidat dulcedine potus
Hinc prope oberrantes per pascua læta juvencæ
Nunc explere sitim, nunc pectora ad usque natare
In mediis latantur aquis; hinc ipse frequenter
Villosæ pecudis depurgat vellera Pastor,
Et mollem adverso depectit flumine Lanam.
Urbes quas alluit. *Quid dicam, ut varias æterni nominis urbes*
Alluat, & placido lambat quoque mœnia rore?
Montis Iovis. *Prima intercepto gaudet Montjoja fluento*
Nidecka. Deliciis sacrata olim, *Nidecka subinde*
A tetra invidia (fama si credere dignum est)
Perpetuum retinens per seros dedecus annos.
Dura. *Mox ingens Dura est, ter sancto vertice felix*
Anna beata tuo, quem fabri provida quondam

Dextrâ,

Dextra, Moguntinæ tulit è penetralibus Ædit.
At contra infelix, ter magni Cæsaris olim
Obsidione gravi, qua tristia fata suorum
Vidit, & ingentes profusi sanguinis imbres.
Post hæc Iuliacum supremo insignis honore
Vrbs jacet, immani Castro, murisque superba, — *Iuliacum.*
Atque ideò Nemesin toties experta furentem.
Linnichium subit hinc Prumiæ *sub Præsule quondam* — *Linnichii.*
Consistens, Patriæ sed nunc quoque legibus utens.
Mox quæ crescentis posita est sub culmine montis — *Hainsberga*
Adversa Heinsbergo, tum quæ postrema perenne
Nomen ab effuso fluvio, Mosaque recepto
Ruræmunda *tenet, seroque tenebit in annos.* — *Ruræmunda.*
Quid pariter memorem, Irleno quot gurgite rivi — *Rivi ingredientes.*
In Rura cupiant tenues abscondere lymphas?
Hos inter rapidis decurrens fluctibus Inga *est,* — *Inga.*
Et jam tum Magni Caroli sub tempora notus
Wormius, *à crebro flexu fortasse vocatur.* — *Wormius.*
Tu quoque, qui nostri clarescis carmine Patris
Mertzia, *in exigua magnum sortite fluente* — *Mertzia.*
Nomen, & aspirans gelidas Salmonis ad undas,
Circumstant alii, propiusque accedere gaudent. — *Circumstantes.*
Erpa *vagus nunquam glaciali frigore torpent,* — *Erpa.*
Quantumvis scythiis Boreas grassetur ab axe,
Et Sualma *insignes adiens, &* Nierfa *Sicambros,* — *Sualma. Nierfa.*
Et qui Gladebaco per lubrica saxa volutus — *Gladebach.*
Imposuit nomen, torrens Buchlere perenni
Tempore victurus, sed te victurus alumno.
Prætereo reliquos tanquam sacra arte minores,
Et nimis obscuros fama, dignosque latere,
Sed non transgredior populos, qui flumina Ruræ — *Populus accola.*
Inde vel Imperii primum tenuêre sub ortum.
Iulia, *quæ geminas inter confinia ripas*
Nunc Rheni, Mosaque tenet, latissima tellus,
Quæque renascentis vestit se lumine Phœbi
A muris Agrippa *tuis, propiorque cadenti*
Tangit ab oppositis Eburonum *sedibus agros;*
Quæ media de parte poli, madidata Mosella
Leucorum lata arma videt, gelidoque sub axe
Rura paludosis semper possessa Sicambris:
Illa suos olim patria de voce Gugernos
Indigenus dixit, tanquam quos nomen equorum,
(Quippe alacres matrum generoso è sanguine nutrit)
Ducere ab affectu, sed & usu crederet æquum. — *Tacitus.*
Quin & Romanos contra stimulavit ad arma,
Cum Batava gentis motor Civilis *in hostem*
Duxit, & antiqua pro libertate cruentas

Conſeruit pugnas, infeſtaque partibus arma.
Inde ubi degenerem poſt ſæcula plurima vultum
Accepit jam Roma *ſenex, rugiſque pudendis*
Lucida, deſlevit canos per tempora crines,
Et facta eſt imbellis anus, contemptaque cunctis:
Incurſus varios prima inter Belgica Rura
Senſit, & allectas terræ uberioris amore
Pertulit à Getico famoſas cardine turbas,
Donec ab invicta Francorum *gente ſubacta*
Magnanimi Clodovæi opera eſt, *qui fortia tollens*
Signa Crucis, Chriſtique ſacra perfuſus ab unda
Barbara promeruit victor ſibi ſubdere colla,
Imperiumque novum ſolidis fulcire columnis.
Quanquam Pannonias ducens ferus Attila turmas,
Belgiacos circum circa conſameret agros
Crudelis, ſolituſque ſitim placare cruore.
At verò deinceps jam regno in membra quaterna
Diviſo, Auſtraſiæ manſit ſub Regibus oræ
Tempore permulto: ſed cum Ludovicus obiret
Vltimus è ſerie Regum, bellumque cruentum
Germanos, Galloſque inter Lotharinga crearent,
Sceptra, ſuper Ruram (qua laus quoque maxima Ruræ eſt)
Nempe ſuper Ruram, firmata pace perenni,
(Quam pepigere ſimul clarus pietate Robertus
Cæſar ab aucupio) *diviſa è finibus arctis,*
Perpetua Dominos accepit lege creatos,
Iuliacæque etiam diſtincta eſt limite terra.
Hos igitur Populos piſcoſo flumine Rura
Pavit abundanter, nec adhuc quoque paſcere ceſſat.
Quippe frequens Salmo *ſalſis fugitivus ab undis,*
Pernici ſubit impulſu, dulcique liquore
Victus, in anguſti ſubſiſtit finibus alvo.
Libertate carens quin non minus impete præſtans,
Vſque Lupus *rapido fertur ſuper æquora curſu*
Atque inhians piſces avido vorat ore minores.
Sed quiſnam blanda vel vanum ſiſtere voce,
Lubrica confidat fluvialis terga caterva?
Labuntur manibus, nedum ut verba ulla morentur
Et tamen aſpicias juvenes mira arte trahentes
Squamigeros cives, vaſto de gurgite rivi.
Vnde etiam captæ prædæ dulcedine lati,
Indigno afficiunt fatonil tale merentes.
Namque illos vulſis primùm interioribus alvi,
Impoſitos crati, torrent, ſartagine frixos,
Dimembrant alios, alioſque liquamine mergunt.
Sed nulli gravius manibus crudelibus inſtant,
Quam miſeræ Anguillæ, *cui ſummo à vertice pellem*

Fridoardus anno 923.

Piſces Rura

Diri-

Diripiunt totoſque artus (miſerabile) nudant.
Marſia ceu quondam te victum durus Apollo
Exuit humana ſpecie, ſparſitque cruore,
Nequicquam diros Nymphis lachrymantibus auſus.
Et meritò fugit in fundum, nec mortua ſaltem
Suſtinet aſpectus hominum tolerare feroces
Cum tam ſæva ſibi norit tormenta parari.
Quid, quod non licitis corrumpant artibus alvum.
Sed commixta gravi medicamina plura veneno,
In medios jaciant fluctus, queis protinus hauſtis,
Innocui piſces cerebro vertigine laſo
Diverſum fluitant, ultroque ad littus euntes,
Captori ſeſe manibus patiuntur apertis
Non aliter quàm cum paphio ſuccenſa furore,
Philtra ſuo miſcet fratri inſidioſa puella,
Queis miſer intectus mox deteſtatur amatam
Mox tamen uſque cupit, amens (pro crimen!) amanſque,
Atque utinam miſeris parcant animalia ſaltem
Piſcibus, & propria tutos in ſede relinquant.
Ecce vagus circum ripas quoque Caſtor *oberrat,*
Præda inhians, præda intentus, liquidaſque catervas
Cogit, ut ingentem repleat melioribus alvum.
Non impune tamen, deprenſus furta reſectis
Teſtibus exſiluit, medicorum inſignis in uſus.
Sed jam Muſa monet virides attexere ſepes
Flandris, & cana pallentia fronde ſalicta,
Sub quibus egreſſas patrii penetralibus amnis,
Najades amplexu Fauni *ſtrinxére petulco.*
Quis neget? ipſe oculis dum me requieſcere credunt,
Nuper anhelantes in mutua corpora vidi
Et labra jungentes repetita per oſcula labris.
Ni tamen egreſſum pago par forte propinquo,
Credula Dinomum decepit lumina forma.
Quippe ſolent varias congreſſus quærere cauſas,
Quos eadem Cypriipueri vis laſſit amantes.
Hinc ſimul in ſylvas carpturi dulcia fraga,
Carpturique nuces *veniunt curaſque parentum*
Sollicitas, falſi prætextus ſchemate fallunt.
Dic, ô dic quoties hæc blanda incendia Rura
Videris, & denſa ramorum texeris umbra
Sed ne dic quoties hæc blanda incendia Rura
Videris, & denſa ramorum texeris umbra.
Scilicet indignum eſt, dulces efferre calores
Debitaque Italiæ violare ſilentia matri.
Nec verò tantum ripæ vaga crimina celant,
Ingentem pariter præſtant mortalibus uſum.
Aſpice, qua magno numero virgulta *Colonus*

Rura virgulta.

Colligit,

Colligit, & findens ſupremo cortice nudat,
Inde retexendo multum, multumque plicando
Flexibiles frondes, & quovis ductile vimen
Palladios calathos miranda perficit arte,
Quos poſtquam exiguo precio ſibi virgo paravit,
Ad lævam appenſos cunctis oſtendere geſtit,
Adde nec adſtrictos, nimium, nimiumne ſolutos
Cancellos patulis faciles inferre feneſtris,
Omnia quò videas, nulli tamen ipſe videndus.
Adde etiam corbes, teretes ſimul adde caniſtros,
Adde etiam cunas teneris infantibus aptas
Et ſi qua aſſimili doctè confecta labore
Artificem produnt operam ſed paupere lucro.
Rura Volucres Anas. Quis Palamedias volucres, anatumque catervas
Tranſeat? ingenti ſonantes æthera voce,
Deſuper in Ruram pronæ lato agmine ſidunt.
Et nunc merſantes tremulum caput uſque ſub imam
Planitiem pelagi poſtico corpore ſurgunt:
Impete nunc rapido ſuper æquora lævia lapſæ,
Dividuo ſamiam pinguntin flumine formam.
Ardea. Ardea quin etiam multum ſpatiatur ad undas,
Et rapit errantes oblongo gutture piſces;
Mergus. Atque hominum ſolers oculos eludere mergus,
Et viridi alcyones pluma, rubraque micantes.
Sed nulla in totores tam mirabilis amne eſt,
Quam ſimul ac Boreæ frigus ſpirante coegit,
Inglacies liquidos latices, in fruſta fluores.
Tunc etenim durus fluvius, tunc mollis & idem eſt;
Tunc pariter ſtabilis, pariterque eſt mobilis idem;
Tunc homini greſſum præbet, præbetque natatum
Piſcibus, & quamvis varius, tamen unicus ipſe eſt.
Hinc ſpecta, ut pluvia cœlo labente deorſum,
Subſiliant fluctus, & lubrica ſyrmata Ruræ
Gemmatis cingant bullis, pingantque decenter.
Atque algæ virides promiſſis crinibus ornent,
Tempora, & ut teretes addant diademata gyri.
Parthorum dominum dicas, cui fronte tomata
Splendet apex, trabeaque decus tergum implicat ingens
Scilicet & tali Rura eſt quoque dignus honore,
Qui non infames nebulas, halituſque malignos,
Sed puro ſanos exſpirat ab amne vapores.
Inde nec aligeras deturbat ab æthere catervas,
Quod potis eſt triſtis vitii damnatus Averni.
Inde nec ingentes gignit paſcitve colubros,
Quod præſtat fœdis corruptus Rhindacus antris.
Inde nec infeſtis accendit corpora morbis,
Quod Tyberis Latiâ trebrò conſuevit in Vrbe.

Nec refert vastas fugiat quod ferre carinas,
Iam super adserpens silices, jam conditus imo
Gurgitis in barathro, tenuis jam, jamque superbus.
Sic etenim immanes prohibet quoque crescere fraudes
Mercurii, longeque arcet commercia *vana,*
Sic vitiis frænum imponit, sic spernere cogit
Delicias alieni orbis, vitamque parato
Ducere, & ingluviem dapibus compescere inemptis.
Nempe seges nusquam cumulo majore redundat
Luxuria, nusquam scelerum contagia plura,
Quam quo dira loco merces usura flagellat,
Et vehit externas adverso à cardine gazas.
Felices igitur! patriæ queis munera terræ
Sufficiant, patriique greges, queis corpora vestit
Fuci omnis lana ignorans, queis corpora nutrit
Mensa adventitiis nunquam instaurata canistris.
Hanc vitam primo gentes duxere sub ævo,
Hic orbis fuit ordo novi, cum sancta parentes
Simplicitas juvit, cum mentes dira cupido
Illiciti voti, nondum de tramite recto
Flexit, & ad solos naturæ substitit usus.
At nunc infecto longa torpedine mundo,
Atque annis quantum, tantum crescente nefandis
Febribus, & tumulum jam jam spectante malorum?
Amplius haud modus est vitiis, sceleratus ubique
Quæstus, & insana tristi pro fœnore lites
Imperium retinent quin & malesana libido
Incæstæ Veneris, spiransque incendia fœda,
Iura pudicitiæ provolvit calce feroci.
Ipsa etiam tumido vesana superbia fastu
Altius ingreditur, cœlique ad sidera tollit
Verticis infandi culmen, superosque lacessit.
Hinc bella, hinc morbi, mundi rectore scelestos
Castigante hominum morer, & facta maligna,
Sed Ruram repeto. si quam contraxero labem
A sæcli vitiis (etenim contagia ladunt)
Abluturus aquis, ut puro gutture quicquid
Est reliqui, sicut Vatem decet, ordine pandam.
Rura etiam pingui cognomina Rura fluento
Irrigat, & veteres excedens gurgitis oras
Per campos missis liber spatiatur habenis,
Fœcundatque solum, glebasque per arva jacentes.
Quod si nonnunquam majori turgidus æstu
Præcipitet latices, & raptans obvia secum,
Agricolis damnosus erat. damnatus haberi
Idcircò haud poterit, fluviis hoc omnibus unum
Contingit vitium; vel si fas dicere verum est,

Iuliæ rura segetes. Cæsar l. 2. de bello Gallico.

Pascua.

Has lacrymas acri mentis de turbine fundant,
Quando triſtis hyems, homines algore tremendo
Affecit, & generi cuivis ſua pabula tollit.
Nec minus indignis infenſus ſæpe colonis,
De propriis deducit agris, digniſque reponit.
Quin & nec pontes *dorſo perferre recuſat*
Sublicios, ſeu marmoreos, quo commoda præſtet
Civibus, & lenta tollat faſtidia cymbæ,
Quin & nec ſtrepitus, *vertigine nempe, molarum,*
Excitos labentis aquæ perferre recuſat,
Quo duram Cererem panis convertat in uſum.
Præterea lætos præbens æſtate natatus,
Membra exercitio refovet nudata ſalubri.
Hunc igitur pondo propenſam corpore cernas
Findere vel manibus, pedibuſve liquentia terga,
Fluminis, hunc verſo reſupinum corpore ferri,
Adverſos illum nitentem vincere fluctus,
Illum præcipitem contra labi amne ſecundo.
Nec minus aſpicias, nonnullum audacius ima
Intrantem fluvii, mediis remanere ſub undis;
Et dum jam auxilium patulo ſtudet ore vocare,
Mortiferos fluctus contra ſua vota bibentem,
Qualiter aſſuetus ſiculum tentare profundam
Calanus, totoſque dies conſumere ponto,
Tandem, dum ſatagit projectum educere fundo
Craterem, rapido vita privatus ab æſtu eſt.
Dignus nempe malo, qui non temeranda Deorum
Arcana, acceſſu voluit violare profano.
At ſocii mœſti plorantes omnina caſus,
Nequicquam carum cupiunt ſervare ſodalem.
Ecquid enim pulſu tentatus Rura frequenti.
Ecquid correptus lembus, ſtudiumque benignum
Scrutandi circum ripas hinc proderit ultra?
Ille vagos ſequitur fluctus, quoque impulit æſtus,
Volvitur exanimis, vel piſcibus eſca futurus,
Vel fors poſt aliquot luces ex amne trahendus.
Hæc ſuper accedit, gregibus quod lympida ſervat
Pocula, & à fœdis nunquam polluta latrinis.
Dum, ſi quas ſordes caſu contraxerit olim,
Præcipiti devolvit aqua, Moſaque remittit.
Namque jugi madidum torquens curvamine corpus,
Odilia poſtquam tollem, Divique Vironis
Culmina, magnanimo quondam fundata Pipino,
Tranſiit, exceptus cataractis ſpumea tollit
Guttura, & undiſono Moſam procul ore ſalutat.
Tam cupidus ſocii, gemina ut mox brachia pandat
Et totum amplexu cupiat ſtrinxiſſe benigno.

Alexander ab Alex. lib. 11. & Maioleb in Canicularibus.

Quod

Quod quia multiplici prohibet pons fornice surgens
Inque unum cogit rursus coalescere flumen;
Ruropoli infensus nil prater nominis umbram
Ne prorsus subeat Lethaa oblivia linquit.
Nec bonus ipse suum munus tunc Misa recusat,
Sed patulo effusus gremio, totamque cohortem
Naiadum dacens, venientem murmure leto
Excipit, & solio secum componit eodem.
Quas ibi tum voces, qua verba utrimque proferuntur,
Qualiter antiqui recolatum temporis acta,
Praesentisque vices, qua mutua gaudia carpant,
Mortali vetitum cuiquam cognoscere sensu.
Illud sat notum, quod mixti fluctibus una
Ad Batavos abeant, nec dissocientur ad ipsa
Quam veniant avidi spatiosa cubilia Nerei.
Iamque gravi somno nondum, nondumque solutus,
Omnes, qua possent fluvio contingere dotes
Prodideram meliore lyra, nullaque relicta
Materia laudum, finem facturus agebam.
Cum cura incessit promissi muneris olim,
Atque alio longè mentem flammavit ab astu.
Ergo adeò ad Ruram conversus praemia, dixi,
Quin promissa diu, nostro pro carmine solvis?
Quin pactam das mercedem? quin sistis in Æde?
Finieram votum, nec se mihi Rura negare
Dixerat, & nostros laudans super aethera cantus;
Felicem te Petre, inquit, cui Phœbus Apollo
Indulsit bifidi conscendere verticis arcem,
Et sacros spectare choros, penitusque madere
Bellerophontei divino flumine fontis.
Me quoque felicem tali te vate, parumque
Cessurum Ausonii posthac in laude Mosellæ.
Perge agedum, & sanctis insistens usque Camenis,
Sperne humiles animos infandaque ad otia natos,
Sperne leves populi curas, sperne improba vota,
Non alia à Musis vita est sub cardine coeli.
Et iam ne dubita, Patriæ duo sidera, Patres,
Assensere tuis precibus, contraque malorum
Invidiam, censu te donavêre sacrato.
Hinc verò ingenti perfusus pectore toto
Lætitia, moxque excitus, cum flumine somnum
Cedere, & eventum sensi promissa tenere.

NOTÆ

NOTAE

ad Poëma Streithag.

Rura vetus retinens Ruraco à principe nomen.

*vers.*42. Non huic Ruræ, sed alteri in Rhenum excurrenti nomen dedit Roricus Clodomiri Francorum regis filius in eo submersus. Althamerus fol. 28, comment. in Germ. Taciti juxta Trithemium Spanheimens. is si esset ad manus, lis hæc facilè dirimeretur.

Prima intercepto gaudet Montjoia fluento

*v.*87.88. *Deliciis sacrata olim,* Nidecka subinde

Quia author non attendit vetustam nomenclaturam locorum, sed modernam flexioni Latinæ adaptat, relinquatur Montjoja, literâ saltem t. in s. conversa. Cæterum non à deliciis, sed Jove non Franco-gallico, sed Romano-latino etymo locus iste dicitur. Ergo alter versiculus sic corrigatur: *Antiquis sacrata Iovi, Nidecka subinde.*

*v.*117. *Et Sualma insignes adiens & Nersa Sicambros*

Substitue pro Sicambris, Menapios. Menapii enim cis Rhenum fuêre, non sicambri, quanquam Sicambrorum appellatio Geldris communi errore tribuitur.

Ut verò versus metrum staret, juxta Martialem, Menapi pro Menapiis dicendi, licet ille secundam corripiat, quod, quia vox Romanis fuit Barbara, non attendēdum, liberè igitur secunda, vel corripienda, vel producenda relinquitur, sicq; versus corrigendus.

Et Sualma insignes adiens & Nersa Menapos. vel:

Et Sualma invisens Menapos & Nersa propinquos.

*v.*132. *Rura paludosis semper possessa Sicambris*

Alienum à veritate historica, si Ruram Iuliacensem Ducatum irrigantem intelligis, igitur substitue: Rura paludosis semper possessa Menapis, vel: Rura paludosis Menapis habitata roratur.

De iis Cæs. 1. 6. belli Gallici: erant Menapii propinqui Eburonum finibus, perpetuis paludibus sylvisque munita.

*v.*133. *Illa suos olim patria de voce Gugernos*

Indigenas dixit, tanquam quos nomen equorum,

Illa scil. Iulia dixit Gugernos indigenas suos, scil. in quadam parte, ubi 4 oppida, **Bruggen/ Dalen/ Blabbeck/ Wasserberg** & his similia: cætera pars ad Eburones pertinet. Synecdochicè igitur intelligenda poëtæ verba. Sed Gugernorum nomen ortū sub Augusto, ubi Sicambrorum nonnulla pars captiva cis Rhenum è Germanico solo ducta inque Menapiorum agris collocata per Tiber. sicq; Sicambrorum & Menapiorū nomen isto quidem tractu sub Gugleno appellatione coaluit. Opinio de etymo Gugernorum poëtæ relinquatur, quod ex Tacito narratur, de Gugernis intelligendum, qui societatem Civilis acceperant, eodem auctore testante, lib. Historiarum 4.

DE

De Juliæ Comitibus, Marchionibus & Ducibus, Sectionibus duabus explicatis.

SECTIO PRIMA,

De Iuliæ Comitibus.

DE origene & progreſſu Principum Juliorum ita variant authores, ut vix duo ſint, qui inter ſe conſentiant.

Cauſa autem hujus rei eſt, quod ſicut Agamemnonis majores, viri fortes, ut Horatius ait, vate ſacro carentes, omnes illachrymabiles longaque nocte ſepulti jacent, ſic etiam Iulii Principes, antiquitus Chronologis ſuis deſtituti, res ab ipſis geſtas, vel nulli, vel pauci; & non niſi obiter quatenus ad propoſitum ſuum ſingulare faciebat, in literas miſerunt. Hinc primum Juliorum Comitem Munſterus Hermannum, alii Conradum vocant. Erneſtus Brocthuſius, & ex eo Adelarius Erichius in Chronico ſuo Iulio à Conrado Franconiæ Duce, P. Merleus Cradepolius à neſcio quo Ottone origenem eorum deducunt. Alii denique ab Euſtochio demum Bulionæo Godefridi regis Hieroſolymitani fratre incipiunt. Ut Chronicon Carionis à Phil. Melanchtone, & C. Peucero auctum, cum tamen ducentis propemodum annis Iulii Principes hunc ſuperent.

Horat. l. 4 Oda 9.

Ut verò genuinum eorum ortum, atq; ſeriem indagemus, primo omnium ex antiqua noſtra Iulia repetēdum, Juliam provinciā oræ Gallicæ partem, ſub Imperio Romanorum, ſicut appellatio nominis à Iulio Cæſare derivata, ſatis indicat, tantiſper fuiſſe, donec Franci Romanis ejectis hic rerum potiti ſunt. Quod inprimis ſub Clodovæo Magno contigit; qui ex regibus Francorum Chriſti ſacra primus amplexus eſt. Poſt illum Attila Hunnorum Dux Iuliam aliaſque Provincias finitimas vaſtavit. Imperio autem Francico in 4. membra diviſo, Iulia Auſtraſiæ ſubfuit. Cum autem Ludovico ejus nominis IV. Arnulphi filio ex proſapia Caroli Magni regum Francorum ultimo defuncto Imperium Romanum à Francis ad Germanor. anno 912 tranſiret, Iulia ad eoſdem acceſſit: inprimis cum Henricus Saxo, dictus Auceps, qui Conradum Francorum Ducem octennium tantum diademate potitum in Imperio anno 920 ſecutus cum Roberto rege Francorum Hugonis Capeti Comitis Pariſienſis filio ad Ruram Occidentalem in Saxonia & VVeſtphalia ſitam, Otto verò ejus filius cum Carolo, ut Lotharingiam in Ducatum mutatam, jure fiduciæ ab Imperio acciperet, tranſegiſſent. Sic igitur Iulia Romani imperii Provincia primum præfectis ab Impp. gubernanda tradita: poſtea ab iiſdem Comitibus, ob fida ſibi imperioque præſtita obſequia, in hæreditatis ſucceſſionem conceſſa eſt.

Paulus Æmilius in Ann. Frāc.

Franc. Irenicus in Exegeſi Germaniæ.

Sed

Sed quia hæc omnia suprà in antiqua Iuliâ satis superque demonstrata sunt, ut justam Comitum Iuliorum originem atque seriem habeamus, Archiva, inque iis literæ authenticæ, in quibus eorum mentio & testimonium, cùm Ludorum nobilitatis Germanicæ Equestrium, quibus præsentes quoque multi fuerunt, Catalogo, nobis lustranda veniunt.

Primi igitur Iuliaci Comitis Gerhardi mentio est apud Georgium Sabinum, in rebus gestis Cæsarum Germanicorum ex variis monumentis collectis & carmine descriptis, quando eum anno 912 ludum Equestrem nobilitatis Germanicæ Magdeburgi, sive Parthenopoli habitum, frequentasse scribit: Ernestus quoque Broethusius in historia prælii Mattiſburgici eundem commemorat. Et quod Henrico primo Aucupi Imp. cum Conrado Franconiæ Duce contra Hunnos anno 933 militarit, narrat. Idem author vult Gerhardum quoque hunc ludo Equestri Gothopoli anno eodem & biennio post Parthenopoli cum Arnoldo, ejus nominis primo Clivorum Comite in ordine 12. Hermanno Ravensburgio, & Reinhero Zuitphæno interfuisse: de hoc igitur ita Petrus à Streithagen in Tetrastichis suis, quos ut in Clivorum principes ita in Iulios quoque & Montanos scitè admodum adornavit:

Postquam Lotharici defecit gloria regni,
Interque angustos est revocata sinus.
Gerhardus Patriis propriis quoque dotibus ingens,
Iuliacum Comitis nomine rexit agrum.

Porro VVilhelmum Juliaci comitum secundum, Gerhardi autem primi filium, sub Ottone primo Henrici Aucupis filio Imp. circa annum Domini 940 vixisse, filiosque Gerhardum successorem, VVazonem Leodiensium antistitum in ordine 23. anno 1043 electum, & Wenzonem Abbatem Florinensem ex uxore Sueva genuisse, Annales Iuliani ex Johannis Placentini Catalogo Episcoporum Leodiensium tradunt: de quo Streithagenus:

Perpetui primus factus successor honoris,
Exiguâ famâ notus in orbe micat.
Quippe illum à multis deducta silentia saclis,
Immemorem longâ constituere morâ.

Gerhardi ejus nominis secundi Juliaci comitis in ordine 3. sub Henrico secundo dicto Claudo, & sancto Imperatore, cum Hermanno & Adolpho comitibus, Vbiis & Montanis Advocatis Tuitiensibus, seu Divitensibus anno 1003 mentio fit in diplomate, quo Heribertus Episcopus Colonienſis monasterio, Tuitiensi decimas Regiomagias attribuit: Eschwieleriam, item Arviclerium & Pierium pagos prædiaque in Mesrheim, Stockheim & Gutterswich largitus est: Idem in ejusdem Heriberti literis, quibus anno 1009 Tuitio à se inaugurato Zundorphium attribuit, nominatur: eundem ex uxore VVilhelmum successorem edidisse, Annales Iuliani perhibent: de quo Streithagenus

Igna-

Ignavo pariter torpesceret obrutus ævo,
Ni facerent priscâ scripta notata manu
Hæc per-in-antiquis chartis manet usque superstes,
Quas Divitensi servat in æde chorus.

Alterius quoque Iuliaci Comitis nomine VValerami sive Eubuli, qui aliis dicitur Valerianus, Munsterus meminit, in Cosmographia sua pag 1054, quem ludo Equestri Trevirensi sexto cum Thodorico Clivorum comite ejus nominis secundo, in ordine verò 15. interfuisse ait: an verò Gerhardi filius vel frater fuerit, non constat: Ideoque Streithagenus,

Multa licet jaceant annorum adoperta tenebris,
Et dubium spargant tempora prisca jubar.
Si tamen à ludo quisquam est memorandus Equestri,
In procerum numero pars quotacunque fuit.

VVilhelmus ejus nominis secundus, Gerhardi filius Iuliorum comitum in ordine quintus, Henrico tertio, Conradi Saliqui filio Imp. patrocinatus eum à correctione Frisonum revertentem an. 1050 à Godefrido Barbato, Brabantiæ & Lotharingiæ Duce, atque Balduino Flandriæ comite Insulano Neomagi obsessum cum Theodorico II. Clivorum comite, dicto Volante asseruit: idem cõtra vota Hildebrandi Pontificis Romani, Henrico quarto Imperatori Henrici tertii filio patrocinatus est. Ex uxore Hannonia Gerhardum successorem reliquit: de VVilhelmo patre ita Streithagenus.

Cæsaream causam constanti pectore fovit,
Pontificis contra jussa verenda pii.
Hinc nisi si deceat, Capiti succurrere membra,
Ambigua poterat laudis inire notam.

Gerhardus ejus nominis tertius, Juliaci comitum in ordine sextus, longè à suo genitore alius, Henrico quinto Imperatori authoritate Pontificiâ subnixo contra patrem Henricum quartum, cum Friderico Episcopo Colonienſi adhæsit, qui Pontifice & filio bello superatis, Gerhardo capto, Juliacum rapinis, & incendiis de populatus est: ut propterea Streithagenus sic de eo canat:

A patre diversus Romanæ sedis amore,
In partes abiit, religione sacras.
Verum infelici tentavit prælia fine,
Iuliacum cernens captus in igne suum.

Idem Gerhardus dimissus cum Lothario Saxone Cæsare, Henrici quinti successore anno 1125 electo, Italiam adiit, Iuliacumque ab eo recuperavit.

Ex uxore vero Seinensi VValeramum in juventutis flore extinctum, VVilhelmum successorem & Alexandrum in Episcopum Leodiensem anno 1129 juxta Ioh. Placentinum electum, & anno 1138 mortuum, Richardem denique Ottonis Geldri, & Margaretham Eberhardi Altenani, Comitum uxores suscepit.

VVilhelmus ejus nominis tertius, Iuliaci Comes in ordine septi-

mus, Conrado tertio Imperatori Lotharii Saxonis anno 1138 successori contra Catulor egregiam operam præstitit: Eidemque contra Saracenos ad bellum sacrum proficiscenti cum aliis comitibus prædicatione Bernhardi excitatis adfuit.

Ex uxore verò Hassa Gerhardum & VVilhelmum genuit, quorum in fundatione cœnobii Meerensis propè Novesium ordin præmonstratensi an. 1160. consecrati, itemq, in literis authenticisi an. 1166, & 1185 mentio; de patre Wilhelmo ita Streithagenus:

Augusto nimium credens sua limite claudi,
Facta, peregrino quæsiit orbe decus.
Vnde & Conradum contra Saracena secutus
Signa suo semper robore clarus agit.

Gerhardus ejus nominis quartus Iuliaci Comes in ordine octavus, Friderico primo Imperatori dicto Barbarossæ post Conradum anno 1152 diademate potito charus fuit, in antiquis schedis Castrorum Dominus appellatus; eidem Imperatori in expeditione Mediolanensi, & correctione Henrici Leonis Saxoniæ *Ducis* superbissimi anno 1174 instituta, adfuit: Gerhardum etiam Geldrorum Comitem pro Velavia, adversus Balduinum Hollandum Episcopum Ultrajectinum decertantem adjuvit: Fridericum tandem Barbarossam in bellum sacrum, anno 1180 proficiscentem, comitatus, ubi eo occubuisset, & post obitum filii Henrici sexti, anno 1197 in Apulia similiter defunctus, de imperio Philippus Henrici sexti filius, cum Ottone Saxone anno 1198 contenderent, primum Ottoni, instinctu Innocentii Papæ, ab Adolpho Altenano Archimysta Col. persuasus adhæsit, sed Philippo auro & argento prævalente, deficiente Episcopo, ipse quoque partibus Philippi accessit ab eoque opimum prædium impetravit.

Ex conjuge Schowenburgica VVilhelmum IV. successorem, & Gerhardum, quorum in literis Friderici II. Imp. anno 1237 mentio, edidit. Obiit anno 1218, de quo Streithagenus:

Imperii proceres inter suffragia cessit,
Cum Leo de patria pulsus abivit agris.
Quin & odoriferas Libani comitatus ad oras,
Magnanimo subiit digna pericla Duce.
Imperio fessus Suevo cum Cæsare fecit.
Proque dato auxilio commoda multa tulit.

VVilhelmus ejus nominis quartus Iuliaci Comes in ordine nonus, anno 1218 post patrem præesse cœpit: ante obitum tamen ejus cum Adolpho Montano anno 1211 contra VValdenses & Albigenses profectus, anno eodem quo pater obiit, cum eodem Adolpho Montano alliisque Principibus Christianis Syriam adiit, & Damiatæ recuperationi interfuit: quò etiam in literis Monasterii Vilicensis testis citatur, anno scilicet 1218. Anno 1226 Henricum à Molenarck, Archiepiscopum Col. in correctione Friderici Isenburgici parricidæ antecessoris sui Engelberti Montani adjuvit.

Anno 1233 contra Stadingos hæreticos decertavit.

Anno

Anno 1235 Ludo Equestri Herbipolitano à Franconicâ Nobilitate celebrato interfuit. Anno 1237 Friderico Imp. contra Papam adhæsit, ob multa adulteria malè audit. Et sicut vixit fœdè ita quoque mortuus est, in sinu nempe nobilis fœminæ à se raptæ. Ante mortem tamen, Cæsario Monacho Heisterbacensi lib. 12. Dialogorum cap. 5. teste, Melodiâ Angelicâ ad pœnitentiam revocatus, quam Engelbertus Montanus tum adhuc præpositus summi templi Colonienſis postea autem Episcopus percipere non potuerit.

Ex uxore Lossensi VVilhelmum quintum successorem, & VValeramum, quorum in literis authenticis anno 1250 & anno 1263 mentio, sustulit: de quo Streithagenus:

Si qua sacris Scriptis, ut constat, ratio habenda,
Nec cadit in sanctum fraus ve dolusve virum,
Impuram infausto concluſit funere vitam,
Et nunc in Stygiis heu dolor aret aquis.
Et tamen occiso crudeli cæde nepotis,
Mystæ, ad inferias adfuit enſe sacras.

VVilhelmus ejus nominis quintus, Juliaci Comes in ordine decimus, anno 1247 patri successit, & sub Friderico II. ejusque filio Conrado IV. itemque post varios Imperii rivales Rudolpho primo Habsburgico Impp. præfuit. Uxorem habuit Walerami Ducis Limburgici filiam: ex qua VVilhelmum, VValeramum & Gerhardum filios cum Peronetta filiâ Ludovico Arisburgico desponsata, matre Mechtildis Engelberti Marcani, ejus nominis secundi conjugis suscepit. Friderico autem Imp. patrocinatus primus Nemoris Comes, anno 1237 ab eo appellatus. Anno etiam 1269 Advocatus Aquensis salutatus est, Durenam denique pro 15 mille florenorum pignore impetravit. In ejus imperium bella Reipublicæ Colonienſis & Aquensis inciderunt.

Mortuo enim anno 1237 Henrico Molenarcka Archiepiscopo Colonienſe Conradus Hochstedenus, Lotharii & Mechtildis filius, qui illi succeſſit, sibi cum Germania bello civili arderet, advigilandum ratus, dum Innocentii tertii Pontificis Romani authoritate niteretur, ab eo non tantum potestatem Regem Romanum Aquis à se & successoribus Episcopis Colonienſibus inaugurandi, anno 1240 impetravit, sed etiam jus cudendæ monetæ ad se solum derivare nisus est. Et hic ille Episcopus est, qui non tantum Dynastiam suam Ecclesiæ Colonienſi consignavit, sed etiam templum majus cathedrale anno 1248 moliri cæpit.

Respublica autem Colonienſis, idcirco Episcopo adversatus, cum nonnisi ob Pallium citra Alpes Romam profectum & acceptum ab Imperatore confirmatum admittere voluit.

In hac controversia VVilhelmus Juliacus Archiepiscopo addictus nomine ipsius Coloniam obsidione cinxit, & Imperatori Friderico II. in omnibus fidelis 3. Cal. Decembr. anno 1241 cum Johanne prætore VVilhelmo Advocato, Scabinis & universa urbe

Aquensi de nullo alio quàm Friderico II. ejusque filio Conrado rege agnoscendo fœderi junctus est.

Anno 1258 Conradus Hocstedenus Episcopus ab Hermanno à Vitinchofen persuasus obsidionem quidem solvit, simultatum verò semina inter Magistratum, & cives ejusdem Vitinchofii consilio sparsit, & primo quidem civibus speciosis immunitatum promissis inescatis Magistratu antiquo abolito novum substituit, honestioris etiam animi cives libertatis amissæ recuperandæ studiosos, biennio ante mortem captivos in arcem Airam abduci jussit, & sic totam Rempublicam liberam sub potestatem suam misit. Ejus successor Engelbertus Falckenburgicus anno 1261 factus, id continuavit: & 8. Junii anno 1262 clavibus urbis in suam potestatem redactis, ad exemplum Præsulis Moguntini castra bina, quibus cives compesceret, utpote Beyense & alterum in muris prope turrim Cuniberti struxit, novasque exactiones civibus imposuit. Hi ergo iterum commoti omnibus castris expugnatis, Beyensi vero solo in memoriam victoriæ relicto, in libertatem amissam se postliminio asseruerunt.

Tandem opera hujus nostri VVilhelmi Juliaci Comitis, sicut etiam Henrici Geldri Episcopi Leodiensis, ejusque fratris Ottonis Geldriæ Comitum, Hermanni denique Vitinchofii, pax inita. civibus sex mille marcas argenti Episcopo pendentibus.

Hujus tamen conditiones Archiepiscopus non ritè servavit: nam Hermannum Grynæum consulem ad convivium vocatum, Leoni objecit, qui pallio suo, ori ejus ingesto, pugione necatus, duos vicissim Canonicos summi templi in porta Papiensi ob id suspendit anno 1262. Cum verò sic parum proficeret à Papa Clemente IV. banni litteris impetratis, cives ex improviso per insidias cum fratre Theodorico obruere cogitans, cum eodem captus, intercessione vicini Episcopi Leodiensis Henrici Geldri, ejus fratris Ottonis Geldriæ, & Engelberti Marchiæ Comitum dimissus est. Anno vicissim 1266 cum Primatibus per duos Monachos contra cives conspiravit. unde iterum funestus animorum concursus exortus est, donec enervati cives vicinis quatuor Comitibus, Ottoni Geldro, VVilhelmo nostro Iulio, & Adolpho Montano, atque Catto civitatem concrederent, quod propter VVilhelmus noster deserto Archiepiscopo urbi adhæsit. Quo ipso adeò commotus Engelbertus Archiepiscopus, ut ditionem Iuliam invaderet, & Zintzigiam ejus expugnârit. VVilhelmus contra ope Ottonis Geldri, Engelbertum vicissim adortus, primò quidem succubuit, deinde pugnâ restauratâ victoriam de Archiepiscopo inter Tulpetum & Lechenichium vicos, insignem ac memorabilem reportavit, ipso die Luciæ anno 1267. Archiepiscopo cum Theodorico Clivio captis, & Nideccam abductis. Ex quibus hunc tamen, datâ in matrimonium suâ gnatâ Elisabetha, ejus filio Gerhardo Castrensi Domino dimisit, Archiepiscopum verò in arce Nideccia tribus annis cum dimidio captivum detinuit. Ex illo tempore per

quatuor

quatuor annos urbs Colonienſis banno condemnata vixit: & quamvis anno 1270, die 14 poſt ferias Paſchales conſilio Theodorici Clivii per Albertum M. Epiſcopum Ratiſponenſem hac lege ut urbi privilegia ſalva manerent, pax publicata fuerit, Epiſcopus tamen anno 1272 mortuus, cives à banno abſolvere noluit. Succeſſor ejus Siegfridus V Veſterburgius eodem banno conſtrictam urbem tenuit, imò ut Anteceſſoris ſui carceres ulciſceretur, ubi anno 1278 V Vilhelmus noſter cum filio primogenito V Vilhelmo, & duobus filiis naturalibus Aquiſgranum armatâ manu intraſſet, iique à civibus in furorem actis 16 Martii occiſi eſſent, ob id Miſſam feſtivam de S. Petro (cujus initium: Nunc ſcio verè quod miſit Dominus Angelum ſuum, & liberavit me de ore Leonis) cecinit; deinde Iuliacum obſedit, & antequam illud caperetur, cum militaribus V Vilhelmi copiis conflixit, victoriam conſecutus, totum Comitatum, Nidecciano & Hambochio caſtris exceptis, ſibi ſubjecit, Juliaque arce ſolo æquatâ, aliam ad Tulpetum poſuit; Provinciæ ereptæ partem poſtea V Valramus & Gerhardus filii ſuperſtites ope Comitis Loſſenſis concordiâ initâ receperunt, donec in pugna V Vorringenſi Reinholdo Geldro à Ioanne Brabantiæ Duce cum Adolpho Naſſovio, Siegfrido verò Epiſcopo ab Adolpho Montium Comite captis, non tantum ope Ioannis Brabantiæ Ducis tota regio, anno 1288. ad filios rediit, ſed etiam Caſtrum Tulpetum deſtructum, & oppidum Lechnichium, à Comite Iuliacenſi, & Eberhardi Marcani (qui Rodenburgum interea obſedit, & expugnavit) filio Arnburgi Domino cinctum, & deditum eſt; Iuliacenſes etiam cum Marcanis contra Colonienſes, in villa nemore prælio commiſſo Victores abierunt. Archiepiſcopus Siegfridus V Veſterburgius cum poſt ſeptennalem carcerem pro redemptione conſenſu Capituli ditionem Benſbergiam, cum Duſſeldorpiana aliiſque pagis & caſtris ultra Sigeburgum ſolveret, & banno urbem liberaret, dimiſſus eſt, qui tamen ſtatim contra fidem datam Adolphum Montanum, per ſuos dolo iterum comprehendi juſſit, neque vinculis, in quibus anno 1295 mortuus & Greveradiæ tumulatus, eum liberari voluit, pecuniam licet, & reliqua omnia Archiepiſcopo reſtituere paratus eſſet.

In hanc Colononienſem controverſiam, altera quoque Aquiſgranenſis incidit, quam quia V Vilhelmum noſtrum etiam concernit, breviter attexemus. Nam cum Richardus Rom. Rex ſedem Regiam Aquenſem, anno 1269 ei obligaſſet, ut ſupra diximus, hic judicio tanquam Advocatus & Præfectus urbis præſedit, & præterea anno 1276 in Nemus Sapulienſe tanquam ab eodem Richardo ſibi datum juriſdictionem exercuit, quod tamen à Rudolpho I. Imp. pro 700 marcis tantum ei obligatum erat. Aquenſes igitur cum Siegfrido Weſterburgio Ubiorum Archimyſta, adverſus quem etiam Ubiopolitanis contra ſe inſurgentibus, conſilio Wilhelmus adfuerat, fœdus inierunt; his ut occurreret, cum ad expeditionem Bohemicam, contra regem Ottocarum juſſu Rudolphi

Habſburgici Imp. ſibi impoſitam ſe accingeret, eumque in uſum pecuniam ab Imp. civibus impoſitam exigeret, filio primogenito VVilhelmo, & duobus filiis naturalibus, aliiſque Comitibus ſtipatus inſuper 472 equeſtris ordinis viris ipſâ memoriâ Heriberti Epiſcopi profeſto B. Gertrudis, inclinatâ jam die ſub nonam veſpertinam anno 1278. 16 Martii de improviſo Aquenſem urbem ſpe eâ potiundi intrat, ſed à civibus ad arma provolantibus, occluſis portis, & diſruptis parietibus circumventus, è regione Monaſterii, quod Albarum virginum nunc vocant, ubi etiam rei geſtæ monumentum Saxeum viſitur, à Lanio, & ut quidam volunt, fabri ferrarii malleo miſerè unà cum filio trucidatur, unde verſus:

Enſes Granenſes ſenſerunt Iuliacenſes
Gentes elatæ, Gertrudis nocte Beatæ,
Mille trecentis quater ſex hinc modò demptis

Chronicon verò Gemblacenſe ita exprimit:

Anno milleno bis centeno heptaque duodeno.

Waleramus verò Falcomontius paternis cautus periculis, Theodori ſcilicet, Engelberti Archiepiſcopi fratris, qui ſimili caſu à Colonienſibus interfectus fuerat, ſaniore uſus conſilio, cum cæteris introitum diſſuadere non poſſet, macellum cum eis intrare conſtanter recuſans, retroceſſit. Poſtquam cladem Siegfridus Colonienſis Metropolites tum ob illata ſibi damna, tum pacto fœderi cum Aquenſibus facturus ſatis, Ditionem Iuliacenſem invadit, Duram & Juliacum, everſo fnnditus, quod ibi, Caſtro, expugnat, univerſaque propemodum oppida præter Nideccam, & arcem Hambochiam ſuæ poteſtatis fecit, eoque magis in Juliacos deſeviit, quo injuriam Engelberto Falcomontio prædeceſſori trium & dimidii annorum captivitate illatam vindicaret.

Anno 1278, Joannes Dux Brabantiæ, & Guido Flandriæ Comes cædem ulturi, Aquiſgranum magno exercitu obſident, ſed tandem re infecta diſcedunt. Archiepiſcopus igitur Colonienſis oppidum Durenum, & multa alia Caſtella eripit: Dux verò Limburgenſis cognati ſui injurias ulturus, viciſſim in ditiones Epiſcopi involat, & eum, ut erepta reſtituat, cogit. Poſtremò Martino IV. Papa interveniente, non tantum concordia inita, & omnia dominia, caſtra & oppida ab Archiepiſcopo reſtituta, ſed cum vidua quoque VVilhelmi anno 1280 vigiliâ D. Matthæi, ejuſdemque tribus filiis VValramo Præpoſito Aquenſi Ottone Trajectenſium præpoſito, & Gerhardo, conſiliis Siegfridi Archiepiſcopi, Joannis Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, Aquenſes numeratis ei 15 marcarum denariorum millibus, qui vulgariter Anglici Brabantini dicebantur (12 ſolidis pro quavis marca computatis) & quatuor altaribus, uno in albarum Cœnobialium monaſterio, altero Portzenſi templo, & duobus in urbe Nideccienſi in ſolatium animæ defuncti Comitis erectis, ſinguliſque decem marcarum Sterlingiorum proventibus dotatis, reconciliati ſunt. Trieth. in Chron. Hirſ. addit tertiam partem oblationum in Eccleſia B. Mariæ

riæ virginis ex devotione peregrinorum, vel undecunque cedentium cum præpositura Aquensi addita fuisse. De eo ita Streithagenus:

Bello pace bonus nimium, sed partibus hærens,
In sanctos Domini protulit usque manus.
Non impunè tamen: commotis civibus olim
Granensi jacuit cæsus in urbe miser.

VValeramus VVilhelmi V. filius patre & fratre VVilhelmo anno 1278 Aquisgrani occisis sub Adolpho Nassovio & Alberto Austrio Impp. Comes Juliæ ex proposito Aquensi ædis Marianæ factus in ordine 11. Guidonis Flandriæ Comitis filiam uxorem habuit, qui præter ditionem avitam suppetiis Ioannis Brabantiæ Ducis recuperatam, etiam eidem Iohanni Duci Brabantino, & Adolpho Montano anno 1288 contra Siegfridum Westerburgium Archiepiscopum Colonienſem, & Reinholdum Geldriæ Comitem in proclio Worringensi sustragatus, anno 1292 capto Episcopo cum Eberhardo Marcano Westphaliam & Angrivariam vastavit.

Idem anno 1301 Eberhardo Marcano contra Wiegboldum Holtenum Archiepiscopum Colonienſem, qui Siegfrido VVesterburgio succeſſit, adjumento fuit. Castra enim ille Lechenichium, Hovestadium & Rodenburgium verò, Eberhardus Marcanus obsederunt. Hujus etiam filius primogenitus Engelbertus Waleramo in pugna nemoris Villani adfuit, in qua victoriâ insigni contra Colonienſes potitus est. Belli motu & metu sedato, animisque Ducum reconciliatis ab Archiepiscopo Tulpetum Waleramus emit, quod postea tamen Cono Falckensteinius Archipræsul Trev. Colonienſis administrator redemit.

Advocatiæ autem seu præfecturæ Aquensis, quæ antea Ioanni Duci Brabantiæ collata fuerat, anno 1292 Adolphus Nassovius Imp. VValramo huic pro pecunia, quâ eidem obligata erat redimendi potestatem fecit, eodemq; anno, mense septemb. pro 1300 marcis plenè gubernandam commisit, eidem Ioannes Dux Brabantinus Villicaturæ redimendi potestatem idem Adolphus Nassovius anno 1297 concessit. Atque sic libera & Imperialis civitas Aquensis, quæ prius citra ullum medium Cæsaream Majestatem attingebat, deinceps tutelæ & patrocinii nomine Comitibus & Ducibus Juliæ fuit obstricta.

Filium habuit Wilhelmum VI. dictum Bello-Clericum, Comitem Iuliaci in ordine 12. ..... qui primum præpositus S. Servatii Trajecti ad Mosam factus, mortuo anno 1302 Wiegboldo Holteno cum Henrico Vierneburgio, & Reinholdo VVesterburgio in electione concurrit, ipse tamen favore Bonifacii VIII. Papæ Colonienſis Archiepiscopus factus, sed sago magis quam togâ aptior, nepotibus Ioanni Guidoni, & Henrico Flandris adversus Philippum Galliæ regem, cum injurias ab hoc avo materno trium horum patri Guidoni illatas concoquere non posset, à Brugensibus accitus, & bello præfectus, relictâ Ecclesiâ, pugnæ Flandricæ

Meierus in Annalib. Flandriæ fol. 86.

anno 1297 præfuit, & apud Furnas captus est. Postea in anno comitatus quatto, Christi 1304 sine uxore & liberis decessit, eiq; Patruus Gerhardus V. Wilhelmi V. filiorum tertius Castrensis Dominus sub Alberto Austriaco Henrico VII. Lutzenburgio, & Henrico IV. Bavaro Imperatoribus, atque in diplomate ab Alberto civitati Duisburgensi, anno 1296 concesso cum Theodorico Clivio, & Wilhelmo Montano testis succesſit Iuliæ Comes in ordine 13. & ultimus, qui ex Elisabetha Clivensi Wilhelmum Waleramum, & Godefridum Dominum in Bercheim testes in literis Adolphi Marcani Episcopi Leod. anno 1329 ejusdemque in bello contra cives gesto anno 1321 cum Reinholdo Geldro, Adolpho Montano, Engelberto Marcano suffragatores genuit VValeramus in Academia Parisiensi & Aureliacensi in eruditâ pietate institutus, gradumque Baccalaureatus & Licentiatus nactus ex præposito Leodiensi anno 1331 post Henricum Vierneburgium circa festum Epiphaneias eodem anno mortuum Ioannis XXII. Pontificis Romani Avenionæ residentis, & fratris favore, & patrocinio, contra vota capituli Adolphum Marcanum Episcopum Leodiensem desiderantis, cum annorum esset 28. in Archiepiscopum Colonienſem promotus, sequentibus tamen annis fratrem adversum habuit. Tandem vigiliâ Assumptionis Mariæ, anno 1349 mortuus Coloniæ in summo templo inhumatur, pater Gerhardus an. 1301 castrum & oppidum Lechenichium nomine fratris Walerami suppetiis ab Engelberto Marcano Eberhardi filio 100 equitum submissis obsedit & cæpit.

Anno 1308 in Diocœsi Osnabr. à suis derelictus vulneratus est. Idem anno 1302. à Theodorico Falckoburgio præturæ Aquensis pignoris pro certa pecuniæ summa, qua patri Theodorici VValeramo obligata erat, redemptionem impetravit, eidem anno 1309. 13 Cal. Novemb. Coloniæ Albertus Imp. præfecturæ Aquensis redemptionem à Theodoro Falckenburgio, qui à Waleramo patre, cui etiam obligata fuerat, ut jam dictum, acceperat, & anno 1305, libras Ital. 1400 priori æri addiderat, Reinholdus vero Falckenburgius, anno 1306. 6. Cal. Augusti 400 marcas auri Francofurti adjecerat, confirmavit.

Quia verò ob eandem præfecturam cives Aquenses cum Gerhardo hoc nostro Iulio, & Reinholdo Falckenburgio dissidebant, in partes principum tractus Abbas D. Cornelii ad Indam an. 1310 ab Aquensibus cum Monasterio exspoliatus, plerisque cœnobitis extinctis ipsum claustrum incineratum fuit; tandem jussu Henrici VII. Imp. Henricus Vierneburgius Archiepiscopus Col. & Ioh. Brabantiæ Dux paciscuntur, iis mediis, ut Aquenses Comiti Iulio, & Domino Falckenburgio multam solverent, defunctorum manibus parentarent, ipsum denique cœnobium instaurarent.

Gerhardus autem noster Johanni Brabantiæ Duci contra Reinholdum Falcoburgium patrocinatus anno 1316 eum arce sua expulit, & in castrum Nideecium captivum abduxit, ab coq; ingentẽ

æris

æris ſummam extorſit, & poſtquam annis ſex & viginti Juliæ præfuiſſet, anno 1328 obiit.

De Waleramo ita Streithagenus:

Electus juvenis Mariana præſes in æde
Mox patris accepit frena regenda loco
Et ſimul extincti ſuffecit manibus aras
Hoc pius; at factis imperioque bonus.

De patruo verò ejus Gerhardo:

Caſtrorum è Domino Comitis dignatus honore
Belgarum coluit reque fideque Ducem.
Inſuper & Bavarum Regalem induxit in urbem
Cæſarei ut poſſet culmen adire throni.

SECTIO SECUNDA;

De Iuliæ Marchionibus, & Ducibus decem.

VVIlhelmus ejus nominis VII. Gerhardi filius, primus Juliæ Marchio à Ludovico Bavaro Francofurti Reinholdo Geldro in Ducem ..... tum quoque Theodorico Clivorum, & Adolpho Marcæ comitibus præſentibus anno 1339 factus, & non longè poſt nempè an. 1356 à Carolo IV. Imperat. Metis ejuſdem primus Dux ſalutatus eſt, ſub quibus Impp. duobus etiam vixit, & Johannam Wilhelmi III Hollandiæ & Hannoniæ Comitis filiam anno 1313 ductam uxorem habuit, ex qua Gerhardum Montium Comitem, de quo porrò in membro quarto, VVilhelmum ſucceſſorem, & filius Richardem Marcanam Engelberti III. conjugem, aliam Seinenſem Ioannam Wiedanam, & Philippam Godefrido Dalenbroichio Comiti Loſſenſi, & Heinſbergæ Domino nuptam ſuſcepit, quæ anno 1390, ipſa Bartholomæi, maritus verò ejus anno 1395 relicto ſucceſſore filio Joanne, exceſſerunt.

VVilhelmus autē Iuliæ primus Dux, de quo agimus an. 1327 vivente adhuc patre Ludovicum Bavarum Imp in Italiam à Gibellinis evocatum comitatus eſt: anno 1330 poſt triennium patre jam defuncto cum eodem ovante reverſus, jam dicto anno 16. Cal. Martii feuda Palatina in provincia ſua omnia ab Ottone, Comite Palatino primo hujus familiæ Electore accepit, deque iiſdem Iuliæ Dux an. 1356 Metis à Carolo IV. ſalutatus anno inſequenti 1357. 26 Ianuarii, Ruperto ſeniori Comiti Palatino, quod dignitas hæc fidelitatis homagii à ſe præſtiti neutiquam derogatura ſit, promiſit.

Anno 1331 Philippo Valeſio Franciæ regi, qui bellum contra Joannem tertium, Brabantiæ Ducem, propter ſuſceptum Robertum Atrebatenſem parabat, unà cum aliis principibus adhæſit.

Anno 1333 Ludovico Flandriæ Comiti propter Mechliniam, quam ab Adolpho Marcano Epiſcopo Col. coemerat, ſuffragatus, intempeſta

intempestâ hyeme Rodam fortissimam juxta aquas municipium expugnavit. Reinholdus Geldrus contra, ut Flandrensibus patrocinaretur Sittardum obsedit: sed obsidione soluta Trajectum postea, licet irrito quoque conatu aggressus est. Anno verò 1334 pace inter partes authoritate regis Franciæ confecta 30 millia florenorum ex contractu accepit.

Anno 1331 mortuo Henrico Vierneburgio Archiepiscopo Col. eodem anno Walramum fratrem ipso apud Lapam procurâte in locum ejus electum anno 1334 splendidissimo cum comitatu Coloniam deduxit, qui ibidem anno seq. 1335. Monasterium Carthusianorum eo ipso in loco, inquit Streithagenus, quo olim S. Severinus Bellartini animam in cœlum angelico cum concentu deportari viderat, ædificavit.

Ab hoc à Walramo Col. Archimysta, quia Ludovicus Bavarus Imp alienior erat, quod jussu Papæ Clementis VI. Carolum IV. Johannis Lutzenburgii Regis Bohemiæ filium, Henrici VII. *Imp.* nepotem, in regem Romanorum unxisset, frater quoque ejus Wilhelmus noster Iulius cum Marchiæ Arnsburgi & Waldecciæ Comitibus conjunctus contra illum insurrexit: à quibus VValramus superatus, ad Rhenobergam bellum instauravit, sed denuo multitudine victus, palmamque cædere coactus, post prostratum exercitum Parisios in Galliam fugit; ubi anno 1349 mortuo, Wilhelmus à Gennep in præsulatu successit.

Anno 1336 Godofrido fratri mortuo VVilhelmus noster in Dynastia Burcheimia successit Eodem anno 1336 cum prius Ludo Equestri Ingelheimii interfuisset, primus nemoris Comes appellatus. Anno 1337 à Ludovico Bavaro ad Benedictum XII. Pontificem legatus, cum Roberto nepote Adolphi Montium Ducis filio Avenionem destinatus est: Et postquam redux factus, eundemque iterum Romam comitatus esset, anno sequente 1338 in comitiis Francofurtanis in Marchionem evectus est: licet alii id in annum seq. 1339 rejiciant: quo etiam Reinholdus ejus nominis II. Comes Geldriæ nonus in Ducem præsentibus Philippo Pulchro Galliarum, & Eduardo Anglorum regibus, avunculo & socero, evectus est.

An. eodem 1338 inter Philippum Valesium Franciæ, ac Eduardum III. Angliæ, reges Imperii rivales, sua potissimum operâ, Eduardum Vicarium Imperii declarari procuravit.

Anno 1339 Hannoniam cum eodem Eduardo Anglo ingressus, Cameracum & Hanecourtium obsedit.

Et Anno 1340 ab ipso quoque arbiter pacis cum Gallo inundæ constitutus est.

Anno 1342 collegium Canonicorum ex pago Stommelensi auctoritate fratris Walrami Episcopi Col. una cum corpore D. Christinæ, ut putat Streithagenus, Nidecciam transportavit.

Anno 1343 ab eodem Eduardo Anglo affine (duas enim Sorores Wilhelmi III. Hollandiæ & Seelandiæ Comitis filias, duxerant) Comi-

Comitatum Cantabrigenſem in Anglia dono accepit, quamvis literæ antiquæ eum titulum non præferant.

Eodem anno inter Adolphum Marcanum & VValramum fratrem Archiepiſcopum Colonienſem unà cum Johanne Brabantiç Duce & Adolpho Montium Comite pacem conſtituit.

Anno 1347 oppignorationem variorum locorum, inprimis prçfecturæ Aquenſis à Carolo IV. Imp. accepit: hæc verò anno ſeq. 1348 ulteriores vires nacta, VVilhelmo noſtro poſt reditum ex Italia pro 10 mill. librarum Hallingenſium ulterius obligata Kerpenſis & VVerthinenſis præpoſiturarum collationis jure, oppidorum Durenſis, Zintzigiani & Regiomagi, Caſtrique Cæſarinſulani pignoribus additis: Ex his pignoribus caſtrum Sintzigianum, cum avito ſuo Nidecciano amplificavit: in hoc verò aulâ ampliſſima & ſplendida ſtructa reſedit.

Durenſe tamen oppidum antea Wilhelmo ejus nominis V. Juliæ Comiti à Friderico II. Imp. pro 50 mille fl. obligatum, hoc anno 1348 VVilhelmo noſtro, Marchioni & Duci ulterius oppignoratum & confirmatum eſt.

Anno 1350 Coronationi Caroli IV. Aquiſgrani interfuit, & cum Brandeburgico de loci prærogativâ diſputavit.

Annno, ut diximus 1356, Metis ab eodem Carolo in Ducum Imperii numerum cooptatus eſt: quo anno & Aurea Bulla ab Imp. pub icata, & frater VVenceſlaus Lutzenburgi comes Imperii Ducibus aſſidere juſſus eſt.

Anno 1357 inter ipſum & VValramum de Borne ob caſtrum & Dominium Falckenburgium controverſia exorta eſt.

Anno 1358 cum filiis caſtrum Butgenbachenſe obſedit: ſed ex iis Gerhardum primogenitum Montium Comitem, anno 1360 amiſit: cui idcirco anno 1361 mortuo VVilhelmus ſecundogenitus ſucceſſit: uxor anno 1374 in Februario maritum inſecuta.

De ipſo ita Streithagenus:

Altius aſſurgens ſenſim per limen honoris
Antiquos titulis exſuperavit avos.
Et quod promeruit Cydaris diadema Ducalis
In ſeram primus juſſit adire domum.

WILHELMUS, ejus nominis VIII. 2. Juliæ Dux, Falckenburgi comes, & Montis-Jovis Dynasta, Wilhelmi verò tertii, filii primogeniti Geldriæ Ducis, Tutor.

VVILHELMUS II. Juliæ Dux Carolo IV. & VVenceslao ejus filio Impp. vixit.

Uxorem habuit Mariam Reinholdi primi Geldriæ Ducis filiam secundogenitam.

Ex hac VVilhelmum & Reinholdum mutuos Patris successores: Johannam item à Johanne XIII. Herculeo ductam, vel potius raptam suscepit. Ex Johanna porro VVilhelmus ab Arohell. qui in pugna Gorcumiensi ab Hollandis interfectus est, & filia Maria Iohanni Egmundano nupta prodiit, Arnholdi Egmundani postmodum Geldriæ Ducis, Ioannis Comitis Egmundani & Wilhelmi Iselsteinii, & Baerensis Dynastæ, mater.

VVilhelmus verò noster Iulius Patri per mortem intempestivam fratris, anno 1361 succedens, anno 1362 tabulis pacis inter Patricios & plebem Lossensem erectis 3000 aureor. pro diligenti navatâ operâ dono accepit. Tulpetum quod VValramus Juliæ Comes emerat à Canone Treviro, Archiepiscopatus quoque Colonienſis nomine Engelberti Marcani administratore redemptum, eidem vicissim cessit. Anno 1366 Altare B. Mariæ virginis in oppido Castrensi fundavit, quod postmodum in arcem Iuliacensem anno 1569 à VVilhelmo Cliviæ Juliæ, Montium Duce translatum est.

Meier. in Annal. Flandr. Chron. Col. Chron. Brab.

Inter ipsum & Wenceslaum Lutzenburgi & Brabantiæ Ducem Caroli IV. Imp. fratrem Iohannæ Brabantinæ secundum maritum, anno 1371 in vigilia Bartholomæi ob Mercatores Brabantinos per agros Iulios iter facientes haud exiguo Ducis eorum despectu exspoliatos pecuniaque exutos magnum exarsit belli incendium: In quò Wenceslai castra Lambertus de Lespoy Magister militiæ Leodiensis Robertus & Ludovicus fratres Namurcenses & fani S. Pauli comites: VVilhelmi verò nostri partes Eduardus Geldriæ, & Wilhelmus primus Montium Duces secuti, in campestribus Baeswieleranis, acie congressi, incerto diu Marte conflictarunt, donec victoriâ ad VVilhelmum nostrum inclinante, utrimque plus quam 8 mill. hominum cæsis, Robertus Namurcensis inter cadavera prostratus à rustico Iulio Gallicæ linguæ ignaro occisus, Wenceslaus cum Petro Barrensi, Seranio Domino captus, & Nideccam à VVilhelmo abducti sunt: Ex ipsius verò asseclis, Eduardus Geldriæ Princeps, vel initio congressus, ut vult Divæus, vel ut alii, post conflictum ab Hermanno à **Leerſz**/proprio servo, cujus uxore abutebatur, vulneratus, triduo post occubuit.

Iohanna igitur Brabantiæ Domina, ut de mariti captivitate nuntium

nuncium accepit, Galliæ regis Caroli consilium secuta, Carolum IV. Cæsarem VVenceslai fratrem Confluentiæ, an. 1372 compellavit: qui ejus infortunio motus, VVilhelmum primum proscribit, deinde 11 Episcopis, 10 Ducibus totidemque Comitibus, 83 Baronibus, & mille Equestris dignitatis viris in arma vocatis, magnis in illum viribus movere decrevit, insignem, & tristem ibi agrorum vastitatem facturus, ni principum aliquot Electorum intercessione, qui mali putabant exempli socium Imperii sic oppressum iri, mitigatus fuisset. Aquisgrani enim circa festũ loh. Baptistæ corã adductus VVilhelmus Iulius, cum Wenceslaum Brab. etiam ultro ibi sisteret liberum, post acrem objurgationem Cæsari reconciliatus, & proscriptione liberatus, pro filiis verò VVilhelmo & Reinholdo Geldriã investitus est.

Anno eodem 1372 ipsa Gregorii idem VVilhelmus nomine filii primogeniti VVilhelmi minorennis, & 8 tantum annos nati Ducis Geldriæ in provincia Geldrica civibus omnibus privilegiis confirmatis inauguratus est: specialiter verò Gochensium bona ob damna in bellis civilibus perpessa, ab omni censu, tributo & exactionibus omnibusque terrestribus, & aqueis teloniis suis exemit, seque nullas ibi amplius portas constructurum, nec lectos civibus quoque in usum suum ablaturum promisit.

Anno 1371 eodem Engelbertum Marcanum, Adolphi & Margarethæ Cliviæ filium primogenitum, cui Eduardus Geldriæ Dux pro fideli adversus fratrem Reinholdum navata opera Limersiam anno 1361 in pignus tradiderat, hoc tempore 5000 florenis annuis ex eadem Limersia assignatis, vasallum suum constituit: & Adolpho quoque eius fratri Comiti Clivio pro 38 millibus scutatorum Embricam cum insulis adjacentibus oppignoravit.

Anno 1375 fœdus ad avertenda latrocinia, quæ passim fiebant cum variis principibus percussit.

Anno 1376 in coronatione VVenceslai Caroli IV. filii primogeniti, & Iohanne Alberti Bavari Hollandiæ & Hannoniæ Comitis filiæ Imperatricis mense Iulio Aquisgrani per Fridericum Saerwerdanum Archiepiscopum Col. factã, cum Wenceslaus Brabantiæ Dux, VVenceslai regis patruus ensem prægestare Cæsareæ Majestati vellet, idemque jus Elector Dux Saxoniæ sibi vendicaret, pene ad amica Marti signa conclamatum fuisset, rege VVenceslao nepote Alberto Bavaro, VVilhelmo hoc nostro Iulio ipsaque urbe Aquense, VVenceslao Brabantino, Electoribus verò inprimis Ecclesiasticis Saxoni patrocinantibus, quæ tamen Caroli IV. Cæsaris prudentia composuit.

Anno 1377 ipsa Luciæ filius ejus VVilhelmus, 14 annorum juvenis in Geldriam sibi ob matrem debitam introductus, & à civibus privilegiis eorum confirmatis inauguratus est: præsentibus ex consilio Iulio: Frambach/Marschalco Biergel/Daniele ab Eprmich/Ioanne ab Harmen. Ex Geldriâ verò, Sandero à Rossum/ VVilhelmo à Bruchhusen / Ioanne à Hessel / Henrico van der

Straeten/ Equestris dignitatis viris: præposito Zutphanensi, Henrici de Wichtrade/ VVilhelmo de Steinbergen/ itidem antiquæ nobilitatis viris.

Anno 1378 oborto in Ecclesia Leodiensi schismate, negotio huic VVilhelmus noster se immiscuit. verum irritatus insolentiâ Brabantini brevi post domum reversus est.

Anno 1379 Mercurii post divisionem Apostolorum civibus Gochensibus appellationem Geldriensem in Ruremundanam convertit, & iisdem VVenceslaum Brabantiæ Ducem à se captum nonnisi privilegiis ipsorum in teloniis confirmatis dimissum professus est.

Anno 1380 ad coronationem Caroli VI. Galliarum regis, cum filio evocatus est.

Anno 1381 bello Marcano inter Engelbertum Comitem, & Fridericum Saerwerdanum Archiepiscopum Col. inito, interfuit.

Anno 1388 cum Leodienses exercitu 40 millium ob cives eorum Mercatores aliquot bonis exutos in terram Iuliacensem irruerent, ægrè admodum datis nobilissimis quibusque obsidibus cum iisdem transegit.

Anno 1388 etiam VVilhelmum filium jam tum Geldriæ Ducem, & propter Graviam bellum cum Iohanna Brabantinâ gerentem primo adjuvit. deinde Carolo Galliæ regi, qui consanguineæ, filii denuntiatione superbâ irritatiori factæ in subsidium adventabat, eum reconciliavit. de quo in filio plura.

Anno 1392 relicto successore filio primogenito VVilhelmo ex hac vita abiit: quem Maria Geldrica conjunx anno 1397 insecuta est. De VVilhelmo ita Streithagenus:

Fratre prius rapto per tristia fata priore
Obtinuit populi jura suprema sui.
Inde Brabantiæ pugna concidit amarâ
Et procerum ingentes cum Duce cepit opes.

WILHELMUS, ejus nominis IX. 3. Juliæ, ac 4. Geldriæ Dux.

SUb Carolo IV. & VVenceslao patre, & filio Impp. utrique Provinciæ maxima cum laude præfuit, Geldria verò à Carolo IV. in vigilia S. Andreæ anno 1371 Juliaci investitus, uxorem duxit Catharinam Alberti Bavari Hollandiæ & Seelandiæ Comitis filiam, quæ prius Eduardi avunculi sui, Geldriæ Ducis sponsa fuerat: verum nullam sobolem ex illâ suscepit.

Primum in Geldria defuncto, anno 1371 altero avunculo Reinholdo, Eduardi fratre, assistentibus sibi Bronchorstiis contra Heckerianos, fœmineum feudum jam à longis annis propter Mechtilden, Reinholdi primi Ducis filiam primogenitam, Reinholdi & Eduardi sororem asserentes, successit. Inprimis quia Mechtildis

annosa

annosa erat, & ex triplici conjugio sterilis, & hanc Maria Geldra, mater sua, proximè sequebatur: quem idcircò Carolus IV. Imperator literis Juliaci in vigilia S. Andreæ. Anno eodem 1371 datis, & à Nicolao præposito Cameracensi mandato Imp. subsignatis in eodem Ducatu confirmavit: Provinciam tamen Pater, filii minorennis tutor administravit: imo anno 1374 pro ipso bellum à Mechtilde Matertera nepotem sibi adhuc superstiti in avito Ducatu præferri indignata, indictum, animosè gessit.

Anno verò 1377 ut in Historia Patris diximus annorum 14. juvenis ipsa Luciæ in Geldriam introductus, & à nobilitate atque civibus privilegiis eorundem confirmatis, inauguratus est.

Non longè quoque post, defuncto Wenceslao Brabantiæ Duce, à Johanna Brabantina ejus vidua, quemadmodum Eduardus avunculus antea quoque fecerat, arcem Millensem, cum Gangoltino & Fuichtano oppidis Reinholdo avo materno à Theodoro III. Hinsbergæ Domino, cum terris iisdem subjectis, anno 1336 cum pro comitatu Lossensi bellum gereret, oppignorata, Eduardo etiam patruo arctius obligata, sed tamen iterum Friderico Comiti Morsano ab eodem in ἀντίχρησιν concessa, ab hoc verò Johanni Brabantiæ Duci vendita repetiit: quarum restitutione denegatâ gliscebat paulatim magis ac magis odium: & quia tum Brabantina fœdere Galliæ juncta, Philippus etiam Burgundus Caroli Valesii dicti Sapientis ejus nominis 6. regis Galliæ frater, Iohannæ viduæ successurus erat: erat enim Margarethæ sororis neptis maritus: VVilhelmus hic noster Iulius & Geldrus, ut qui familiæ huic omni studio studebat ægrè facere, quo suum in Angliam, quæ cum Gallia de corona contendebat, amorem declararet, eo profectus bellum post Gallo atrocissimis verbis denuntiavit: plurimum etiam Brabantinis ob arces & dominia supra dicta sibi ablata infestus, adeo ut Burgundus à vidua certior factus de quotidianis impressionibus, Equitum turmam ad finium tuitionem eò mittere cogeretur.

Gallo alii suorum bellum suadebant, alii ob Britoniæ Ducem prius placandum dissuadebant: quorum sententia vicit. Cum enim is non obscurè de rebus suis cum Anglo videretur pacisci, imo jam Angliæ aliquot naves inter Normaniam & Britoniam mare tenerent, missis legatis cum eo transactum, & Conestablio omnia restituta sunt. *Ph. Comminæus.*

Pace confirmatâ, anno 1386 bellum pro Iohanna Brabantina cum Wilhelmo nostro ob Graviã Mosæ flumini vicinum oppidũ quã VVilhelmus obsessam expugnaverat, & sui juris fecerat, suscepit. Brabantini igitur iterum obsidione cinctam, fermè ad deditionem compulissent, nisi VVilhelmus alio stratagemate obsidionem solvisset. Cum enim tunc Noviomagi subsistens, ab Anglicanis auxilia ex condicto implorata, sed ob domesticas turbas, & belli Scotici metum denegata, frustra exspectaret in oppidanis, atque præsidiis ibi relictis ĩduciam habuit; cum igitur Brabantini frustraneo

neo conatu hactenus oppidum oppugnantes, circiter decem millia ad deprædandum agrum hostilem emisissent, VVilhelmus noster anno 1387 etsi plerique dissuaderent, contractis plus minus trecentis equis & in aciem productis inter Nyffterich & Osterwick pagos, uno agmine confertim in hostem imparatum ex improviso involavit, & opinione citius oppressum cum vix respirandi haberet ocium, facili manu fudit & cœsis aliis in conflictu, aliis & quidem 400. fugâ se in Mosam præcipitantibus desiderati sunt plurimi. Wilhelmus victoria obtentâ sub dio cœnã in Nyffterich celebravit, signisq; Brabantinorum militaribus potitus 18 eadem magno pietatis documento Neomagi ad Aram D. Virginis suspẽdit. Cladis hujus nuncio in castra ad Graviam perlato, tantus illico fuit exortus terror, ut rebus & impedimentis omnibus relictis, reliqui omnes profugerent: Brabantini tamen suorum auxilio Linnichium & Neostadium postea occuparunt.

Galliæ verò rex Carolus, ejusque frater Ludovicus Dux Aurelianensis, quos mirus gerendi adversus VVilhelmum *nostrum belli* ardor, ob literas illas petulantiæ & contumeliæ *plenas* incesserat, legatis & literis ipsis ad Cæsarem missis, ingentem Exercitum contraxerunt: Et cum accessus per Brabantiam denegaretur, per Cãpaniam suscepto itinere ad Sylvam Arduennam tribus millibus præmissis, qui viam alioqui inaccessam aptarent, Lutzenburgicam ditionem ingressi, cum jam vicini essent agro Leodiensi Episcopus ejus Arnholdus Hornanus à præsule Colonien si incitatus apud regem pro Juliæ Principe, VVilhelmi patre, qui primus furorem belli excepisset, intercessit. Hic adductus ad regem cum belli causam deprecatus esset, filium etiam se moniturum promisisset, in gratiam primum receptus est. Deinde ad filium cum Archiepiscopo Colon. profectus, vix multis & minis & precibus ut culpam in Anglum transferret persuasit: qui demum anno 1388. ad Carolum Galliæ regem, quem suis literis tam acerbis magnoperè offenderat accessit, ac interveniente caduceatore supradicto pacem cum Brabantina contraxit. Rex enim conspecto Duce, & accepta illius oratione singulari, propensione commotus non tantum factum magna facilitate condonavit, sed etiam impensius ac si nunquã irritasset, amare cœpit.

In hoc bello Arnholdus ab Hoemen injuriâ à VVilhelmo Duce affectus ad Johannam Brabantinam defecit: & accepto exercitu selectissimo, Hessum, Nederboschium, VVichenium, & Neiffterichium pagos in regno Neomagensi depopulatus est: sed castris suis Hoemen, Moldickio, Avesatio & Middelerio à VVilhelmo cũ ipso capris veniam deprecatus, eandem obtinuit. Quia verò in expeditionibus his omnibus Henricus à Gehmen fidelem VVilhelmo nostro operam præstiterat, huic Bredevordense castrum cum Alteno & Winterswichio pagis in pignus anno 1389. concessit, quod illud postea in Steinfurti comitem transtulit.

Durante etiam bello anno 1382. ab Engelberto Marcano præfecturam

fecturam Limersiam pro 8500. scutatis redemptam vicissim accepit: Et Anno 1387. cum Adolpho Marcano Engelberti fratre, Comite Clivio de mutua subsidiorum securitate arceque Aſſerden convenit.

Anno 1389. otii & quietis impatiens VVilhelmus noster milite conscripto in Borussiam contra infideles Rutenos profectus, militaris animi admodum illustria indicia exhibuit.

Anno 1392. mortuo Patre VVilhelmo Juliæ & Geldriæ Ducatus conjunxit.

Anno 1395. iterum cum Adolpho Clivio pactus, eidem literas Mechtildis materteræ de Emmerica confirmavit.

Anno 1396. Reinhardum Schonforstæ ac Sichenarum Dominum bello impetiit, mense Augusto castro ejus Schonforstano obsesso, quo festo Remigii ab obsessis incolumitatem vitæ ac fortunarum pactis, dedito, arcem VVilhelmsteiniam quæ eidem Reinhardo unà cum Advocatiâ Aquensi titulo pignoris obligata erat, occupavit: Ideoque anno insequ. 1397. novis pactis cum Aquensibus transegit.

Anno 1397. ob multos suorum Geldrorum à Buscoducensibus occisorum iterum Brabantinis infestus, suppetiis Friderici Saerwerdani Col. Frider. Blanckenheimii Traject. Ottonis Hoyensis Monast. Theod. Hornæi Osnab. Episcoporum, exercitu 30 militum plus minus contracto, & Nylterici Mosa trajecta Brabantiam vastavit, in memoriam rei gestæ sub Iliâ Osterwycena cœna celebrata. Contra Brabantina auxilio Johannis Bavari qui in Leod. præsulem electus fuit, & VValeramo S. Paulini à Phil. Audace cū 200 Equitibus in subsidium sibi missis: Julia invasa Neostadium occuparunt, Ruremundam acri obsidione presserunt. Pace autem circa octavam Petri & Pauli Apostolorum Anni sequentis 1398. initâ, obsidio soluta.

Anno 1400. uxorem Catharinam Hollandinam amisit.

Anno eodem 1400. VVenceslao ob socordiam & segnitiem imperio iterum destituto cum Robertus Palatinus mense Augusto sententiâ Electorum suffectus, Aquis coronandus esset, quia Aquēses sacramento VVenceslao religiosè devincti, VVilhelmi nostri Iulii sui Archipræfecti auxilio subnixi, Roberto introitum in urbē negabant, Coloniæ in Templo Cathedrali à Friderico Saerwerdano Archiepiscopo Col. coronatus est.

Anno 1402. Ludovico Aurelianensi contra Burgundum fœdere cum eo in in odium Brabātinorum facto 500. Equites adduxit: sed inde domum reversus an. eodem 1402. 16. Feb. aliis Cal. Martii diem clausit in his terris supremum in claustro Monchusio prope Arenacum, cum uxore conditus. De quo Streithagenus:

Addiderat titulis Geldros Wilhelmus avitis
Et duplicis trabeæ (yrmate clarus erat.
Sed tamen oppressus bellorum fortibus armis
In Prussos bellum pro Pietate tulit.

Reinholdus nominis III. quintus Geldriæ, ac quartus Juliæ Dux.

Reinholdus frater Wilhelmi prius sicut literæ ab ipso Anno 1397. datæ testantur, Monasterii, Eysliæ & Berchemii Dominus, mortuo anno 1402. fratri privilegiis in utraque provincia Nobilitati & civibus die Martis post Gregorii confirmatis, Anno vero 1410 lunæ post Matthæi Apostoli plenius repetitis successit, & utrique tum Juliæ tum Geldriæ sub Roberto Palatino & Sigismundo Impp. præfuit. Uxorem duxit Mariam Harecurtiam Artesiæ comitem Arschottæ & Borbecciæ Dominam, ex quâ ille quoque Sobolem nullam sustulit: Imo post mortem ejus anno 1426. à Roberto Montium Duce Adolphi filio ducta, nec hunc prole beavit. Bella, Clivense Gorcumiense & Brabantinum gessit. Nam Anno 1347. in prælio saltus Clivensis quod Wilhelmus primus Montium Dux, adversus Adolphum primum Clivorum Ducem affinē suum, ob Telonium Cæsar-insulanum (vulgo Kepsersweerth) suscepit, cum aliis Wilhelmo patrocinatus interfuit. Cum autem victoria penes Adolphum esset, captus est Reinholdus, & ab Adolpho liberè dimissus. Anno 1401. & 1405. cum ipso de variis transegit: In primis vero an. 1402. hebdomade post lætare eidem Embricam Urbem, quam priùs Mechtildis Geldriæ Dux, matertera Engelb. Marcano, patruo Adolphi in pignus eōcesserat, Wilhelmus autem frater, sicut in historia ipsius annotatum, redemerat; vendidit, & Limersiam quoq; pro decem scutorum millibus amplius an. 1406. oppignoravit. Præterea affini Joanni Herculeo contra Wilhelmū Hollandiæ comitem, an. 1405. auxilio fuit. Cum enim is Alberti Wilhelmi patris redituarius esset, ipso senio confecto, filius Cabeljovios à Patre in pretio habitos, odisse cœpit, omnesque & inter eos quoque Ioannem, rationum sibi districtim reddendarum prætextu exauthoravit: quas tamen non quidem Wilhelmo filio, sed vel Joanni Burgundiæ vel Anthonio Brabantiæ, Ducibus, vel Ioanni denique Bavaro, fratri patris Alberti Episcopo Leodio se redditurum promtè offerebat. Wilhelmus igitur Friderici Blanckenheimii Episcopi Ultrajectini, & Adolphi Clivorum Ducis nepotis auxilio Dynastiam Ioannis Herculenam integram vastavit: Metropolim deinde ejus Gorcumiam 22. septimanis obsedit, obsessi Walrami Brederodii consilio, obsessori reconciliandi à Petro Iohanne se ad filium Wilhelmum Herculenum Wilhelmo Hollandino gratiorem defecturos proponunt: Verùm nihil obtinent. Quocirca Wilhelmus à Patre iterum in gratiam admissus, deserto Gorcumio ad avunculum Reinholdū hunc nostrū, Juliæ & Geldriæ Ducem confugit, oppidumque eidem obtulit, quod intelligentes cives Hollando sese dedidêre: Wilhelmus tamen suppetiis Reinholdi stratagemate militari nocte urbe cōscensa iterum sibi vindicavit, suique juris reddidit. Contra V Wilhelmus Hollandinus eos

iterum

iterum obsedit, donec à Ioanne Bavaro Episcopo Leodiensi Anno 1412. pax his conditionibus sancita est, ut Gorcumium Hollandiæ accederet, pro eodem verò Reinholdus centum coronatorum millia, Affinis Ioannes Herculeus castrum & dominium Oyense cum 6000. floren. annuis ex Telonio Lobithano, filius Wilhelmus dominium Borrense in Provincia Julia vicissim à Reinholdo acciperent. Porro illustris hæc familia Hollandina Valencinis VVilhelmo jam sæpius dicto ultimo ejus hærede masculo an. 1417. mortuo defecit: De Provinciæ hereditate Ioanne Bavaro Episcopo Leodiensi patruo VVilhelmi, qui relicta hac dignitate, Anthonii Brabãtiæ Ducis viduam uxorem acceperat, & VVilhelmi filia Iacoba cõtendentibus: qua occasione VVilhelmus Herculeus avitam urbem & ditionem recuperare contendens, ibidem in cruento prælio occubuit: Et sic in familiæ Herculenæ, Egmundana per conjugium Ioannis Egmundani Arnholdi filii, Mariæ Herculenæ copulati successit.

Ad Brabantinam denique controversiam, quod attinet, suprà dictum est, quod frater ejus Wilhelmus inter cætera etiam ob Graviam cum Johanna belligeravit: Quod quia compositum & Gravia jure clientelæ Geldriæ unita mãsit, hanc Reinholdus, Roberto Palatino Imp. subnixus, Anthonio Philippi 2. Burgundi filio anno 1406. præstare recusavit: Undè bello ab eo impetitus anno 1407. 23. octob. eandem præstitit.

Anno 1418. Castrum Middelerium & nemus imperiale Adolpho primo Clivorum duci pro 16667. scutatis oppignoravit. Tandem sibi tamen morte equo descendens, ut Naturæ opus expleret, nullis relictis hæredibus in **Lathum** propè Arenacum in profesto Joannis Baptistæ anno 1423. defecit, & in claustro Monchusio ad latus fratris VVilhelmi tumulatus est, De quo Streithagenus:

Non sufficturus sublato pignora fratri
Orbatos moriens principe liquit agros,
Hinc pars Montensi multa cum clade Virorum
Pars Egmundanis lite favente data est.

Et rectè quidem; Nam post ejus fata quidẽ Julia Adolphus secundus Montium Dux, VVilhelmi primi Ducis filius, Reinholdi vero ex avo VVilhelmo primo Juliæ Duce nepos, à Gerhardo avi fratre Margaretæ Montanæ copulato prognatus, potitus est: Imo ob eandem causam Geldriam sibi quoque jure deberi rectè contendit, sicut etiam utraq; hac provincia à Sigismundo Imp. an. 1425. investitus est Budæ Pannoniæ. Contra ipsum tamẽ Geldriam Arnholdus Egmundanus invasit, ut in sequentibus explicabitur.

Ad Provinciam

IVLIAM

APPENDIX TRIPLEX,

De

Comitatu Neuenarico, & Dynastiis Falcoburgica, & Heinsbergia.

APPENDIX PRIMA,

De Comitatu Neuenarico.

COmitatus Neuenaricus, qui hodiè vicos & pagos sub se complectitur tantùm undecim, vulgo Novæ Aquilæ appellatur: Unde Erasmus Hermannum comitem Neuenaricum, Præpositum Colonienſem, & Aquenſem, doctissimum Heroa in Epistolis Neaetium vocavit. Hic verò, ut erat vir rerũ omnium peritissimus, ipsum monuit: non ab Aquila, quam tamen nigram in armis suis gentibus exhibent, sed ab Ara fluvio Comitum horum prosapiam, sicut quoque Areburgenſium, & vicum eximium Aræ-VVeilerium illustri nomenclaturâ denominari.

Quod autem (quo jure, quave injuriâ id factum, nostrum non est dicere) Principes isti, quibus alioqui luculenta dominia in variis Provinciis diversa, hactenus nõ defuerunt, hujus Comitatus possessione elapsi, solum nomen Neuenari cum tantum retinuerint, in causa est: quod primo quidem Fridericus Saerwerdanus, Archiepiscopus Colonienſis, Castra Neuenaricum, Garsdorpium, Rodesbergium, & Bickendorfium Anno 1371. destruxit. Deinde etiam Comitatus Neuenaricus, qui partim Archiepiscopatui Col. partim Electoribus Palatinis jure feudi subjectus est, consensu eorundem in aliam familiam, per variam conjugiorum permutationẽ, transiit. A Neuenaricis enim ad Vierneburgios comites pervenit. Mortuo autem anno 1545. Cunone, ultimo Vierneburgi, & Novæ Aræ comite sine liberis, Vierneburgium quidem Comitatum, qui Pallentiam utramque, Majorem & Minorem, sub se complectitur, ab Henrico Lutzenburgio Imp. ejus nominis septimo, ob fratrem Balduinum, Archiepiscopum Trevirum Ecclesiæ huic Cathedrali donatam, ab Electoribus verò Palatinis feudi titulo receptam, inq; subfeudum iisdem Episcopis Treviris concessam, Ioh. Ludovi-

Ludovicus, Archiepiscopus, consentiente Friderico 2. Electore Palatino ad se transtulit: Sed posteris secutisque Electoribus, Ottone, Henrico, & Friderico 3. repugnantibus, aliis jure feudi obtigit. Et sic bona Comitatus Neuenarici pars Wilhelmo Juliæ Duci, eadē feudi conditione, obvenit: Unde hodièque Provinciæ huic accensetur.

Veri autem Novæ Aræ Comites in familiam Limburgiā transierunt, qui Comitatus Provinciæ Montanæ, ut infra suo loco indicabitur, feudum est, in Comitatu licet Marcano ad Lenam situs; Joannis enim Reifercheidii, Bedbergæ, & Dickiæ Dynastæ, ex primo conjugio filia Mechtildis, vel Metta, ut communiter appellatur, Wilhelmo, Comiti Limburgio, Bruichii Domino nupta, Bedbergam in dotem attulit. Ex qua itidem filia nata Margaretha, Gumprechto, Novæ aræ, & Limburgio Comiti, Alpenæ & Gaersdorfii Domino, copulata est; A quibus conjugibus filii bini descendunt: quorum primus, Fredericus, ducta Eva, Barone & hærede Lēnepia, novum Gumprechtum; isque iterum ex Amelia Wertheimia tertium Gumprechtum: Hic denique ex prima uxore Cardā Schowenburgia, Ameliam tantum filiam auspicatissimis nuptiis Friderico tertio, Electori Palatino enuptam: Ex secunda Amœnā Falckensteinia Adolphum, ultimum Novæ Aræ, Limburgii, & Moersæ hujus rami Comitem Anno 1589. defunctum, & Magdalenam, Arnholdo Bentheimio, &c. Comiti desponsatam sustulit.

Ex filio vero Gumprechti primi, secundō Wilhelmio dicto, cum Walburge Manderscheidia conjuncto, novus Wilhelmus, & Anna, Walradii Brederodii uxor, parentes Mariæ Brederodiæ; Gothardi Mielendoncii conjugis descendunt. Wilhelmus autem, ducta Annā Wiedanā, Wilhelmi Wiedani, & Margarethæ Morsensis filiā, Hermannum successorem Anno 1578. mortuum ejusque sororem Walburgem edidit. Hæc primis votis Philippo, Comiti Hornano: Deinde hoc Bruxellis Anno 1566. decollato, secundis Adolpho Novæ Aræ, & Limburgi comiti, gentili suo, ut jam diximus, nupsit, & à fratre sine hæredibus defuncto, Comitatum Morsensem, de quo, utpote Cliviæ feudo, in ejus Appendice prima dictum est, accepit.

Appendix secunda

De Dynastia Falcoburgia.

FAlcoburgia Dynastia à Falconibus denominata, inter Trajectum superius & Mosam, Dominium Bornense, cujus oppidum præcipuum Sittardum, & sedem Imperii regiam Aquisgranum, interjacet, Dynastæ ejus Leone nigro cum trabe, coloribus albo & rubro distinctā, pro insignibus usi sunt, quibus etiam originem suā debet Heinsbergensis Dynastia. Oda enim, prima ejus Domina, cujus circa Annum Christi 1140. prima mentio, soror fuit, ut jam dicemus,

dicemus, Goſwini Falcoburgici.

Iob. Placētinus Trud in Epiſcop. Leodiū.

Anno 1234. Joannes Oppianus ex regio Francorum ſanguine natus. Epiſcopus Leodienſis, Bornam, ejuſq; oppidum præcipuum Sittardum Walramo Falcoburgio duabus millibus Marcarum comparatum à Johanne Lutzenburgiæ filio, qui in Chronico Leodienſi Valerianus appellatur, ſuo Mareſchalco in feudum tradidit: qui neſcio qua occaſione conditiones infringens, Sittardum, tum adhuc vicum tectis combuſſit, & Antiſtitem erga ſe provocans ad Montem Jovis ſeceſſit. Deinde fortius irrumpens, opes Eccleſiæ diripere & caſtrum, cui nomen eſt Smaragdo, uſurpare auſus, Antiſtitem ſe, maximè Flandrorum copiis, inſequi coëgit. Quibus ad Moſam convenientibus, dum medius equitaret, ſubito dolore correptus, & inſciis præliatoribus extra aciem Hoyum advectus obiit: Ob cujus mortem Leodini, exercitu dimiſſo, Valerianum diutius perſequi non potuerunt. Eandem Falcoburgiam Dynaſtiam nobilitarunt Engelbertus Falcoburgius, Ubiorum Alchimyſta, qui ab Anno 1261. uſque ad annum 1267. diocœſi Colonienſi præfuit, à Wilhelmo ejus nominis quinto, Juliæ Comite, captus & Nideccam abductus, in carcere vitam finiit: Cujus frater fuit Theodoricus, ambo Walrami ſupradicti, filii, quorum poſtremus novũ VValeramum, & Eliſabetham Engelberto Marcano Adolphi & Margarethæ Geldricæ filio, ſecundis votis ductã, genuit; Hic Walramus, Reinholdum iterum edidit, qui Eliſabethæ Juliacæ copulatus, cum Ioanne Brabantiæ Duce bellum ob Dynaſtias Falcoburgiam & Bornenſem geſſit, Anno 1316. arce ſua pulſus & Nideccã à Gerhardo Iuliaco abductus, Sittardum anno 1318. bis obſeſſum: Unde in poſtrema obſidione expugnatum in poteſtate Brabantini uſque ad Annum 1334. pervenit; quo tempore Adolpho Marcano, Epiſcopo Leodio, aliiſque multis Principibus, contra Ioannem Brabantinum, Ioannis jam dicti filium, inſurgentibus, ad antiquũ Dominum rediit. Ab obitu vero Theodorici, ultimi Falcoburgi Domini Anno 1346. in bello Leodienſi occiſi & ſine hærede mortui, integra Dynaſtia Falcoburgia, cum Dominio Bornenſi ad VVilhelmum primum, Iuliæ Marchionem, & Ducem, ejus avunculum, pervenit; Et poſtmodum anno 1356. cum Comitatus Iulius in Ducatum eveheretur, Dominium Falcoburgium viciſſim in Comitatum erectum: Ob quẽ Anno inſequente 1357. idem VVilhelmus Iuliæ Dux, cum VValeramo Bornenſi controverſiam habuit, donec Reinhero Falcoburgi, Bornæ, Sittardi, Brugæ, & Ravenſteinii Domino, cum Eliſabetha Clivia, Adolphi Marcano-Clivenſis Comitis filiâ copulato, viciſſim in feudum traditus eſt: Quo anno 1400 mortuo, ad Iuliam iterum pervenit, cum Caſtrenſi Dominio, ut volunt, permutatus.

Appen-

Appendix 3.

De Dynastia Heinsbergia.

DYnastia Heinsbergensis à Monte vel Henrici, sive Heinonis, vel à caballis, caballino dicto, dominationem sortita est. Dynastæ ejus Leonem argenteum in area seu clypeo rubro incedentem in armis suis gentilitiis exhibent. Ditionem verò olim habuerunt satis amplam, quippe qui non tantum ipsam Heinsbergiam sed etiam Geilenkirchiam, Gangoltam, Milleniam, Fuichtam, omniaque his subjecta loca possederunt. Originem suam, ut jam in Falcoburgicis Dynastis indigitavimus, ad hos referunt. Oda enim prima Montis Caballini Domina, fuit soror Goswini Falcoburgici, cujus circa Annum Domini 1140, mentio authore P. Streithageno Canonico Heinsberg: in Schemate quarto. Hæc autem maritum habuit Goswinum ejus nominis primum Heinsbergæ Dynastam, Eique Gerhardum & Goswinum filios genuit. Et Anno 1140. aut circiter Basilicam in castro suo Heinsbergensi unà cum Collegio Canonicorum fundavit, agrisq; ac decimis dotatam, divinæ servituti obtulit. Anno 1161. aut circiter vivis exempta. *P. Streith. in Schemate 4.*

Goswinus secundus sub Friderico primo Imp. dicto Barbarossa præfuit. Uxorem Aleiden Palatinam Somersbergensem habuit; Ex quâ Philippum Archiepiscopum Colonienſem, Goswinum, Hermannum, & Godefridum successorem, filios, item Odam Mechtildem & Salomem, filias, suscepit. Hic Goswinus, Odæ filius, sicut Mater Collegium Canonicorum ut jam indicavimus, sic ille Canonicarum regularium ordinis Præmonstratensis Monasterium Anno 1150. aut circiter, extra muros Heinsbergenses cum Uxore fundavit, ab Alexandro II. Episcopo Leodiensi Anno 1156. confirmatum, in quo sicut in aliis omnibus, juxta primam institutionem viri ac fœminæ conjunctim habitarent. Obiit autem Goswinus circa annum Domini 1182. filium suum primogenitum Philippum Anno 1167. cum Friderico Imperatore Mediolani absentem, in Archipræsulem Colonienſem electum, Anno 1168. per mare & Gallias reducem Coloniæ inaugurandum eodem splendido comitatu deduxit.

Godefridus I. Heinsbergi Dominus, ordine tertius, sub eodem Friderico I. Imp. vixit, Uxoremque matris cognominem Aleiden duxit: Ex qua Theodoricum successorem, Agnetem Vestalem Heinsb. & alteram Nobilissimo à Steinhaus nuptam, sustulit an. 1184. cum fratre Philippo Colon. Archiepiscopo tres Mansos jam dicto Monasterio contulit. Anno 1191. eundem in Apulia, postquam Pontificatui annos 24. præfuisset, amisit, ipse vero anno 1193 diem suum obiit.

Theodoricus I. Heinsbergi Dominus, in ordine quartus, sub Henrico 6. Ottone 4. & Friderico 2. Impp. Summam Montis caballini

ballini administravit: Ex uxore Isalda Henricum successorem, & Theodoricum Archiepiscopum Colon. quem alii ferè omnes, sed malè, comitem Montium vocant; Filium itidem ante Patrem defunctum, filiam denique in Monasterio Heinsbergensi vestalem. Anno 1217. & 1223. donationes quasdam eidem Monasterio: An. 1224. Collegio Canonicorum decimas Kempenses attribuit. Anno 1228. vitam cum morte commutavit.

Henricus ejus nominis I. Heinsbergæ Dominus, in ordine quintus, VVilhelmo Hollando, & Richardo Angelo imperantibus fuit qui ex Agneta uxore Theodoricum successorem, Henricum summæ Ædis Col. Canonicum & Thesaurarium, & Aleiden Theodorico 7. Clivorum comiti nuptam, procreavit. Anno 1257. aut circiter, Canonicos è Castro, ubi hactenus resederant, in parochialem Ecclesiam traduxit: ejusque tum vacantes decimas omnesq; Proventus, unà cum sacellis Kirchosiensi & Kempensi liberaliter admodum ipsis contulit. Anno 1264. mortuus Theodoricus II. ejus nominis, Montis vero Caballini in ordine Dominus sextus, sub Richardo, Rudolpho & Alberto I. Impp. præfuit, & uxore ducta Joanna Henricum & VValeramum ante Patrem, & illum quidem Anno salutis partæ 1287. defunctos, Godefridum successorem & Theodoricum majoris Ecclesiæ Col. Canonicum, filios, cum Margar. Monast. Heinsb. Vestali, genuit. Annis 1267. 1268. 1274. 1282. eidem Monasterio bona quædam largitus est. Anno 1278. cum VValramus Duce Limburgio, Engelberto & Theodorico Falckéburgiis, atque Theodorico Clivio, Colonienses muros, adhibitis scalis, frustra scandere nisus est. Anno 1285. Reineri de Lunbruch Canonici donationem villæ patrimonialis Dunensis; Godefridi item Cellarii sui, & Gertrudis ejus uxoris largitionem altari B. Mariæ Magdalenæ in Ecclesia recens erecto, factam. An. 1287. donationem Altari S. Joannis Baptistæ in cryptâ à viris aliquot piis collatam confirmavit.

Anno 1290. canonicos ab omnibus exactionibus tributis & oneribus civilibus exemit, domos quoque eorum liberas & immunes pronuntiavit. Anno 1291. dissidium inter Monasterii præpositum Brunonem & vestales obortum cum Gerhardo Nassovio Archidiacono Leod. Godeschalco de Knessteden, & Laurentio de Hamburne Abbatibus mediator composuit. Altari B. Mariæ Magdalenæ anno 1286. 12. solidos usualis monetæ, similiter etiam an. 1296. reditus aliquos assignavit: Obiit an. 1300.

Godefridus ejus nominis II. Heinsb vero itemq; ex dote Blanckenbergi Dominus in ordine 7. Imperantibus Alberto primo Hérico 7. ac Ludovico Bavaro vixit. Uxorem habuit Mechtilden, Arnholdi comitis Lossensis penultimi filiam. Ex qua Theodoricũ successorem, Godefridum præpositum Aquensem, & Joannem filios: Margaretham etiam antistitem Thorensem suscepit in Ecclesia collegiata; Altaribus uni decimas à Lamberto de lignea viâ cive Heinsb. collatas Anno 1305. S. Jacobi etiam festo, Anno 1313.

dona-

donationes, ab aliis piis viris factas suo calculo approbavit: Ipse vero altari B. Mariæ Virginis 6. marcas Brabantinas in perpetuum an. 1328, assignavit An. 1333. defunctus Theod. ejusnominis 3. Heinsb. Blanckenb. Dominus in ordine 8. sed & post mortem Ludovici avunculi comes Lossensis sub Ludovico Bavaro ac Carolo 4. Imp. summam rei administravit: Et uxore ducta Cunegunde Eberhardi 3. comitis Marcani ex conjuge Imgarde Montana filia, Godefridũ unigenitum sustulit an. 1330. Philippo Galliæ regi in bello quod contra Joannem 3. Brabantiæ Ducem propter susceptum Robertum Atrobatensem parabat, cum aliis Principibus adhæsit: Anno 1333. Ludovico Flandriæ comiti propter Mechliniam contra eũdem adfuit. An. 1335. donationem quâ Agnes Gerhardi de Sylva vidua Altare S. Antonii dotavit approbavit. Anno 1336. post mortem Ludovici ultimi comitis Lossensis, qui absque liberis ipsa nocte S. Vincentii discesserat Comitatum occupavit; refragante tamen Ecclesia Leodiense & donationem à Ludovico alio comite An. 1202. & factam allegante, cui Theodoricus consanguinitatem & ultimam avunculi voluntatem opposuit.

Hinc ergo inter partes dissidio gravissimo suborto Theodoricus Anno 1337. civitates, nobiles, ac primores totius diocœsis Leod. transactionis cum iisdem ineundæ causa ad capitulum citavit: Verum ab iis delusus nullus ad designatum diem comparavit. Anno ergo 1338. quinque capituli Leodiensis villas per Godefridum filium incendio devastavit: quin etiam depositis officialibus Comitatus Lossensis, magnam partem subditorum contra Episcopum eduxit. Eodem anno Brabantinum quoque contra Episcopum adjuvit, & per sententiam Archiepiscopi Colon. & Hannoniæ Comitis, Lossensis Comes, favente Episcopo suo affine, filii vero avunculo, Adolpho Marcano, declaratus est. Anno 1342. Godefridum filium unicum amisit, cum prius Mechtilden Geldram, Reinholdi primi Ducis primogenitam sibi matrimonio, eoque sterili copulasset. quæ postmodum secundo conjugio Joanni Comiti Clivensi & anno 1368. hoc defuncto tertio Johanni Blesensi nupsit.

Eodem anno 1342. Theodoricus fundationem Altaris trium Regum & S. Agathæ à Reinhero Loevenich quæstore factam diplomate suo approbavit.

An. 1343. resumpta lite comitatus Lossensis, mortuo filio & cõpositione iterum tentata irrita authoritate Apostolica excommunicatus est: An. tamẽ 1344. per Imp. Bohemiæ regis Caroli 4. filium Leodium ad capitulum à se destinatum sententiam Archiepiscopi Col. & Hannoniæ comitis confirmari postulavit: Verum major pars canonicorum non parum offenso rege assensum denegavit, inprimis quia Adolphus Marcanus Episcopus ipsi utpote affini addictus eodem tempore in fata concessit. Tandem nihilominus an. 1346. per Abbatem S. Nicasii Rhemensem ab hoc à Pontifice ablegatum quinque arbitros à capitulo obtinuit, eorumque operarem eò deduxit, ut Episcopus Engelbertus Marcanus, qui in locum

Patrui Adolphi succesſerat, inveſtituram comitatus, Abbas verò abſolutionem impertirentur. Anno 1347. Engelb. Marcanum Leodienſem Epiſcopum contrà rebelles ſubditos & propter neſcio quem Hæreticum decollatum ad libertatem adſpirantes una cum Brabantino & Geldro adjuvit cœſis in prælio 15. eorum millibus, An. 1350. multis debitis propter comitatum Loſſenſem obligatus jugera quam plurima ex erycetis Geilenkirchienſi ac Brunſradienſi, quæ ſubditi liberaliter conceſſerant, Arnholdo ab Hegen ejuſque uxori certo pretio divendidit. Anno 1356. Wenceſlaum Brab. Ducem, contra Ludovicum Flandriæ comitem egregiè adjuvit. Anno 1357. officium Scholaſtici Heinsbergæ ab Engelb. Epiſcopo Leodienſi inſtitui, & incorporatione Eccleſiæ Milſenſis dotari procuravit. Anno 1358. Altare S. Laurentii de ſuo peculio fundavit. Anno 1359. dignitatem Cantoratus ab Henrico Brunſradienſi canonico inſtitutam, aſſenſu ſuo adprobavit, & ab Engelberto Epiſcopo Leodienſi itidem confirmari poſtulavit. An. 1361 ſucceſſore ordinato Godefrido Dalēbrachii Domino propinquo ſuo, rebus humanis exceſſit.

Godefridus hic ejus nominis III. Heinsbergæ vero Dynaſta in ordine 9. relicto titulo Dalenbrachio Loſſenſem ſe appellavit: Et Carolo 4 ac Wenceſlao Imperantibus vixit. Uxorem habuit Philippinam Wilhelmi primi Juliæ Ducis filiam: Quæ ei Johannem ſucceſſorem, Joannam comiti Hornano, & Philippinam comiti Nuenarienſi nuptas, peperit.

Anno 1361. occupato Stochemio & vicinis oppidis fortiter quidem, ſed fruſtra comitatum Loſſenſem retinere ſtuduit. Quocirca ſeu de jure ſeu de viribus ſuis deſperans, quicquid ſibi in eum competebat, in affinem ſuum Arnholdum de Rummes pro certa pecuniæ ſumma tranſtulit: Eodem Anno Arnholdus à Ratheim Decanus collegii Heinsb. patrimonium natale capitulo contulit, quod ipſe ratum habuit. An. 1372. capitulo privilegium, ut quoſcunque è ſubditis ſuis vel ſibi ipſi domeſticis convenire & pignus ab iis capere poſſint, conceſſit. Anno 1380. Monaſterio bona nonnulla cum uxore largitus an. 1382. cum eadem & Joannem atque Ioanna primogenitis Emptionem villæ ſtraſſenſis à capitulo factā rogante Decano Wilhelmo à Blanckenbergh approbavit. Anno 1388. Bello Geldrio occupatus, inque Brabantiæ prædas agens ubi Leodios exercitu 40. mill. terram Juliam ingreſſos Hinsbergæ obſidionem mouiri intellexiſſet, ulterius damnum prohibiturus, domum rediit. Anno 1390. Uxorem ipſa Bartholom. amiſit. An. 1393. ſodalitatem roſariam cum multis Principibus inſtituit. Anno 1395. naturæ debitum exſolvit. Hunc quatuor Johannes ordine inſequuntur.

Iohannes primus ejus nominis, inter Dynaſtas vero decimus Godefridi filius, Loſſenſ. Heinsb. Lewenberg: Millenius & Steinenſis Dominus, dictus Bellicoſus, ſub Wenceſlao, Ruperto, Sigiſmundo ac Alb. Impp. uxore accepta Margaretha Gennepii Domina,

mina, ex ea Iohannē II. ſucceſſorem, Wilhelmum Blanckenheimii Comitem, Ioannem Epiſcopum Leodienſem, Philippā Weidano, Mariam Naſſovio Comitibus copulatas, & aliam Heinsb. Monaſt. Veſtalem edidit.

Hic anno 1397. cum Wilhelmi primi Montium Ducis partes foveret, ab Adolpho Cliviæ Duce in prælio ſaltus Clivii captus, quod pecunia careret, eidem Dominium Gennepenſe pro λυτρῳ tradidit, cujus Apocham anno 1411. recepit, & an. 1426. acceptis 10500. ſcut. oppignoravit; Et tamen an. 1400 cum eodē Wilhelmo pro Dominio Lewenberg. bellum gerere coactus eſt. Anno 1401. Wilhelmo Iuliæ ac Geldriæ Duci fœderatus agmen Buſcoducenſium qui ſeditionem commoverant, infeſtum tenuit. Anno 1406. Ioanni Bavaro Epiſcopo Leod. contra rebelles ſubditos aſſiſtens agros non procul Viſeto, ferro flammaque devaſtavit. Anno 1408. Leodienſes ab obſidione Trajectenſi, cum aliis Epiſc. amicis rejecit Et non multo poſt prælio contra eoſdem interfuit, in quo ad 13. mill. occidione deleti. An. 1420. Ioh. Brabant. Duci contra ordines patrocinatus Bruxellis in carcerem à furente plebe conjectus eſt: Sed anno 1421. à filio Epiſcopo, & proſcriptione Sigiſm. Imp. liberatus. Anno 1422. cum Anthonio Brabantiæ Duce pignoris arcium trans-Moſanarum tabulis redditis, tranſegit, Anno 1423. mortuo Reinholdo, Iuliæ ac Geldriæ Duce partes Arnhold. Egmundani ſecutus, cum ab Adolpho Montano in partem tituli admiſſus eſſet, bello ſe medium interpoſuit.

Anno 1409. cum ab Alberto ab Alpen iter ſacrum, ſeu peregrinationem Hieroſolymitanam ſuſcepit. Anno 1410. cum Ioanne Bavaro Epiſcopo Leod. filium Anthon. Brabantini Ducis è ſacro fonte ſuſcepit.

An. 1419. Ioannem filium in Epiſcopum Leodienſem electum unâ cum Adolpho Cliviæ Duce, cum quo eodem an. fœdus in mutuam defenſionem percuſſit, Leodium ſplendido Comitatu deduxit, qui 19. Octob. anno 1454. quarto poſt Epiſcopatum reſignatū anno mortuus eſt: Uxor vero ejus Epiſcopi Mater an. eodem, quo filius electus 4. Octob. vivis exceſſit.

Anno 1428. Aquis pro præpoſitura filio obtinenda in templum Deiparæ irruit, & an. 1429. à Magiſtratu ejuſdem urbis contra rebelles evocatus, ſeditionis authoribus punitis, cives ad obedientiā reduxit. An. 1432. proventus Decanatus, quem anno 1396. unius præbendæ diminutione adauxerat, hoc an. incorporatione Eccle. Bremmenſis ab Eugenio 4. Papa confirmata adhuc locupletavit.

Deceſſit anno 1439. in Vigilia converſionis Pauli Iohannes ejus nominis II. Loſſenſ. Heinsb. ac Lewenb. Dominus, in ordine XI. ſub Friderico 3. Imp. uxorem habuit, ex qua Iohannem 3. ſucceſſorem, & filiam Philippo Naſſovio nuptam ſuſcepit. Anno 1440. Coronationi Frider. 3. Aquis interfuit, à quo ei, ut & Col. & Leod. Epiſcopis, itemque Iuliæ Ducibus protectio capituli B. Mariæ commendata, obiit ipſis Cal. Maii 1443.

Johannes ejus nominis III. Loss. Hinsb. ac Lewenb. Dominus in ordine XII. ejusdem Friderici 3. Imp. tempore vixit, quibus dominiis ex dote Iohannæ uxoris, post mortem Thomæ fratris, Diesthemium ac Sichemium quoque adiecit, adeoque hæc dominia ob Ioannem Nassoviæ generum successorem suum ab an. 1450 illustri huic familiæ Nassoviæ parent. Ex hac Iohanna, Iohanna filia cognomine edita, ubi anno 1447. acquisitionem villæ Trischradiensis à capitulo factam assensu suo comprobasset, anno 1448. ipsa Iohannis Chrysostomi, filia & hærede unica, Iohannâ modo nominatâ, eique tutore Iohanne Episcopo Leod. dato, excessit.

Iohannes ejus nominis IV. Comes Nassovius & Saræ Pontanus, Philippi filius Iohannis comitis Nassovio-Weilburgici, à Gerlaco, Adolphi Imp. fratre descendentis nepos Iohannam Iohannis tertii filiam & hæredem, quæ post mortem patris sub tutela patrui Ioannis Episcopi Leodiensis, usque ad Annum 1454. fuerat, hoc anno duxit, ex eaque Elisabetham reliquit, Wilhelmo 7. Iuliæ, ac 4. Montium Duci copulatam; Hæc anno 1450. mortua, Ioannes Nassovius Saræpontanus Elisabetham, Ludovici Wirtenbergici filiam superinduxit, Ex qua ipsi Iohan. Ludovicus, comitatus Saræpontani hæres natus est, Heinsbergiæ Dynastiæ, ubi rarius resedit, Vicarium Ioannem à Rhode Franckenbergi Equitem, constituit. Obiit postridiè Mariæ Magdalenæ anno 1472. Loss. Hinsb. Lewenberg, Sichemensis & Diesthemiensis Dynasta 13. & ultimus. Unde omnia hæc dominia ad Iuliam Provinciam per conjugium decesserunt.

VNITA-

VNITARVM IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, Provinciarum.

MEMBRVM QVARTVM

De Provincia Montana, ejuſque Comitibus ſedecim, Ducibus ſeptem, Sectionibus duabus explicatus.

PROVINCIA MONTANA, ut eam ante omnia primum deſcribamus, partim à Montibus omnibus, quorum in ejus diſtrictu ingens copia, partim à Septē illis Burgis, vulgo Sibenburghe, ex quibus quatuor tantum, ſicut etiam eorundem rupibus ſeu cautibus, caſtra ceu ἀκροπύργια Windeccianum, Leoburgicum, quæ Montanæ ditionis ſunt, Drachenfelſium Milendonciorum, item & VVolckenburgium, ſic dictum, quod altitudine ſua nubes pulſent ſupra Bōnam à Friderico Saerwerdāno Epiſcopo Colon. ſtructum, ſed hodie deſtructum; Reliquis tribus Burgis inhabitatis, atque incultis, inædificata ſunt, nomenclaturam ſortitur. Septem autem Burgi à Sigena uſque & tractu Naſſovio deducti ab orientali Rheni parte Colonienſem diocœſin & urbem adſpiciunt. De quibus Bernhardus Mollerus in deſcriptione Rheni:

Sunt procul à dextro ſepteni limite Montes,
Altius in quorum vertice caſtra ſedent.
Pars homini colitur, necdum deſcivit ab uſu,
Pars hominem neſcit, monſtra fovere ſolet.
Hic lemurum formæ vulgus terrore fatigant,
Hic Acherontæo ſpectra fragore tonant.
Sæpius aſcenſo frondator vertice, viteis
Dum locat inſolito, territus hoſte fugit.
Euro notho ſeptem ſpectare Colonia monteis,
Quin etiam longè caſtra videre poteſt.
Quatuor exſurgunt. nondum quæ ſuſtulit ætas
Caſtra Diedunbergam monte venuſtat ap[illegible].
Salva Draconinæ reſtant faſtigia rupis,
Nubis adhuc reſtant caſtra, manere vides.

Sunt etiam, qui Provinciæ Montanæ denominationem à Monte Veteri, antiquo Principum suorum castro, quod anno 1133 in Monasterium ordinis Cistercienſis commutatum est, deducant.

Origo. Originem suam debet Hermanno, ejusque fratri Adolpho Elbiorum Comitibus, qui Montium, sicut etiam Divitenſes Advocati primi leguntur, & primitus Provinciæ Præfecti ab Impp. constituti, ditiones has postea hæreditariè possidendas ab iisdem jure homagii acceperunt.

Augmenta Engelbertus V. istius nominis primus, Montium Comes in ordine quintus, mirum in modum Provinciam auxit, multis prædiis à Friderico Barbarossa, victo ab ipso Henrico Leone, Saxoniæ Anghivariæ, & VVestphaliæ Duce dotatus.

Status Politicus & Præfecturæ Præfecturas hodie numerat 17. quales sunt à superioribus secundo Rheno descendendo, Blanckenbergica, VVindeccia, Leobergia, Steinbacenſis, in qua arx Neobergia, Lulsdorphiana, Portzenſis, in qua arx Bensbergia, Miselonenſis, Monheimia, Angermundenſis, Lansbergiana, Medmenſis, Solingenſis, Bornfeldenſis, Hoeckeswagiana, Burgenſis, Erverveldenſis, & Bienburgica.

Quibus præturæ Siegenbergenſis & Mullenheimia etiam accenſentur.

Ex his Monheimia, Lansbergia, Erverfeldenſis & Hoeckenswagiana à familiis nobiliſſimis denominatæ, mortuis earum Dominis, Montibus accrevêre: Miselonenſis autem præfectura, cum Linepatii & Muispatii partibus quibusdam, partim feuda Palatina sunt, partim Adolphus, Montium Comes à Siegenfrido Westerburgio, Archimysta Col. An. 1288. in pugna VVorringenſi capto, extorsit.

Blanckenburgia à splendore castri, Leoburgia à Leone Montano appellatæ, primo quidem dotis nomine Godefrido, ejus nominis secundo, & Johanni Godefridi tertii filio, Dynastis Heinsbergenſibus obvenerunt; Leobergia autem anno 1397. Adolpho primo, Clivorum Duci, à Iohanne Heinsbergenſi, cui in Bello saltus Clivio VVilhelmo primo Montium Duci patrocinatus, cum eodē aliisque multis viris generosis captus esset, in pignus tradita fuit; Deinde eandem redemptam, VVilhelmus hujus prosapiæ ultimus, Iuliæ & Montiū Dux, Ravensburgi Comes per conjugiū an. 1472. cū Elisabetha Lossenſi, Heinsbergiæ, Blāckenbergiæ, Neoburgiæ, Diestheimii, Sichemii Domina, Iohannis, Comitis Nassovio-Saræpontani filia initum, accepit, & utramque oppignoratam reluitione pignoris Montanæ Provinciæ attribuit, Heinsbergiâ Iuliæ relictâ.

Vrbes, Oppida & Municipia Provinciæ Montanæ. In his præfecturis urbes & oppida sunt X. Metropoles 4. Dusseldorpia, Ratinga, Lennepia, VVipperfordia.

Minora oppida 6. Solingium, Rhadenſe ante Sylvanum, Gerrishemium, Blanckenburgium, Mulhemium, & Erverfeldiū; quorum postremum Anno demum 1610. jure oppidanorum donatum est. Siegenburgium sedes Abbatis iisdem annumeratur, suis tamē immunita.

immunitatibus gaudens, cujus præfecturam Anno 1420. Adolphus secundus Montium Dux, acquisivit.

Municipia oppidis addita Hoeffenium in præfectura Leobergiâ Weselichiũ, prope Colon. Agrippinam in ejus ora, Monheimium, Angermundanum, Medmenum, Greveradium, in præfectura Solingensi, Burghenium, Huckeswagenium & Bienburgium; quibus Angerorthum castrum, Anno 1433 structum accedit. De quorum omnium nomenclatura, initiis atque incrementis, quæ habemus, annotabimus.

Dusseldorpia quasi Dusseli fluvii pagus appellatur, quia urbem interlabens, in fine ejus Rhenum influit.

Arcem habet insignem, Principum Montanorum sedem, ad quam ex pago oppidum structum, paulatim in tantæ figuræ & molis urbem succrevit, ut hodie ocellus urbium Montensium sit, & Metropolis. Hinc Bernh. Mollerus in descriptione Rheni.

Dußela defertur proprii sub nominis Vrbem
Excipit hunc Rheni dextera, flumen amat.

Ratinga primitus Comitum Montensium Castrum fuit, cujus rudera adhuc cernuntur: postmodum muris, & fossis cincta est.

Lennepa festo Remigii Anno 1325. ab Adolpho ejus nominis septimo Montium Comite in ordine 12. de proprio prætore & ludicio exercendo, liberaq; Magistratus electione privilegia accepit.

Eadem 26. Septemb. an. 1564. tota conflagravit, vix 17 exiguis ædificiis reliquis manentibus, VVipperfurdam an. 1222. Engelbertus Montanus Archipræsul Colonienſis, immunitate donavit.

Mullenheimium aliquoties Montium Principes in oppidum redigere conati sunt, Colonienſibus semper reclamantibus, quibus cum idcirco Henricus VVindeccianus Montium Comes in ordine XI. unitus quod ab opere destiturus sit, accepit. Ab huius nihilominus filio Adolpho, ejus nominis septimo Montium Comite XII. Privilegium se muniendi cum jure oppidanorum, Anno 1322. accepit. Quod Adolphus secundus Montium Dux anno 1417. Colonienſibus in munitionis plenioris Controversia quidẽ oppoſuit, sed an. insequenti 1418. ubi cum Theodorico Morsensi, Archiepiscopo Colon. propter fratrem VVilhelmum ab Alequibus in præsulem ibidem quoque postulatum transegisset cum Republica Colonienſi etiam composuit. An. 1587. de novo VVilhelmus Iuliæ, Cliviæ, Montium Dux municipium Mullenheimium ad oppidi formam reducere molitus est: sed an. 1589. sententia ex camera Spirensi contra se latâ & acceptâ, etiam intermisit. Tandem cum An. 1610. multi civium Colonienſium ob religionis Evangelicæ exercitium liberum eo confugerent, possidentes unitarũ harum Provinciarum Principes, Ioh. Sigismundus Elector Brandenburgius & VVolfgangus VVilhelmus Comes Palatinus Rheni, Neoburgi & Bavariæ Dux, illud ampliandum & muniendum concesserunt. Quibus Colonienſibus iterum animosè se opponentibus, jussu Cæsareo demolitio operis mandata, eaque 30. Sept-

temb. Anno 1615. instituta est.

Ex municipiis Montanis, Honffenium portis suis & muris instructum vinum generosum producit. VVeselichium feudum Palatinum Principibus Juliis ut supra diximus concessum, aliquandiu inter Montes connumeratum, hodie tamen sic urgentibus Juliæ ordinibus, Præfecturæ Berchemensi adlegitur. Pagus nihilominus Rhowenkirchius Agrippinam proximè contingens, in ora eadem ubiorum situs Montibus mansit.

Monheimium cum integra præfectura, à familia nobilissima, quæ illam possedit Dominorum Montibus, quibus jure fiduciæ subjecta fuit, accessit. Angermundanum à castro eximio in ora Angeræ quâ Rhenum influit, denominationem accepit.

Medmenum quasi situ & fertilitate sua medium dicitur Greveradium tanquam comites Novale, Burgente à castro suo: Hoeckelwagenium itidem à familia nobili quæ illud possedit; Bunburgium ab apibus, quæ magno ibi numero mel fragrantissimum producunt, appellationem sortiuntur.

Angerorthum ab Angeræ angulo, qui ibi se in Rhenum ut jam diximus effundit appellatum An. 1433. ab Adolpho primo Clivorum Duce ædificari cœptum est. Cui cum se Adolphus secundus Montium Dux auxiliis Theodorici Morsani Archiepiscopi Col. subnixus, opponeret, hic Montibus suis illud vendicavit. In præfecturam ejus pagũ Erchradium à nobili virgine Ercha, & agris novalibus ab ea ibidem cultis, denominatum volunt.

Dominia Provincia Montana.

Dynastiæ & Dominia, quæ Montium Principes jure fiduciæ agnoscunt, sunt, Comitatus Limburgius ad Lenam licet in comitatu Marcano situs: Dominium Bruchium in præfectura Angermundana, Hardẽburgium in præfectura Saelingensi: Steinense in præfectura Blanckenbergia. Meerveldicum denique dominium in Diœcesi Monasterienſi, à quo Dominis & possessoribus ejusdem nomen similiter Montanos Principes feudi nomine colit: de quibus omnibus in Appendice.

Baronatus Lienepius etsi à Provincia Montana undiq; circumscriptus sit, eidem tamen minime subjectus est: sed peculiaribus suis Dynastis semper paruit, à quibus tandem ad Comites Nuenaricos & Limburgicos per conjugium transiit. Fridericus enim Gumprechti Novariensis & Limburgici atque Margarethæ Bedbergensis filius, ducta Evâ Barone ac hærede Lienepia eum sibi & familiæ acquisivit, atque per binos iterum Gumprechtos, ad posteriorem filium Adolphum derivavit qui affini Arnholdo Bentheimio Comiti post mortem eundem reliquit.

Status Ecclesiasticus Provinciæ Montanæ.

Quoad statum Ecclesiasticum, Provincia Montana præter Domos commendatorias Johannitarum, quatuor Abbatias insignes, & Ecclesias Collegiatas præstantes, etiam diversa numerat utriusque sexus Monasteria.

Commendatores ordinis Teutonici sunt, Struendensis in præfectura Portzensi, Oulipensis in præfectura Steinbacensi, haud longè

longè ab arce Neobergia: & Burghensis.

Abbatiæ sunt, Siegebergensis, Divitensis, vulgo Tuitiensis, regulæ Benedictinæ: Veteris Montis, & Heisterbacensis, instituti Castericensis.

Siegebergensis ab Annone, Comite Dasselio, præposito primò Goslariensi, & Henrici tertii Imp. Canciliario. Deinde Episcopo Colonienſi, Anno 1056. auspiciis Henrici Comitis palatini fundata est; In qua etiam corpus Annonis extremâ suâ voluntate ita disponente, inhumatum, Coloniam contra eandem Priori ab ipso creditam, non ita pridem traductum fuit.

Prælatus Siegebergensis Stralenæ quoq; Geldrorum cum Principe istius Provinciæ concurrentem jurisdictionem habet. Antiquitus etiam eidem Varensburgum vulgo Furstenburgium, seu Mons Principis appellatum, propè Santos, in Provincia Clivia, sub Abbate Cunone, postmodum Ratisbonense Episcopo; à Nortbertho, Santensi Canonico, postmodum Magdeb. Episcopo Anno 1119 structum, tanquam ejus familiæ Benedictinæ vestalium nobilium cœnobium subjectum fuit.

Postea tamen, nempe An. 1259. Abbatis & Monachorum Siegebergensium consensu, Cisterienſibus, Hierstensibus prope Daventriam, exustis, obtigit.

Tuitiensis ab Heriberto ex prosapia Comitum Rutenburgicorum ad Tubarim fluvium proguato, Episcopo item Col. ex voto Ottonis 3. Imp. Anno 1003 prolixâ liberalitate cœpta, & an. 1019 magnificentissimè absoluta & dotata. Anno verò 1020. in honorem Salvatoris Mundi, ejusque genetricis memoriam consecrata, inque ea author Heribertus 17. Cal. Aprilis An. 1021. mortuus, tumulatus est. Sed tertia Cal. Septemb. An. 1147. ab Arnholdo Episcopo Colon. sub Eugenio 3. Pontifice Romano, & Conrado 2. Imp. nliique Henrici 3. Imperii primo non dissentiente Abbate in ordine 12. Gerlaco, Coloniam translatus.

In Collegium Tuitiense ex Ultrajectino An. 1120 Rupertus, vir doctissimus à Friderico, Episcopo Colonienſi translatus est. De hac Abbatia ita canit Bernhardus Mollerus in descriptione Rheni:

Amnis habet dextram tellure Tuiscion altâ
Hac genitor sedis urbe Tuisco refert.
Condita fatorum minuuntur singula lege,
Vrbs stetit hic, pagi rudera vilis habet,
Obruta dissecto murorum fragmine vallis
Vix aliquo referunt valla tumore situm
Si qua sit in senio laus, quam miremur honore
Non patitur senii fama perire locum,
Struxit Heriberto senior delubra vetustâs
Ad superos templi massa levatur humo,
Summa rotundato stringuntur acumina tecta,
Festudo facili stat laquearata pede,

Pantheon

Pantheon hic eſset, tectum ſi preſſius eſſet,
Si media tecti parte pateret apex,
Machina convexi teſtudine nititur aqua,
Angulus & toto neſcit in orbe dari.
Non toretes igitur geſtant delubra columnæ
Sed paries tectum geſtat inane nitens.
Omnia curvantur, ſed non curvantur in arcum
Inſpeciem cæli cuncta levantur humo
Firma ſui nondum Iuris decreta reliquit
Oppidulum, quamvis multa periſſe ſciant.

In bello Colonienſi Anno 1583. tectum ejus plumbeum igne injecto liquefactum, conflagravit.

Utriuſque hujus tum Siegebergenſis, tum Tuitienſis Abbatiæ Principes Montium tutores ſunt: Prioris tutelam Adolphus Montium ſecundus Dux Anno 1420. acquiſivit.

Veteris Montis monaſterium 8. Calen. Septembris ſivè Geneſii martyris feſtivitate, cum magna eſſet ſolis Eclypſis Anno 1133. ex Morimundo ordini Ciſterienſi à Roberto Meliſmenſi Abbate ex veteri campo Anno 1122. ſub Henrico 4. Imp. & Calixto Papa ad preces Friderici, Archipræſulis Col. germano fratre Henrico cum 12. fratribus miſſis, fundato deductum auſpiciis Eberhardi atque Adolphi, Comitum Montenſium caſtro ſuo ad Duenam ſito, in monaſterium converſo conditum, illique veteri campo ejuſdem ordinis in diocœſi Colonienſi ſubjectum eſt, ut verſus habent memoriales

Anno milleno centeno terque deceno
Cum tribus, ut Natus Patris eſt de virgine ſatus.
Hic in honore Dei lux craſtina Bartholomæi
Dat prius optatum, Morimundis it habitatum.

Primus ejus Abbas fuit Berno juxta ſimilem verſum

Eſt Abbas Berno primus in Monte Veterno.

Idem Eberhardus Zizoni, verius Sieghardo, Comiti Keferbergio apud Thumneos, ejuſque uxori Giſelæ, ut ſimile Monaſterium in monte S. Gregorii ædificarent, perſuaſit.

In hac autem Montis Veteris Abbatia 5. non. Martii Anno 1255. ſub Abbatis Giſeleri anno quinto, cum Eccleſiæ Colonienſi Pontifex Conradus Hochſtedenus præeſſet, illuſtris vir Adolphus Mõtium comes ejuſque frater VValramus Dux Limburgenſis, Henr. Ducis Limburgenſis & Margar. Montanæ filii, primũ novi templi pulcherrimi lapidẽ, in honorẽ DEI ejuſq; genetricis Mariæ virginis, ſanctorumque Benedicti & Bernhardi Abbatum, & ſanctarum 11. mille virginum memoriam, poſuerunt: quod an. 1279. egregiè conſummatũ & à VViegboldo Epiſc. Culmenſe Eccleſiæ Col. ſuffraganeo juſſu Siegfriedi VVeſterburgici Archiepiſcopi inauguratũ eſt.

Porro An. 1324. cataclyſmus, hujus Monaſterii aras cum 10 hominibus ſubmerſit: chorum, Bibliothecam, Templi ornamenta cæteraque id genus bona corrupit. Anno 1467. à Palæopedii ſeu

Veteris

Veteris campi Abbate Henrico à Rhay reformatum.

Monasterium vero multorum Principum Montensium, Marcanorum & Juliacensium Mausolæum est.

Hic enim conditi jacent

Eberhardus & Adolphus fratres Comites Montenses & Altenani, Ex quibus ille Monasterii fundator in eodem Monachum etiam professus est.

Fridericus Arnholdus & Conradus Altenani, Tum duo Adolphi, Engelbertus, novusque Adolphus & Engelbertus ac iterum Adolphus & VVilhelmus Montium comites.

VValramus Heinsbergius.

Henricus VVindeccius itidem Montium comes.

Godefridus VVefelinchofius prius summi Templi Colonienſis Canonicus, deinde veteris hujus Montis Monachus.

Inhumatæ præterea hic sunt Comitissæ.

Mechtildis quæ communiter Metta Montana.

Margaretha Vietneburgica & Montana.

Irmgardis Clivia & Montana.

Agnes Clivia & Montana.

Margaretha Montana & Ravensburgica.

Duces etiam hic conditi sunt.

Henricus Limburgius Montium Comes.

Gerhardus Julius, Montium & Ravensburgi comes.

Robertus Montium Dux.

Gerhardus Montanus præpositus summi templi Col.

Adolphus Juliæ & Montium Dux Ravensb. comes.

Gerhardus Juliæ & Montium Dux Ravensb. comes.

VVilhelmus Juliæ & Montium Dux, Ravensburgæ, Lewenbergæ, Heinsbergæ &c. comes 6. Septemb. horâ quintâ meridianâ anno 1511. Dusseldorpii extinctus. Ejusque conjunx secunda Sybilla Brandenburgica quæ 9. Iulii anno 1524. obiit.

Episcopi denique hic sepulti.

Conradus Montium Comes, Episcopus Monasterienſis.

Daniel Verdenſis.

Joannes Scopienſis.

VViegboldus Culmenſis.

Ejusdem ordinis Cisterienſis, Abbatia est Heisterbacenſis in præfectura Leoburgica, Cæsarii Monachi scriptis editis clarissimi, nobilis.

Ecclesiã Collegiatam Canonicorum, præter eos, qui Gerrisheimii quoque sunt, Dusseldorpii an. 1392. VVilhelmus primus Montium Dux fundavit.

Ibidem crucigeris cœnobium erexit Gerhardus tertius Montium Dux anno 1445.

Iidem crucigeri Bienburgi Monasterium habent, an. 1211. vel circiter ab Adolpho Montano post reditum à profectione contra Albigenſes, ut putatur, constitutum.

Ejusdem

Ejusdem ordinis sunt quoque Monachi Steinhusiani & Ehrensteimi in præfectura Blanckenburgia. In qua etiam Budingense est cœnobium regularium S. Augustini an. 1421. ex sacello & collegio 4. secularium presbyterorum erectum, & ab iisdem regularibus capituli VVindesheimensis inhabitatum.

Sextus fœminei generosarum & Nobilium Virginum Provincia Montana recenset, Vilicense, Rhenodorpium nigrum, Gerrisheimium, Greveradium, & Dunewaldium.

Vilicense à Mengoso Geldriæ præfecto in ordine sexto ad Siegam fluvium in paterno fundo circa annum Christi 1000. conditum & ad Benedicti regulam confirmatum est.

Huic Anno 1218. Engelbertus Montanus Archipræsul Col. præpositus duobus Gerhardo Carpenense & Frider. Monasteriense, VVilhelmo etiam Juliæ Comite, Theodoro Kosario, Arnholdo Gimmichio, Emundo Braeckelio secularibus Dynastis præsentibus totius Vilicensis parochiæ à rivulo Essenbach usque ad fluvium Siegam Novalium quoque agrorum & vinearum decimas liberaliter donavit.

Rhenodorpiũ nigrum Arnholdus Archiepiscopus Col. ad eundem Siegam ex bonis suis hæreditariis struxit.

Gerrisheimium haud procul Dusseldorpio in comitatu Hermanni comitis Montensis, Advocati Tuitiensis situm, à Wilberto Episc. Col. an. qui 870. electus, ædificarum, & à Gerrico Comite dotatum anno 967. ab Ottone 2. Imp. efflagitatu VVarini præsulis Col. confirmatum.

Greveradium aliis Comitis Novale dictum in præfectura Salingensi Vestalium nobilium regularium cœnobium, ex vicino quercetofontis limpidissimi rivulis irrigatum, 18 Cal. Jan. Anno 1185. sub Friderico Barbarossa, Imp. & Lucio 3. Papa occasione miraculorum quorundam ut aiunt ad fontem istum, cum adhuc Sacellum esset, Parochiæ VValdensi subjectum factorum, à Philippo Heinsbergio Archtepiscopo Col. impetrata à Parochiali exemptione per Elisabetham Abbatissam Vilicensem, consecratum Præter præpositos multos Colonienses; Ottone Geldro, Theodorico Clivio, Theodorico Hochstedeno, Henrico Seinense, Arnholdo & Friderico Altenanis Comitibus, Ottono VVickradio, Reinhero Eroitbrechtio, Gerhardo Nuenario, Advocato Col. Gerhardo Volmensteinio, Goswino Alsterano, Hermanno Camerario, Wilhelmo Schillingh, Florentio Kempernon, & Rorico de Nisteren, testibus præsentibus.

Gaudet autem cœnobium reliquiis S.S. Sebastiani & Catharinæ item Deiparæ imagine à Luca ut volunt Euangelista picta, & hierothecæ inauratæ inclusa; vitam etiam asservat S. Catharinæ Hoeckeswagianæ inter beatas numeratæ.

In eo Adolphus Montium comes ejus nominis sextus in ordine vero nonus Anno 1295. mortuus inhumatus, anno 1471. rogatu Gerhardi Juliæ & Montium Ducis, atque Sophiæ Saxonicæ ejus

conjugis

conjugis à Roberto Bavaro Archiepiscopo per Adamum S. Martin Coloniæ Abbatem Thomam Wail Colonienſem, & Johannem Mangelman Noveſienſem, Priores, Catharinâ Neſſelradia Magiſtrâ, Wintrude de Oxhum Catharina Binsfeldica alijſq; veſtalibus aſſentientibus reformatum & clauſum.

Dunewaldium in præfecturâ Portzenſi, inſtituti Præmonſtrati nobilium Veſtalium monaſterium eſt.

Totam Provinciam Rhenus alluit, niſi quod in paucis locis eam interſecat.

In ipſis verò Montibus fluvij multi: In ſuperiori quidem eorundem diſtrictu, Sigena, Sultza, Achera, Broela, quæ Sigenæ junguntur: In inferiori vero Wipera, à Vipera, in cujus modum gyrando circumagitur, ita dictus, Duena, Duſſela, Angera, ſcaturiunt, & ditionem perlabuntur. Sigenæ juxta Witekindi arcem, non procul ab **Harbergen** natus, Sigenam urbem, & caſtrum olim Sicambrorum, nunc Naſſoviorum Comitum, Freudebergam, VVindecam, Blancoburgum, & Siegeburgum alluit, & ad auſtrum Henſæ Teutonicæ finem deſcribit: Infra Blancoburgum verò Bruelæ commixtus, Rhenum influit: Sicut idem Mollerus canit.

Principis Weſtphalici Witekindi naſcitur arvis
Natus ab Harbergi, flumina volvit, agris,
Tecta Sicambrorum populis exculta Sigenam
Aggreditur, pulchro rura liquore ſecat.
Culmina Freudbergæ Vindecam præterit inde
AEdita Blancburgi montibus arva fugit,
Turrigerum fluctu ſubigit lambente Siburgum,
Excipit hunc Rheni dextera gaudet aquis
Illud omittendum minimè cenſemus, honori
Quod merita cedit parte Sigena tibi
Flumen Teutonicæ ſpacium quod terminat Anze
Limes ab auſtrali dicitur eſſe plaga.
Plorat ſed nullo mœſtus ſolante Sigena
Teutonicas Anze terga dediſſe manus.

Ad confluentes Sigæ hujus & Rheni Anno 1621. Vallum Belgicum in Inſula ibidem interjacente, ſtructum eſt, quod metricè hunc in modum deſcripſit Johannes Benderus Pal: Eccleſiæ Langenbergenſis in Dynaſtia Hardenb. miniſter:

Eſt locus, exeſos ubi Siga voluta per agros — *Valli Belgici Situs.*
Immenſi tumidis Rheni confunditur undis.
Hic mediis in aquis ſciſſi in duo brachia Rheni — *Status priſcus.*
Inſula nota jacet, quam campum hucuſque Coloni
Dixere. Hic glaucâ canebant fronde ſalicta — *Arborum.*
Hic coryli læves, alnique & populus alba
Ducebant ſylvam & latè ſerpentibus udum
Virgultis ramisque ſolum foliiſque tegebant.
Hic teneras ovibus frondes, hic gramina ſemper

Repperit & gratas pecori demessuit herbis
Rustitus & Rheni vada per notissima vexit
Hinc etiam infirmis hastilia longa, sudesque
Vitibus aptandas petijt, salicesque quotannis
Vimineas, ramos natas vincire fluentes
Cautus vitisator simul hinc urenda tulere
Sollicita matres hyemi ramalia flammis.

Cuniculorum. Hic & in effossis habitasse caniculis antris
Fertur, & in cæca posuisse cubilia terrâ
Versicolor, pavidos lepores imitata propago.
Est fœcunda, suum quoties impleverit orbem
Luna, videns multam variisque coloribus aptam
Progeniem. Talem sæclo sub gramine prædam
Sæpe tulit parco rediens ancilla colono.

Avium. Hic fuit & prima variarum æstate volucrum
Opportuna domus nidis ubi fronde sub alta
Exclusi fœtus, teneris concentibus auras
Implerere, citaque virûm tenuere carinas.
Hic cornix annosa & pando gutture corvi
Antiquas habuere domos hic rustica perdix
Et merula, carâque gemens cum conjuge turtur,
Atque merops, anatesque feræ, raucæque palumbes,
Accipiterque ferox, inimicaque noctua lucis,
Et fulica, mergique humanaque æmula linguæ
Pica loquax, & quâ non est præstantior alet
Permulcere viros cantu philomela sonoro.
Nec qui dura graves vocat in vineta bidentes,
Abfuit insano cuculus clamore nec ovâ
Quæ foret ignorans cuculi carnifica, malignis
Prædæ futura suis miserandâque fœtibus esca

Status novus. Talis erat quondam facies, talesque fovebat
Inventio Valli. Corpus aves: at nunc quantum mutatus ab illo?
Namque hic sæpe vagas alta dum pulvere nitri
Glande petit volucres vir, quem non dextera fallit
Seu sit anas strepitans, seu trux feriendus iberus,
Dote sed ingenij, sed major acumine mentis:
Omnem rite locum ac vicinas lumine terras,
Sigaque & Rheni ripas considerat omnes,
Et speculatur aquas, camposque agrosque jacentes
Hic lentas nasti salices? hic (inquit) inertes
Esse domos avium? locus haud est tutior usquam
Hostis ab incursu, quod si munimina valli
Insuper adjicias, quæ vis inimica nocebit?
Valli, impacatis quod nec vicina catervis
Bonna, nec infræni lunata Colonia pube
Diruat, ut nullo quondam prohibente retentes
Mulhemo imbellis muros impunè domosque

Æquavere ſolo, damnumque dedere nefandum,
Antè citum multo ſpumantem ſanguine Rhenum
Cernat & Hiſpanis albentes oſſibus agros
Accola, inhumano quam nos dedamus Ibero.
Nec nos dira fames vincet, neque turpis egeſtas.
Pinguę ſolum fruges & fertilis ubere campus
Sufficiet: colles aprici vina: propinquus
Ligna dabit ſaltus Sigæ vectanda fluentis
Tu modo Rex, qui cuncta tuo ſub numine torques — Votum.
Aſpira duce te nullo metuemus ab hoſte.
Dixit & exemplo Reſæa in caſtra profectus — Præparatio Valli.
Mauritium fortem patriæ tellaris Achillem
Cuncta docet campique ſitum, geniumque locorum
Continuò inſtructus varijs exercitus armis — Militibus miſſis.
Tormentisque globos atrumque vomentibus ignem
Horrendo crepitu campis procedit apertis
Iamque propinquabant Vbijs Campumque videbant: — Arboribus cæſis.
Cum manus agreſtûm vicinis undique ab oris
Advolat hic humeris ingenti pondere rutrum
Hic acie inſignem ſpirans immane ſecurim
Ille gerit falcem, modò durâ in cote ſubactam
Nec mora cæduntur ſalices, alnique rubentes
Populeique caduni ſtirpes, corylique rubique
Et fruticęs ferulæque & lento vimine virgæ
Vna fuit medio ramis frondentibus alba — Excepta Populo albiori.
Populus in campo, ſævam quæ ſola ſecurim
Effugit, qua ceu ſpecula proſpexit ab altæ
Excubitor prima ne nocte irrumperet hoſtis
Vi ſubita. Talem cum vita ſervat honorem,
Cætera procumbunt nullo diſcrimine ligna
Non ſecus ac flavis cum falcem curvus ariſtis
Supponit meſſor, nutantes pondere culmos
Falce ſecans ſpicam exiguam ſi forte reliquit
Hanc quoque regrediens carpit, ſic germina paſſim
Ruſtica crudeli ferro ſecat omnia pubes
Diffugiunt volucres, pennisque per æra lapſæ
Hoſpitium antiquum & nidos gemnere ruentes
Aſt alij raram, qua ſignat amuſſis arenam — Munitio Valli.
(Namque locum radio menſor deſcripſerat omnem)
Effodiunt: nec jam latitare cuniculus ima
Sub tellure poteſt, penetralia ad intima terræ
Deſcendunt raſtris, foſſaſque virentibus implent
Caudicibus, lentaque inſternunt fronde ſalicti
Hæc ſuperinjecta rurſus tellure premuntur
Primò ut vere ſalix altè radicibus actis
Pullulet & viridi frondeſcat germine ſylva
Atque ita ſurgat opus, cui nec tormenta nec ignes

Nec ferrum noceat, ſævique injuria cœli
Annorumque ingens ſeries & longa vetuſtas
Interea valli, dum ruſtica turba, recentis
Fundamenta locant, miles tentoria ponit
Impiger & ſummum collecto ſtramine culmen
Obtegit. hic focus eſt fuligineque caminus
Hic torus hic pendent de poſtibus arma ſalignis
Alternique vices mutant pars compita ſervant
Excubijs, citroque viros, ultroque meantes
Pars operi incumbunt & jam deſueta labori
Corpora ruricolum commiſti plebe fatigant
Vrget enim rector, nummique immenſa cupido
Dicitur hac ſubitò vicinas fama per urbes
Commeatus. *Excitique ſua præſto ſunt merce propola*
Caſeus hic pinguis, carneſque & nobile vinum
Venditur & panes lardumque & Weſtphala perna
Coctaque diverſo proſtat cereviſia nummo
Accurrunt varijs homines ex partibus orbis
Viſendi ſtudio & molem & tormenta caſaſque
Et bello celebrem Germana per oppida gentem
Ac veluti in magno cum ſunt encœnia pago
Stant mercatorum venali merce taberna
Adventat piſtor niveoque & pane ſecundo
Et bove mactato lanius caupoque quadrigis
Vina vehens, ſequitur poſtremus in agmine ſutor
Advolat agreſtis nota regione viarum
Turba patres natique nova cum conjuge meſſor
Pars licitantur, emunque avida pars, lumine merces
Aſpiciunt tractantque manu votiſque reponunt
Diſcurrunt alij, duriſque laboribus inſtant
Otia damnantes, hos indulgere lyæo
Hos hilari laſu juvat atras fallere curas
Sic varijs hominum ſtudijs varioque labore
Vivitur in Campo latique in margine Rheni
Nec minus interea ſocio cum milite pergunt
Agricolæ portare onera & ſubvolvere ligna
Longoque effoſam convectant ordine terram
Figura unde denominatio valli. *Fervet opus, moleſque ſuam jam ducere formam*
Incipit aſſimilem quadræ campoque patenti
Longè aquè ac latè, ſed propugnacula rectam
Quattuor obliquant operi conjuncta figuram
Sic ſtructa æthereas paulatim ſurgit ad auras
Materies jam celſa vident exuggere Bonnæ
Culmina vicinas ſuperant jam vertice ripas
Nunc etiam proceres inter diſcordia primos
Exoritur proprio ſtructi de nomine valli
Et cum diverſis, ut ſit diverſa placerent

Aſpiciens operis formam non nemo ſacerdos
Quadrifidâ tegitur mitrâ caput inquit eodem
Conſimilis formæ dicamus nomine vallum
Floreat innumeros Papalis mitra per annos,
Aſſenſere omnes vocemque loquentis ab ore
Ereptam ſubitò diſperſa per agmina vulgant
Tum vero clamorque virum tonitruque globorum
Inſequitur, latique omnes uno ore ſalutant
Papalem mitram reboant ſylvæque, lacuſque
Et tremefacta ſuos requierunt flumina curſus
Turbidior Rhenus, vitreus ſed Siga fluentis
Audijt, hunc trepidans procul Agrippina tumultum
Et quidam haud minimâ ſurgens de plebe ſacerdos
Iſte quis eſt ſtrepitus vicinis inquit in oris?
Tanta quid & toties iterata tonitrua portant?
Miles an in caſtris Romane triumphat in urbe?
O ſancti ſanctæque graves avertite caſus.
Sed poſtquam certâ cognovit ſingula famâ
Dentibus infrendens & ſævo percitus aſtro
Vſque adeò ne ſacris cæcos illudere noſtris
Hæreticos? (ait) & ſanctas traducere veſtes?
Nominibus ne ſacris res appellare profanas
Fas erat? hîc Romane parens hîc utere telo
Fulmineo, aſt alius ſedatior ore faceto
Noſtra ait hæc mitra eſt noſtriſque aptabimus olim
Verticibus, Batavo devicto abſiſte moveri,
Tertius hunc contra, facilis victoria ſemper
Ignaris, aliter, vidiſſes ipſe, loquaris
Non eſt tormentis non expugnabile ferro eſt
Iſtud opus longa ſatis obſidione quis anget
Securos Rheni circumlabentibus undis
Mente ſecuturam jam nunc præſagio peſtem
Quod quidam excipiens noſtra de parte ſit iſtud
Quod præſagis, (ait) quod docto proſpicis uſu
Indulgere loco vobis & dira minari
Vſque licet, tutum Domini ſub tegmine vallum
Semper erit, nomenque omni celebrabitur ævo
An, niſi quod ſanctus ſatraverit ipſe Iehova
Eſſe poteſt ſanctum? humani commenta cerebri
Vendere pro ſacris ſcelus eſt facinuſque nefandum
Talibus inter ſe dictis de nomine certant
At Batavi ardentes operi ferventius inſtant
Caſtiganique moras, radiiſque rigentibus omnem
Aſcenſum impediunt: atque his è cæſpite vivo
Loricam imponunt glandes munimen ad atras
Fratris equos nondum nocturno roſcida curru
Luna bis attigerat, rutiloſque accenderat ignes

Tormenta Vallo.

Aggere perfecto: scandunt immania septem
Acclivi tormenta jugo, quo pendere totum
Intremuit vallum: stant bina minantia Bonnæ
Bina Agrippinæ Montanæ cætera terræ
Nec non & medijs in Rheni fluctibus unco
Tormentis gravidam puppim tenet ancora morsu
Noctes atque dies nitidis ubi miles in armis
Excubat, erecta sublimes arbore naves
Observans, tenuique intextas abiete cymbas

Structura interior.

Ad spatium interius structis ex aßere cellis
Conferitur, quarum bis binis quæque tenetur
Militibus sunt hic firmo sub fornice glandes
Sclopique & pulvis nitratus & arida fumum

Templum.

Stuppa vomens penus hic & pleno copia cornu.
Sed quid ego hæc memoro? rerum quoque cura sacrarum
Sollicitat proceres, veris ut honoribus auspex
Tanti operis sanctè numen cæleste colatur
Vtque ferox norit miles quæ recta salutis
AEternæ via sit, justæ quæ regula vitæ

Tribunal.

Cumque parum armatus metuat virtutis amore
Peccare, effringens impune repagula legum
AEtherias media in Mitrâ consurgit ad auras
Ingens furca necem minitans, subigensque protervos
Aut parere duci aut deformi occumbere letho
Vos quoque qui variis avium concentibus olim
Læti aures nautæ vestras, animasque dedistis
State brevemque moram ne sit grave dulcibus hymnis
Atque salutiferis horam unam impendere verbis,
Sic opere exacto, tanti munimina valli
Vndarumque moræ & cælo venientis ab alto
Spes opis accendunt animos scloposque corusci
Ostentant, ultroque invitant molibus hostem
Postquam nemo ausus conclusos aggere bello
Oppugnare viros, fortemque lacessere gentem
Latius extendunt molem cæsisque salictis
Pluribus adversæ nulla formidine partis
Terraque advecta duo propugnacula vallo
Adjiciunt geminasque ingente sub aggere portas
Multaque præterea gravium tormenta globorum
Adverso veniunt Rheno clivumque trementem
Aggeris ascendunt numerumque horrentibus augent
Agininibus, longeque globos jaculantur & ignes.
Quid memorem furnos? quid plena armaria ferro?
Quid thesaurum? grandem quid farris acervum
Quidve molas binis frangentes tritica saxis
Non undis actas sed equis asinisve rotatas
Et tandem paucis complectar ut omnia verbis,

Quid

Quid quo defendi vallum queat atque teneri
Non habet! infestus veniat licet hostis, opusque
Obsidione premat, non arma virosque requiret.

Sic ille quidem cecinit & vovit: Vallum tamen hoc Anno 162. auspicijs Hispaniarum regis ab Henrico Montium Comite post aliquot mensium oppugnationem expugnatum & jam solo æquatum est.

Idem Rhenus infra Coloniam, propè Mulhemium oppidum Nielium atque Manconium vulgo Merckenichium pagos, è regione sitos, Dunæum fluvium ex Montibus decurrentem à dextris excipit, ut rectè canit Bern. Mollerus in descriptione Rheni:

Duneus educit Dunæo flumina saltu
Fluminis hunc Rheni dextera jungit aquis.

Vipera verò juxta Wiperfurdam & arcem Bienburgiam lapsus, perque valles Erverfeldanas & Solingenses fusus, se eidem inter Rindorfium & VVestdorpium pagos committit; de quo ita Mollerus:

Vipera Wipfurdo nec non diversus ab arce
Arce Bienbergi nomen habente venit
Erveldanæ fœcundat gramine valles,
Hunc, domitis Rheni dextra recondit aquis
Inferius paulo fertur Rhindorpia Rheni
Pagus amat Rheni dextra vocare locum.

Huic Rheno etiam Dussela, in pago Dusselfo orta, à quo Metropoli Montanæ nomen; quia per illam lapsus ibidem eidem conjungitur.

Angera quoque propè Angerortham arcem, à fluvio hoc sic dictam à dextris Rheno committetur. Sicut idem Mollerus canit:

Arce sub Angrarda provolvitur Angera dextram
Alveolo Rheni liberiore subit.

Ex hoc Provinciæ Montanæ inter montes & valles situ, fluviisque permeantibus, fœcunditas ejus apparet: quippe animalium quadrupedum, volatilium, piscium, frumentorum, pascuorum & lignorum, imo vini quoque in superioribus versus Rhenum partibus, est feracissima: Maximè autem incolæ opificijs & mercaturæ dediti, adeò ut nulla omnino civitas aut oppidum sit, cujus cives ejusmodi non tractent: utpote Siegeburgum in pulchris illis ollis, & calicibus testaceis excoquendis: Lennepa & VVipperfurda cum Rada-Antisylvana & municipio Hoeckeswagio in pannis: Ratinga in forficibus: Salinga in gladijs & cultris parandis, Cronebergius & Remschedius pagi in falcibus conficiendis: Erverfeldia in emendis, albicandis, & contexendis filis, usque in Germaniam superiorem Francofurtum, inferiorem Antwerpiam & Dordracum, indeque in Galliam, Hispaniam, & utramque Indiam deportandis, occupatæ.

Habet quoque in montibus suis hæc provincia multorum metallorum, Nitri, Ferri, Plumbi, Stanni cupri, imò Argenti etiam

atque Auri fodinas, quibus ad labores & divitias incolas vocat, & mercimonijs multis occasionem præbet.

DE MONTIVM PRINCIPIBVS

In quarum prima duabus sectionibus explicatis, de eorum Comitibus quatuordecim agitur.

SEd ad ipsorum Principum, qui ex ordine Montibus hisce præfuerunt, Historiam & seriem accedentes primò Comites, deinde Duces lustremus. De quorum origene illud tenendum quod supra quoque in Iuliæ Principibus annotavimus, licet alij adhuc plures & quidem longè antiquiores viri fortes & illustres in Montibus nostris vixerint, eorum tamen nomina & res gestas, quemadmodū de Agamemnone Horatius canit, vates historicos tacuisse. Ut vero quò possumus originem horum deducamus Ægidium Gelenium Can. Col. ad S. Andream in vita S. Engelberti Montani Comitis & Archiepiscopi Col. Anno 1633. evulgatâ, imitati, ex antiquis monumentis archivis & diplomatibus, quæ possumus eruemus:

Hic igitur vult, imo ex Archivo ipso Col. probat atque demonstrat, Hermannum ejusque fratrem Adolphum Comites Ubios, & Advocatos Tuitienses stirpis hujus Montanæ & alterius quoque Marcanæ conditores esse. Nam de Ubiorum Comitatu præter municipium V Veselichium feudū Palatinum ad Montes spectans, docere quoque qui eorum antiquum dicit in parochiis Romerskirchiana & Friemersdorpia, quod Adolphus Montium Comes Anno 1218. cum in procinctu esset itineris sacri, cum fratre Engelberto Archiepiscopo Colonienſe Ecclesiæ Knechtstedensi concessit Anno 1227. à Conrado Hochstedeno Archiepiscopo itidem Col. accedente Patris & fratris Lotharij, qui similiter patronatu aliquo Ecclesiarum istarum gaudebant, consensu itemque ab iisdem Anno 1240. tandemq; ab Henrico Limburgio Comite Montium confirmatum.

Specialiter autem Hermanni mentionem fieri asserit, in literis fundationis monasterij Gerrisheimij Anno 967. ubi Advocatus itemque Comes de Monte appellatur: Eundem Hermannum in diplomate, quod Monasterio Tuitiensi Heribertus Episcopus Col. Anno 1009. largitus est Advocatum monasterij nominari, & cum fratre Adolpho Gerhardo Iulio alijsque subscripsisse testatur, Adolphum vero fratrem Hermanni in literis donationis, quæ Eberhardus Comes Clivius & Bertha ejus conjunx Colonienſi & Novesiensi Ecclesijs sub Henrico 4. Imp. & Gregorio 7. Papa Anno 1054. largiti sunt, absolutè Montium Comitem vocari & cum eo Ottonem Geldriæ & Zuitphaniæ', Frider-Henricum Montis aquilii Comites, Gerhardum Hochstedenum Hermannum

num Norvenichium Adelbertum Saffenbergium ceu rei gestæ testes indigetari.

In literis Annonis quoque Episcopi Col. quibus sub Annum 1068. imperiali S. Ludgeri Monasterio Werthinensi de villis & decimis privilegium & in Sieghewini, qui anno 1074. præfuit & an. 1089. mortuus, diplomate, Ecclesiæ Bremensi dato, Adolphum & filium ejus Eberhardum expresse testes citari: Godefridum denique Pantalleonitam tradere ad annum 1225. Tutiense castrum Adolphi Montium Comitis militibus stipatum multa civitati Colonienſi damna intulisse.

Adolphus frater Hermanni anno 1132. vel. 1136. juxta Rosasarium vero 1147. obiit. Hæc Gelenius. Ex quibus efficitur Adolphum hunc, Eberhardum & Adolphum filios habuisse, ac per eos (de Hermanni enim fratris ejus posteris non legitur) utramque familiam Montanam & Marcanam propagasse. Nam hi duo fratres præter avitum veteris Montis castrum ad Duænam constructum aliud quoque Altenanum ad Lenam condidere: Ubi verò Eberhardus Monasterium in quod Castrum Montanum ipsius rogatu, afrè postea quoque conversum, ingressus est, Adolphus ejus nominis 2. solus verum potitus ex Adelheide Arnholdi 2. Comitis Clivii filia, Adolpho filio & hærede atque Brunone Episcopo Colon. relictis anno 1152. in fata concessit, in veteris Montis Monasterio tumulatus: De Origine utriusque tum Montium tum Marcæ Westphalicæ Comitatu ita canimus.

Saxo decem numerans servantis secula Christi,
Iunge tibi indigenas (nec malè iuncte) novos,
Fulmina Saxonico gentis famulata Monarchæ,
Germano Ottoni (tertius Otto fuit.)
Fraternas acies vicinaque regna locarunt,
Altaque Berga tuas, Altenanaque tuas.
Insedere duo sed nomina nulla supersunt,
Tandem Adolphus tandem Eberhardus adest.

De duobus fratribus ita Streithagenus in Tetrastichis.

In gemino cœpit geminata potentia fratre
Montia quamque dedit Altena quamque dedit.
Solus at indultos titulos transmisit Adolphus,
Fratre cucullifero mox adeunte gregem.

Bruno ejus nominis 2. Archiepiscopus Col. tempore Lotharii Cæsaris factus cum eo in Apuliam profectus. Sacræ vivere desiit, ejusque corpus aromatibus delibutum plumbeoque Mausoleo reclusum, in Germaniam relatum & in eodem veteris Montis Monasterio inhumatum est. Adolphus nominis 3. Montium & Altenæ Comes 4. ex Adelheide Henrici Comitis Aquilii montis (Arnsberg) & Agnetis Rietberghiæ atque Strombergiæ filiâ 4. gnatos Fridericum & Brunonem, mutuos Patrui Brunonis 2. in archiepiscopatu Col. successores, Et Engelbertum atque Eberhardum, quorum illi Montium, huic Altenanum Comitatum

tum

tum attribuit, sustulit, mortuus anno 1170. De quo Streithagenus:

Ordine succedens & nomine dictus eodem,
Possedit junctas usque Parentis opes.
Quas tamen haeredes extincto sortibus aequis,
In partes missas distribuêre duas.

Vir autem nobilis in Clivia qui Comitibus Marcanis parentavit, similiter filiis Adolphi hujus, ita occinuit:

Continuant famam & res successoris avitas,
Pileo ovant, alios insula sancta beat.
O bene divisum imperium sacrum atque profanum,
O faustas ista partitione domos.

Fridericus Archipræsul in expeditione Italica Mediolanensi cum Friderico Barbarossa Cæsare Papiæ extinctus ititemque ad Montis veteris Monasterium translatus est.

Bruno verò ejus nominis tertius post Philippum Heinsbergium Gosuini secundi filium anno 1191. in Apulia defunctum fratri Friderico successit ex Præposito Bonnensi electus: verum ætate lassus anno 1193. infula cum veste sacra in Monte veteri permutatâ, Adolpho Altenano nepoti, fratris Eberhardi filio Archidiacono Colonienſi Archiepiscopatum resignavit.

De Eberhardo ejusque successoribus in comitibus Marcanis dictum est:

Engelbertus verò ejus nominis primus Montium Comes in ordine quintus ducta Margaretha Heinrici Geldriæ Comitis & Seynaræ Brabantinæ filia, Adolphum & Engelbertum Archipræsulem Colonienſem postea factum ex ea genuit.

Hic Engelbertus anno 1160. in fundatione Monasterij Meerensis prope Novesium, cum Wilhelmo & Gerhardo Comitibus Juliacis fratribus rei gestæ testis citatur.

Franc. Irenicus. Deinde sub Friderico Barbarossâ contra Henricum Leonem Saxoniæ Angrivariæ & Westphaliæ Ducem superbissimum, una cum Philippo Heinsbergio Archimysta Colonienſi anno 1174. pugnavit, quem Imperator victum, ditionibus exuit, easque partim Ecclesiæ Colonienſi partim Engelberto nostro aliisque Comitibus consignavit, qui Montes suos hinc egregiè auxit.

Idem grave minusque auspicatum bellum cum Montis Aquilii comitibus gessit Godefrido Monacho teste. Anno denique 1189. adversus Hunnos in bellum sacrum profectus ibidem ipsa Martini Episcopi obiit, licet Gerhardus ab Horreo in manuscriptis Chronicis ei vitam usque ad annum 1192. proroget, eumque imperii 40. excessisse scribat. Ut proinde Streithagenus canat:

Engelberte tua splendescit gloria fama,
Semper & in nato sit rediviva Pio.
Quamvis cum sociis sacrata ad bella profectus,
Clauseris ungarico fata suprema solo,

Adolphus nominis quartus, Montium vero Comes in ordine

sextus

sextus Patrisque post annos 18. anno 1210. successor, in schismate Imperij post mortem Henrici sexti, Friderici Barbarossæ filij anno 1197. in Apulia defuncti, cum Otto Saxo & Philippus Suevus de eo contenderent, Adolpho Archipræsuli Colonienſi patruo, qui primum Ottoni adhæsit, suppetias ferens anno 1205. Tuitiensi castro præsidio imposito cives Colonienses, qui tum Philippum sequebantur vehementer afflixit: Postea nummis expugnatus præsul Philippum secutus eum anno 1205. Aquis consecravit: Quod propter ab Innocentio 3. Papa depositus, eique Bruno ex fratre nepos successit.

Idem Adolphus Anno 1211. contra Albingenses cum Wilhelmo Juliaco alijsque Principibus cruce signatus & in illos profectus post reditum Monasterium crucigerorum Beienburgi struxisse dicitur.

Anno 1213. Ottonem Bentheimium Episcopum Monasterium ob supra dictum Imperij schisma captum, & Cæsaris insulam (vulgo Reisserswerth) abductum, ea 24. Julij anno 1215. obsessa atque expugnata fideliter asseruit.

Anno 1218. iterum cum Wilhelmo Juliaco & Arnholdo Clivio alijsque cruce signatus ubi prius Bensbergæ jus Ecclesiæ Romeskirchensis & Freimersdorphianæ Monasterio Knechtstedensi cum fratre Engelberto Episcopo Colon. donasset; in terram sanctam expeditionem suscepit, ibidem eodem anno mense Augusto prout ex Oliverij Scholastici ad Engelbertum fratrem Epistola patet, ante Damiatæ expugnationem, filia Margaretha hærede relictâ, gloriosè mortuus.

Jacobus de Vitriaco lib. 3. Hist. Orientalis eum verum nobilem & potentem vocat, dicitque classi cruci signatorum Colonienſium, Bremenſium, Frihorum, Troviorum præfuisse. Vide etiam Petrum Scriverium in Historia Hollandica. De quo ita Streithagenus.

Nec quicquam chari commotus funere Patris,
Ivit ad Eoas fortis & ipse Plagas.
Et crebris præsens Christi pro nomine pugnis,
Occidit ad muros urbs Damiata tuos.

HISTORIA S. ENGELBERTI Montium Comitis Archiepiscopi Colonienſis in Epitomen redacta.

POst fata Adolphi frater ejus Engelbertus anno 1185. natus Montes rexit eorum Comes ejus nominis secundus, in ordine verò septimus factus & in ipso juventutis flore multis beneficijs Ecclesiasticis ornatus an oneratus fuit.

Anno 1203. eidem Episcopatus Monasteriensis mortuo Hermanno

manno Cattorum Principe oblatus est, quem ob teneriorem ætatem excusatum, Otto Bentheimius accepit.

Anno verò 1216. 22. Februarij in' Archipræsulem Colonienſem ex præpoſito ſummi templi electus, in eodem, pallio tamen prius juſſu Innocentij 3. & Honorij 3. ſummorum Pontificum redempto, debitiſque multis ob controverſiam ſucceſſionis de Archiepiſcopatu apud Rotam Romanam diſputatam, contractis, exſolutis, anno 1217. à Petro Cardinale S. Potentianæ confirmatus, & à Friderico ſecundo Imp. dignitate & ditione Electorali inauguratus eſt.

Anno 1218. cum fratri Adolpho in Montium Comitatu ſucceſſiſſet, inter ipſum & Waleramum Limburgium Ducem, lis exorta eſt, quæ anno 1220. ubi prius anno præcedenti 1219. Engelbertus Epiſcopus pro Diocœſi Colonienſi contra Gerhardum à Bruback Caſtrum Furſtenbergium ſtruxiſſet, ita compoſita, ut Henricus Walerami filius, qui fratris Adolphi defuncti filiam Margaretham duxerat, annuam ex Montibus penſionem acciperet, poſt mortem vero in iiſdem ſibi ſuccederet.

Eodem anno 1220. cum Theodorico Clivorum Comite ejus nominis quinto, Arnholdi quarti & Catharinæ Limburgicæ filio de ſucceſſione Namurcenſi convenit.

A Friderico denique 2. Imp. eodem anno 1220. Francofurti in Comitiis cum filio Conrado 4. ſuo anno 1250. ſucceſſore, ſibi reliquiſque Imperij Electoribus commendato, in Italiam progreſſus Romæ diademate ab Honorio 3. ritu ſolenni exornatus, indequo in Siciliam movens, totius Germaniæ Prorex conſtitutus eſt: Quam ob cauſam in illum Galliæ, Angliæ, Hungariæ & Bohemiæ reges reſpexere. Imo anno ſæpius dicto 1220. Joannes Rex Hieroſolymitanus Coloniæ ipſum convenit. In hac Proregis Germaniæ dignitate pacem quoque Imperii conſtituit & Diocœſin Colonienſem egregiè amplificavit, caſtro Turrino Moſellæ adjacente empto & Furſtenbergio addito: Inprimis verò in negotiis Eccleſiæ, libertatem Eccleſiaſticorum ſtrenuè aſſeruit, religioſorum ordines, in primis Dominicanorum & Franciſcanorum Coloniam Anno 1222. primum ingreſſos ſanctè coluit: Contra Advocatos & de cuſtodia vaſorum ſacrorum leges tulit.

Ac denique eodem 1222. Synodum Provincialem Coloniæ indixit. In publicis Imperij rebus 4. Idus Maij anni jam dicti 1222. Conradum 4. Friderici 2. Imp. filium puerum duodecennem apud Aquas Graneas regiis inſignibus inauguravit. Oppidum Attendarienſe novis aggeribus vallavit ejuſque loci incolas in privilegiis Suſatenſibus exæquavit: VVipperfurdenſes oppidanos ad vadum Viperæ fluvii, cum Adolpho nepote Henrici Limburgici filio, anno 1222. ab omni ſubjectione perpetuò liberos declaravit: tabulis de hac immunitate iiſdem publicis conceſſis. His rebus præclarè in imperio Diocœſi & Montibus geſtis, nihilominus à Friderico Iſenburgio, quia eundem ob violatam Monaſteriorum

Eſſen-

Essentiensis & VValerthinensis tutelã corripuerat, alij dicunt, quia Montium successionem aliquam denegárat, impetitus fuit & cum Theodorico licet Clivio & VValeramo Lutzenburgio de Namurcensi, cũ VValeramo Limburgio ejusq; filio Henrico de Montium hæreditate pactus esset, Theodorico monasterien sis Brunonis Osnab. Episcoporũ fratrum Friderici, ad quas dignitates Engelbertus eos promoverat, Ottonis deniq; Teckleb. & Lippiensis Comitum factione 7. Nov. anno 1225. inter Swelmam & Monasterium Grevelsbergium ab eodem plusquam 46. vulnerum inflictione nefariè interemptus, cujus corpus primo in Grevelsbergium cœnobiũ, indeque per Swelmam 25. Feb. an. 1226. in mõtis veteris Monasterium tandem Coloniam deductum & honorificè inhumatum est.

Engelberti autem hujus martyris in Archiepiscopatu Col. successor à Molenarck ut parricidium hoc nefandũ ulciscceretur, Fridericum Isenburgicum authorem sceleris Noribergæ in comitiis coram Friderico 2. Imp. qui filij Conradi cũ Leopoldi Austrij gnata copulati nuptias ibidem celebrabat accusatum, capitalem sententiam ex curia Norica tanto populi concursu latã, ut in illa turbâ 56 Equites aurati comprimerentur, accepit, eamq; ejusdem Imp. jussu executus primò ditionem Friderici ingressus est, castraq; ejus Isenburgium & Novipontanum diruit & in comitatu Altenano ferro & incendijs omnia miscuit, fratres ejus binos Episcopatibus privavit, quibus tamen postea restituti sunt: Fridericum verò parricidam ex fuga Leodium inter & Hoyam à Balduino Gennepio retractum, & Gerhardo Geltriæ Comiti & ab hoc sibi 14. Nov. an. 1226. traditum, quæstionibus subjectum, cum factum horrendum negare non posset, ante portam S. Severini capitali supplicio affici jussit, corpore in colliculo super lapideam columnam rotæ æneæ impositio, indeq; aliquandiu adhuc ad visum eminente ac prostante, jam verò destructo. Uxorem Friderici misellam eodem post homicidium à marito admissum anno, apud fratrem Ducem Limburgensem cum liberis profugam ex mœrore animi defunctã scribit Levoldus à Northof in Chronico Marcano: Matrem verò ejus infœlicẽ accepto filij sui horrendo facinore ita perculsam aliqui tradunt, ut Romam expiandi sceleris causa profecta, post reditum ordinis Præmonstratensis monasterium in comitatus Limburgici vico vicino Elsenio struxerit, in eoq; filij sui crimen copiosis lachrymis defleverit. Notatu vero digna est, inquit Heinricus Meivomius in notis ad Chronicon Levoldi à Northof ista tam severa animadversio in hominem illustri & generosâ familia natum, quæ majorum nostrorum gravitatem & adversus scelera atque flagitia extremum odium manifestat.

Adolpho & Engelberto fratribus comitibus Montensibus hoc modo extinctis ad prioris Adolphi filiam Engelberti neptem Montium hæreditas pervenit, quæ Henrico 4. Duci Limburgio nupta Adolphum & VValeramum filios edidit: Ex quibus Adolphus primogenitus licet, VValeramo fratri tamẽ juniori Ducatu relicto, in

Montibus succeſſit, quorum adminiſtrationem ipſo adhuc minorenne Pater cum Limburgica Provincia geſſit, & poſtea filio regimini maturo Montes tradidit.

De Provincia Limburgica.

Cæterum ut de Provincia Limburgica ejuſq; Ducibus aliquid cõſtet ex Miræo, Barlando & Harreo in Ann. Brab. notandum, eam ex 17. Provincijs unitis unã eſſe, cujus caſtrum ad Moſam fluvium, à quodam Henrico ejus loci dynaſta ſub Henrico 4. Imp. conditũ, qui inde ſe Henr. Limb. appellavit. Proficiſcente verò in terram ſanctã defuncto Bulloneo filius ejus Henricus 2. Lotharing. & Brabãtiam, ab eo accepit gubernandã, ſed poſt ſexennium adminiſtratione exutus cum Brabantia Godef. Arduennæ Principe defuncto ad Godefridũ Barbatum Lovanij comitem perveniſſet, ille nihilominus titulum retinuit, imo ter cum eodem ejuſq; filio Godef. 2. de eadẽ Provincia bello decertavit: Primò an. 1107. in diſſidio Henricorum Patris & filij ubi Henr. Limburgius, qui Patrem ſequebatur ab Henrico filio captus & ditione exutus, eaq; Godef. Barbati filius inveſtitus eſt: Sed cuſtodia Limburgius elapſus occupato Aquiſgrano bellum inſtauravit, à Godefrido ſecundo victus vix cum filio Walramo Pagano & nepote Henrico evadens. An. 1120. Lotharius Saxo Imp. Godefridum comitem Lovanienſem Barbati filium quod cum Conrado Suevorum Duce, contra ipſum conſpiraſſet, Ducatu iterum dejecit, ob quam cauſam in diocœſi Leodienſi novum prœlium inter Godef. Lov. & Henricum Limburgium ope Adolphi & Eberh. fratrum comitũ Montenſium adjutum, cõſertũ eſt, Victoria vero cũ Ducatu Lotharin. Walr. Henr. filio ceſſit, qui idcirco ejus Marchio appellatus eundẽ per omnem Lotharij Cæſ. vitam h. e. ad an. 1237. retinuit. Tum. n. Lothario defuncto, Conrado Suevus Godef. comiti Lov. Ducatũ viciſſim reſtituit: Unde ſub an. 1240 novum inter illos bellũ gliſcere cœpit. Godef. n. validâcũ manu contra Henricũ profectus D. Trudonis oppidũ expugnavit, ejectis Henrici fautorib. & amicis: Ipſo verò in cõgreſſu profligato atq; viribus exhauſto, victor in Brabantiam rediit: niſi quod titulum Ducis Limburg. & magnã Arduennæ partem Henricus retineret: Poſteriobus tamẽ temporib. iterũ à Grimbergianis inſtaurata ſunt bella, donec Godefr. 3. Barbati nepos, Margarethã Henrici Limb. filiam in matrimonium reciperet: Ex qua filios duos Albertum in Ducatu ſucceſſorem & alterum Albertum Leodinorum antiſtitẽ cum filia unica regi Angliæ nupta ſuſtulit.

Ex hac proſapia non tantum Comites & Duces Montium, ſed etiam Lutzéburgici Principes originem ſuam trahunt hoc modo.

Henricus 1. Dux Limburgius Lotharingiæ & Brab. gubernator ex Iutta uxore Henricum 2. ſuſtulit.

Henricus 2. & Adela de Arlon Walramum Paganũ reliquerunt.

Walramus Paganus Dux Lotharingiæ & Limburgi præter filiam Marg. Godefridi 3. Brabantini conjugem filios binos habuit, Henricum 3. Limburgi Ducem & Walramum comitẽ de Arlon: qui ducta Irmeſinde Namurcenſi vidua Baerenſi; pater fuit

Henrici

Henrici Lutzenburgici & is cum Beatrice Hannonia vicissim Henrici 7. Imperatoris. Ab hoc Johannes Bohemiæ Rex & ab illo Carolus 4. Imp. author aureæ bullæ ejus frater Wenceslaus Brabātiæ Dux & à Carolo Imp. bini iterum filij, Wenceslaus & Sigismundus descendunt: Sigismundus unicam tantum filiam reliquit Isabellam Alberto Austrio nuptam.

Henricus 3. Henricus 4. Limburgi Ducem Magarethæ Montanæ copulatum, & Walramum genuit, quorum hic post uxoris demum secundæ Irmesindis comitis Namurcensis filiæ obitum Dux Limburg: factus est. Pater Henricus, dictus senior, anno 1221, vita defunctus, in que Ecclesia Rhadensi conditus.

Walramus 2. Henricum 5, Henricum VValsend. & Gerhardum Bornensem dynastas edidit, quorum hic ante Patrem VValramum anno 1225, excessit.

Henricus 5. Hēricum 6. Walramum juniorem Elisabethæ Barrensi sociatum, Henricum Blondum, à quo comitis Lutzenb. ut jā diximus, progressi, Henrici Imp. avum produxerunt: Gerhardum deniq; & filiam Friderico Isenburgico desponsatam, procreavit; A quo moderni comites Limburgici ad Lenam. Dominiq; in Styrū & Bruch descendunt. Henricus 6. VValramum 3. genuit, qui anno 1284. ex Jutta Clivia, relicta filia Irmgarda Reinholdo Geldro desponsata excessit. Hi Duces Limburgij, Duisbergensis antiqui illius Germaniæ oppidi, Tutores & protectores fuerunt. Nam an. 1129. Lotharius Saxo Rom. Imp. Walramum Ducē Limburgium Saltuī Duisburgensi integro præfecit. Henricus vero Limburgius dictus senior Advocatus seu Tutor Duisb. appellatus est: VValramus verò nominis tertius cum Cunigunde conjuge Nemoris partem dictam **Oetenbruch** cum tribus mansis adjacentibus hac conditione die vinculorum Petri an. 1277. civitati largitus est, ut tres quotannis solidos in recognitionem ipsi exsolvant. Idem civibus agros novos vulgo (**das Newlandt**) perpetuò possidēdos an. 1278. feriâ sexta ante festum Barnabæ concessit: Cum verò Ducibus Limburgiis an. ut dictum est 1284. extinctis Principibus Geldris per matrimonium Irmgardis VValrami hujus 3. filiæ accederet, Reinholdus ejus maritus Comes Geldriæ octavus & ultimus civitati Duisburgensi an. 1287. feriâ 4. ante annuntiationem Mariæ omnia sua privilegia confirmavit.

Henrico 4. Limburgico, quia dote Provinciam Montanam acquisivit, ita applicavit Streithagenus in Tetrasticho illi destinato:

Sanguine Limburgi Princeps per fœdera lecti
Montensem tenuit cum ditione domum.
Iuvit ad hoc sanctus præsul, qui tempore multo
Tutelam neptis gesserat ante suæ.

Sed à Ducibus Limburgiis ad Adolphum Montanum, qui ex ijs ortus, revertamur.

Is Montium Comes hujus nominis 5, in ordine verò 8. sub Friderico secundo Imperatore præfuit & abjecta rosa quam Friderici

cus Isenburgius parricidio suo cõspurcarat, arma Limburgia Leonem coronatum inauratum, albo solo incedentem in armis suis & cum eo posteri exhibuerunt: Uxorem habuit Margaretham Iuliacam: Ex qua filios Adolphum Wilhelmum, Conradum & Henricum, Irmgardem denique filiam Eberhardo Marcano nuptam sustulit.

Anno 1235. ludo equestri 14. à Franconica nobilitate celebrato cum Gerhardo Iuliaco interfuit.

Ejusdem & fratris Walerami Limburgici Ducis in literis sigillatis Archivi Duisburgensis anno 1210. mentio.

Idem Monasterium veteris Montis anno 1133. à majoribus cœptum cum fratre Waleramo adhuc magis anno 1255. expolivit, pulcherrimiq; templi primum lapidem 5. nonis Martij posuit.

Tandem anno 1256. in ludi equestris comœdia Novesii, celebrata, sed quæ in tragœdiam desiit cum Eberhardo Marcano Adolphi primogenito, Comite Lossensi & 36. alijs nobilibus oppressus est, de quo Streithagenus.

Maternas patriis terras regionibus æva,
Fratre licet major prætulit ipse tamen.
Inde Monasterium veteri de Monte vocatum,
Restituit, motus relligione loci.

Filiorum ejus primogenitus Adolphus ejus nominis 6. Mõtium verò Comes in ordine 9. Patri successit, & sub Conrado 4. Friderici 2. filio Imp. præfuit, qui mortuo VValeramo 3. Duce Limburgico patruo anno 1284. etsi Reinholdus Geldriæ Comes ob uxorem suam Irmgardem unicam VValerami filiam, successionem quoq; prætenderet, quia tamen hæc sterilis ante Patrem excessit, Ducatũ Limburgium accepit, sed Iohanni Brabantiæ Duci eundem iterũ vendidit. Unde gravis controversia inter Siegfridum VVesterburgium Archiepiscopum Col. & Adolphum hunc nostrum Ducemq; Brabantiæ ex una parte, ex alterâ verò inter Reinholdũ Geldrum gentilemq; suum Adolphum Nassovium anno 1292. Francofurti Romanorum regem renunciatum, aliosq; suffragatores exorta, in bellum & pugnam VVoringensem an. 1288. initam desiit: Quia enim Engelberto Falckenburgio Archimysta Col. anno 1272. in carcere VVilhelmi Iuliacensis mortuo, Adolphus fratrem Conradum præpositum Coloniensem summi templi favore nobilitatis & populi subnixum in Archiepiscopum promovere sategit: Siegfriedus ejus æmulus, Respublica Colonienſis, quæ à Conrado ob suppetias Conrado, Hochstedeno Episcopo contra se præstitas, & multos civium in lignis ex Provincia Montana advehendis occupatos occisos, animo alieniori erat, favori repugnans Romam contendit & à Pontifice confirmationem obtinuit. Hæc litis inter Siegfriedum & Adolphum nostrum occasio. Accessit Ducatus Limburgensis successio, in qua Reinholdo Geldro contra Adolphum, qui jus suum Johanni Brabantiæ Duci vendiderat, Episcopus etiam patrocinatus fuit. Cum

Rein-

Reinholdo itaq: Geldro, ſuoque gentili Adolpho Naſſavio, itemque VValeramo Falckenburgio & Theodorico Morſano Archipræſul Siegfriedus: Cum Adolpho Montano Ioannes Brabantinus VValeramus Iuliacus; Eberhardus Marcanus & Reſpublica Col. ſuas copias conjungentes & VVorringæ decertantes Victoria licet cruenta die Bonifacij 5. Iunii anno prædicto 1288. penes Adolphum fuit. Etſi enim tres Comites Lutzenburgici VValeramus Ioannes & Balduinus ſibi militantes cæde proſtrati fuerint, ille tamen Epiſcopum, Brabantinus Reinholdum Geldrum cæpêre: Et ab iſto ſeptem annis in caſtro Novimontio detento, Adolphus **Rodenburg / Menden / Aſpelraede** viaſque inter Tuitium & Duſſeldorpium Linepat & Muiſpat, cum multa pecuniæ à VValeramo Falckenburgio & Theodorico Morſano extorſit: Reinholdus Geldrus ditione Limburgica cedens, pro eo Philippo Pulchro Galliarum rege fidejubente dimiſſus eſt. Tandem etiam poſt ſeptennales carceres, Archiepiſcopus, traditis omnibus modò nominatis partibus, cuſtodiâ ſolutus, contra datam fidem, aſtu per ſuos in ripa Rheni ad id clam diſpoſitos milites Adolphum iterum intercepit, nec carceribus licet partes omnes cum pecunia paratus eſſet, liberare voluit. In his igitur anno 1295. defunctus Greveraediæ tumulatus eſt. De quo Streithagenus.

Iura Brabantinus Limburgia vendidit auro,
Vnde gravis nimium cæpit origo mali.
Mox Vbio à myſta quem captum incluſerat olim,
In caveam, miſeram juſſus obire necem.

Adolpho hoc modo ſine liberis ex conjuge Agnete Limburgica Theod. filia alijs Spanheimia alijs Seinenſi relictis extincto ubi annis 40 præfuiſſet, frater VVilhelmus ejus nominis primus, Montium verò Comes in ordine decimus, ſub Alberto Auſtrio Imp. factus eſt anno 1296. cujus cum Gerhardo Iuliaco & Theodorico Clivio an. 1208 in diplomate ejuſdem Alberti Cæſaris Reipublicæ Duiſburgenſi conceſſo, & in archivis aſſervato mentio. Idem fraternam captivitatem ſtrenuè vindicavit.

Anno 1303. certis pacis literis cum eadem Republ. Duesburg. compoſuit.

Et ubi annos 512. Montibus præfuiſſet, nec ipſe ex uxore Aldenburgica alijs Arenſbergica prolem ſuſcitaſſet, anno 1308. in Aprili mortuus & in veteri Monte conditus comitatum fratris Henrico VVindeciæ Domino reliquit, qui Comitum ejus nominis primus in ordine verò 11. ſub Henrico 7. Lutzenb. Imp. factus. Solus ex Agnete Marcana Engelberti filia, Adolphum ſucceſſorem & hæredem reliquit. Obiit an. 1310. De VVilhelmo ita Streithagenus:

Fraterni vindex caſus ſed viribus impar,
Affectum vana teſtificatus ope eſt.
Poſtremo moriens ulla ſine prole reliquit,
Windecio hæredem de genitore ſatum.

Adolphus ejus nominis septimus Montium verò Comes in ordine 12. anno 1308. patruo VVilhelmo, sub Imperio Ludovici Bavari & Caroli 4. Cæsarum, surrogatus, anno 1312. feriâ sexta post Paschatis solennitatem, Agnetem Theodorici octavi Clivorum Comitis 24. & Margarethæ Hasburgicæ filiam uxorem duxit & cum ea urbis Duesburgensis pignus in dotem accepit. Ex ea verò Adolphum & VVilhelmum filios, cum filia Margaretha Ottoni Comiti Ravensburgico desponsata genuit.

Anno 1322. Mullenheimio privilegia oppidanorum cum jure muniendi se dedit, reclamante Siegfriedo VVesterburgio Archiepiscopo Colon. qui tandem etiam eum, ut duo ad Rhenum propugnacula quorum unum Mullenheimij, Menheimij, alterum in Montibus suis struxerat, dejiceret coëgit. Anno 1325. festo Remigij Lennepiam privilegijs suis instruxit.

Idem Ludovici Bavari Imp. partes contra Fridericum Austriacum fovit, eandemque ob causam Henrico VVerneburgio VVesterburgij in Archiepiscopatu Colon. successori damna multa intulit.

Cum eodem Ludovico Imp. alijsque Germaniæ Principibus anno 1326. Romam profectus militiæ Equestris insignia accepit. Eduardo etiam 3. Angliæ regi contra Galliarum regem Philippum militavit.

Anno 1328. Adolpho Marcano Episcopo Leodiensi cum fratre ipsius Engelberto Marcæ VVestphalicæ Comite & Reinholdo ejus nominis 2. Geldriæ Comite, contra rebelles cives adfuit.

Ab eo Theodoricus nominis nonus Clivorum Comes penultimus, anno 1334. castrum & dominium Holtense, sibi oppignoratum, ære redemit; anno 1336. cereviſiarum fermentum, quod vulgo Gruitam vocant, civibus Duisbergensibus pro certa pecuniâ concessit.

Anno 1337. ludo equestri Rhenensi interfuit.

Anno 1343. cum VVilhelmo primo Iuliaci Marchione & Duce, pacem inter VValeramum fratrem ejus Arhiepiscopum Colon. & Adolphum Marcanum constituit.

Filios ut diximus binos habuit, Adolphum & VVilhelmum, sed cum Patri obstreperent, ipsoque adhuc vivo sed capto regimen ambirent, vindicta divina eos prosequente, neque hæredes reliquerunt, neque eidem supervixerunt, ideoque nec in catalogo Principum Montensium memorandi.

Tertia verò Margaretha Ottoni Comiti Ravensburgico copulata, Patriahuc 1348. post 40. annorum imperium defuncto & in vetere monte inhumato successit. De Adolpho ita Streithagenus.

Pacis amans partes discordes fœdere junxit,
Et placida monuit conditione frui.
Attamen & sobolis geminus cen patruus, orbus,
Affini liquit debita jura suo.

Otto

Otto Ravensburgicus Montium Comes in ordine 13. ex Margaretha Montana iterum filiam Margaretham reliquit, Gerhardo Wilhelmi primi Juliæ Marchionis & Ducis filio primogenito sociatam, qui Montium Comes hoc auspicato conjugio factus 14. & ultimus, utrumque Comitatum tum Montanum, tum Ravensburgicum Juliacæ Provinciæ conjunxit. Ex conjuge verò VVilhelmum successorem primum Montium Ducem Margaretham Adolpho Marcano Clivio anno 1364. copulatam genuit.

A filio VVilhelmo vindice Dei manu iterum captus est, & dimissus in duello cum Arnholdo Blanckenheimio Comite anno 1360. ut liber memorialis veteris montis habet occubuit. In hastiludio enim Sleidano, juxta Trutheimium sese mutuo impetentes, dum neuter satis cavet, ambo alterius lancea simul confixi sunt: Gerhardus inde veteris Montis Monasterium traductus, ibidem tumulatus est. Et ad ipsius latus uxor Margaretha Montana & Ravensburgia anno 1389. defuncta: De Ottone ita Streithagenus:

Otto Ravensburgi castris Montensia junxit,
Perpetuò deinceps associata jugo.
Quæ mox Iuliacus possedit origine Princeps
Tamque cui genero fata regenda darent.

De Gerhardo verò Julio sic:

Conjugis accepit fasces, pro dote, vacantes
In spem quæ generis sola superstes erat.
Felix in medio proritans fata duello,
Vulneribus caderet dubius ante diem.

PROVINCIÆ MONTANÆ

Sectio secunda.

De Montium Ducibus septem.

ENarratis Comitibus Montium 14. Duces eorundem septem succedunt quorum primus VVilhelmus Gerhardi filius dictus de Julia Montium Dux Ravensburgi Comes Blanckenbergæ Dominus sub Carolo 4. VVenceslao ejus filio & Roberto Palatino Bavariæ Duce Imp. anno 1360. patri mortuo successit; A VVenceslao verò Cæsare Imperii Ductibus anno demum 1389. annumeratus annis 48. summa cum laude Montibus præfuit. Julia enim VVilhelmo patruo, quia ante avum VVilhelmum, pater Gerhardus obierat, sola relicta est; Uxorem habuit Annam Roberti Palatini, Bavariæ Ducis; & postea Romanorum Augusti filiam.

Ex hac Gerhardum in juventute defunctum, Adolphum successorem Robertum & VVilhelmum filios & filiam Margare-

tham, anno 1379. Ottoni Duci Brunſwicenſi copulatam genuit.

Ex filijs Robertus poſt Simonem 2. Comitem Sternbergium anno 1389. in obſidione caſtri Brobeccenſis ſagitta transfixum in Epiſcopum Paderbornenſem electus poſt præſulatum quinque annis laudabiliter adminiſtratum in obſidione arcis Padbergenſis peſte anno 1394. extinctus fuit.

Hunc Crantzius lib. 10. Metropolis cap. 39. juvenem appellat imberbem quidem, ſed ſupra caniciem ſenum prudentem & ingenioſum, magnanimum, juſtum. Dei tumentem, & in pauperes liberalem, tantæque virtutis, ut brevi ejus rumor diffuſus, timorem ingeſſerit latronibus raptoribusve: Et omnes non ſolum Weſtphaliæ, ſed etiam totius Saxoniæ Principes, Comites, Barones in eum reſpexerint.

Ipſi defuncto primum quinque annis Ioannes Hoijæus, deinde frater VVilhelmus unanimi' capituli Cathedralis voto anno ætatis 18, Chriſti 1399. nominatus ſucceſſit: qui tamen non hac tantum Epiſcopali Paderbornenſi, ſed Archiepiſcopali quoque Colon. ad quam multorum ſuffragiis quoque evehendus erat, dignitatibus, partim abdicatis, partim relictis, poſt annos 14. Annam Nicolai Comitis Tecklenburgiaci & Annæ Mörſenſis, Theodorici Archiepiſcopi Col. neptem egregiam puellam duxit: nuptiis in arce Arnſbergenſi avunculo Archipræſule Colon. præſente, ſummâ lætitiâ ac celebritate anno 1415. peractis. Ex quo conjugio Gerhardus, Patrui ſui Adolphi anno 1437. ſucceſſor natus eſt: de quò poſtea.

Ad res geſtas verò VVilhelmi de quo agimus, Patris & Avi horum liberorum, quod attinet, is anno 1360. Patri ſuccedens ad majorum exemplum immunitates Reipubl. Duisbergenſi eodem anno cum matre confirmavit, anno 1371. bello Iuliacenſi inter VVenceſlaum Brabantinum & VVilhelmum 2. Iulium nepotem ut ſupra diximus geſto interfuit, & cum Eduardo Geldro nepotis affine egregiam ejus victoriam in Buſweilerio campo Iulio adiuvit. Ut verò nervus belli ſibi ſuppeteret neceſſarius eodem anno Adolpho Marcano Clivorum Comiti pro certa pecuniæ ſumma Dynaſtiam Blanckenburgiam obligavit.

Eodem anno 1371. Simonem Lippienſem, ab Ottone Teckelburgico adjutus poſt multa utrinque damna in comitatu Ravenſburgico data & accepta cœpit.

Anno ſeq. 1372. Theodoricus Marcanus adminiſtrator Oſnabrugenſis, eum contra Florentium VVevelinchofium Epiſcopum Monaſterienſem caſtrenſes arcis Ravensburgicæ ditionem ipſius hoſtiliter ingreſſos, Verſmeldium uſque perſequentem adjuvit. Eodem anno prope Tremoniam captus armis ſuorum & numeratis 400. ſcutatis dimiſſus eſt.

Anno 1393. cum civitate Duisburgenſi de quibuſdam gravaminibus tranſegit.

Anno

Anno 1397. ob Telonium Cæsar insulanum cum Adolpho primo Clivorum Duce affine bellum gessit: Et Reinholdi Juliæ & Geldriæ Ducis nepotis, Joannis Lossensis & Heinsbergij, Simonis Salmensis, Novariensis, & Seynensis Comitum, Helpensteinij, Rierferscheidij & Westerburgij Dynastarum suppetijs subnixus saltum Clivensem (vulgo **Cleverham**) ingressus, & cum Adolpho fratreque ejus Theodorico, & Friderico Morsano hujusque tribus fratribus, Dominoq; Alpensi congressus pugnam sorore sua Margaretha, matre Adolphi in turri Cygnea inspectante, iniit, sed 7. Junij cum asseclis superatus & captus, ille quidem victori telonium Cæsarinsulanum ejusque subditorum in omnibus Montensibus teloniis immunitatem Linzium etiam & Regiomagum: Reinholdus Iulius & Geldrus oppidi Embricensis insularumque adjacentium Limersiæ item atque Hetteriæ dominium, Ioannes Heinsbergius, Gennepæ medietatem, Simon Salmensis Ravensteinium cedere coacti sunt. Cum verò in hoc bello præterea Adolphi frater Theodoricus Marcanus in Provincia Montana grassaretur, ibique ante Erverfeldiæ obsidionem à milite Saxonico ictus 14 Martij anno 1398. occubuisset, filius Wilhelmi Adolphus vicissim comitatum Marcanum ingressus, omnia in eo depopulatus est.

Anno 1400. Neoburgium & Leobergium castra à Joanne Comite Lossense & Heinsbergio occupata recuperavit, Montibusque suis iterum vindicavit.

Opera ejus Ecclesiastica sunt, quod anno 1392. Collegium canonicorum Dusseldorpij instituit.

Turres etiam S. Severini, & SS. Apostolorum Coloniæ struxit anno 1394, in Collegium S. Martini Coloniæ benevolus ab eodem anno 1393. Seamen S. crucis sibi à Brunone Episcopo fratre Ottonis Magni Imp. datum obtinuit.

Tandem à filio Adolpho diuturnioris ejus regiminis pertæso in castro Novimontio anno 1403. custodiæ traditus, ab hac anno 1404. filio, à socero Roberto Imp. rogatu conjugis filiæ ejusdem Annæ proscripto, liberatus ab Henrico ab Are filij Comitis Ravensburgii æmulo Zonsam ad Fridericum Saerwerdanum Archiepiscopum Col. adductus est, donec anno 1408. mortuus & in Monte veteri conditus, Montium & Comitatus Montis Corvini Imperium Adolpho tradidit: De quo Streithagenus,

Egregios supra natales sanguinis alti,
Cæsarea voce est auctus honore Ducis.
Quid tamen? Ingrati est expertus crimina nati,
Et nocuit vitam continuasse seni.

Adolphus secundus Montium & post mortem Reinholdi ejus nominis tertio Juliæ ac Geldriæ Duce Anno 1423. defuncti quintus Juliæ & sextus Geldriæ Dux, Comes Ravenburgicus & ob uxorem Pontis Martini Marchio sub Impp. Roberto Palatino & Sigismundo Wenceslai fratre præfuit.

Uxorem

Uxorem duxit Jolandam Roberti Ducis Barrensis filiam ex qua Robertum unigenitum suscepit, ante Patrem anno 1434. mortuum: Mater verò ipsum anno 1421. præcessit Dusseldorpii humata: Post cujus fata Elisabetham Ernesti Bavariæ Monachij Ducis filiam superinduxisse quidam scribunt. Juvenis & cœlebs castra, quæ Parens in captivitate Adolpho Duci Clivio concesserat anno 1400. in primis Lewenburgium, in quod Jo. Lossen. prætendebat, recuperavit.

Eodem anno 1420. jus præfecturæ Siegebergensis acquisivit. Postremo 1403. diuturnioris imperii illius pertæsus, ipse ad hoc anhelans custodiæ tradidit, sed ab avo materno Roberto Palatino Cæsare proscriptus Patrem quoque Adolpho Duce Clivio asserente libertati restituit: Cum pater Comitatum Ravensburgium quem diu antea à Patre gubernandum acceperat, etiam Provinciæ Montanæ illam partem quæ cis Viperam est, consequeretur, donec in integris Montibus regundis eidem anno 1408. succederet.

Anno 1414. defuncto Friderico Saerwerdano Archiepiscopo Col. quod frater VVilhelmus jam tum Episcopus Paderbornensis fratris Roberti post Joannem Hoyæum an. 1399. successor in Archiepiscopum Col. à quibusdam electus esset, hunc in consequendâ dignitate adjuvit. Quia verò Theodoricus Morsanus Friderici mortui nepos favore Joannis 22. Papæ, Archipræsulatum adeptus, pro asserenda sibi Insula Provinciam Montanam cum civibus Colonienſibus ingressus, bellum ipsi movebat, & patriam vastabat contra hunc cum Gerhardo Clivio nepote profectus, Tuitium evertit, & transmisso Rheno in Ubiis similiter omnia depopulatus est, donec ex compositione Sigismundi Imp. Archiepiscopatu Theodorico Morsano relicto VVilhelmus frater Annam Tecbleburgensem sacris ordinibus relictis annò 1411. duceret, Theodorici neptem: ipse in diœcesi Col. ultra Rhenum Vicarius constitueretur.

Anno 1418. Gerhardum Marcanum nepotem accusavit, sed anno 1426. Adolphum vicissim Gerhardus Commissariis Ludovico Bavaro Palatino Rheni & Reinholdo Juliæ & Geldriæ Duce impetratis.

Postmodum in Adolphi hujus Montium Ducis gubernacula successiones, Barrensis ob uxorem: Julia & Geldrica ob Patrem debitæ, inciderunt.

Ob successionem Barrensem primò in terram hanc anno 1417. profectus, commeatu deficiente, & milite peste infecto inglorius rediit.

Hoc eodem anno 1417. de Mullenheimii ad Rhenum munitione cum Colonienſibus disceptavit: Ob eandem anno inseq. 1418. cũ Theodorico Morsano Archiepiscopo &c. pactus est: Eodemq: anno 1418. cum Gerhardo Marcano, anno 1420. cum Adolpho Clivorum Duce convenit & anno 1424. pignora Sintligium &

Regio-

Regiomagus 14. mille ſcutatis numeratis redemit. Anno 1423. ſucceſſio Juliæ & Geldriæ aperta eſt. Defuncto enim hoc anno Reinholdo 4. Juliæ ac 5. Geldriæ Duce ob avum Gerhardum Julium Wilhelmi primi Montium Ducis filium utriuſque Provinciæ hæreditas ſibi jure debebatur contra tamen ipſum Arnholdus Egmundanus ob aviam Johannam Wilhelmi ſecundi Juliæ Ducis filiam, ſucceſſione prætensâ, Geldriam quidem Provincialium favore occupavit, Iuliam verò à futuro ſocero Adolpho Cliviæ Duce, qui illi filiam Catharinam deſponſarat, itemque fratre Ioanne Egmundano & Ioanne Loſſenſe atque Heinſbergio adjutus invaſit.

In annum 1424. ſecunda in terram Barrenſem profectio Adolphi incidit, quæ fœlicius quidem quàm prior ſucceſſit: Univerſa enim penè caſtra & oppida in deditionem ſuam accepit: Verum Veſtali formoſæ illicito coitu mixtus, proditioneque ſuorum captus & ultra annum detentus, adveniente filio Roberto, & jus maternum abjurante, libertati redditus eſt.

Anno 1425. die Iovis Pentecoſten anteced. eum Sigiſmundus Imp. præter Iulium, Ducatu quoq; Geldrico diplomate Budæ dato inveſtivit. Hoc eodem anno Adolphus quoq; de ritu Lipſana aſſervandi & commonſtrandi leges Aquis tulit: quippe Reipublicæ illic Advocatus & templi regii præpoſitus hæreditarius. In templum tamen Ioan. Loſſenſis & Heinſbergius, 4. non. Maij an. 1428. ſatellitio ac famulatu ſuo ſtipatus irruit, ibidemque inter ſepta & cancellos ejus aræ, ubi duo ſacerdotes oblationes fidelium recepturi ab Adolpho conſtituti erant, in præſentes diſploſis ſclopetis ſæviit, ita ut ex vicariis regiis Reinherus de Wylre vulneratus fuerit. Idem Adolphus ipſa Matthæi an. 1426. filio Roberto Mariam Harecourtiam Reinholdi Iuliæ & Geldriæ Ducis viduam Coloniæ ſumma cum celebritate conjunxit: qui tamen in conjugio hoc vix decem annis exactis Noribergæ ut ſequetur, litē contra Egmundanum ſecutus anno 1434. ſine hærede ante Patrem extinctus eſt.

Cum enim die Martij ante Mariæ Magdalenæ feſtum an. 1431. comitia Noribergenſia celebrarentur, in his Sigiſmundus Imp. à Roberto Adolphi filio Nicolao de Giſſen, & Petro Kalte de Oeltenrich dicto Iulio præpoſito Northuſano rogatus ter Arnholdum Egmundanum citavit, & eo non cōparente, per Conradū à Winsbergk Camerarium Sacri imperij perpetuam contra ipſum ſententiam banni pronuntiare juſſit, quam Cæſaris nomine Caſpar Schlick Cancellarius ſubſcripſit. Hæc an. 1433. feria 6. poſt omnium ſanctorum repetita & an. 1434. itidem Noribergæ confirmata fuit: donec eodem anno filio Roberto ibidem mortuo, Adolphus an. 1436. cum Egmundano quatuor annorum inducias paciſceretur, in quibus 8 Iulij anno 1437. in Abbatiâ S. Pantaleonis ſeu Martini majoris ut appellatur Eccleſiâ nullo relicto hærede exceſſit, controverſiis Iulia & Geldrica ex fratre VVilhelmo nepoti Gerhardo ſucceſſori relicta.

Mortuus

Mortuus in monte veteri apud majores inhumatus, de quo Streithagenus.

Cognatæ avulsis iterum regionibus aulæ,
Iuliacam propior sanguine cæpit humum.
At verò in dulces crudelis mente parentes,
Æternas maculas impietatis habet.

Adolpho igitur Gerhardus ex fratre Wilhelmo Ravensburgio Comite nepos, successit: sub Sigismundo & Friderico Austriaco Impp. factus Dux Montium tertius, Juliæ quintus, Geldriæ 7. comesque Ravensburgius: quem Sigismundus Imperator an. 1437. in Vigilia exaltationis crucis Pragæ ad petitionem Ioannis de Stamheim & Nicolai de Gisse legatorum suorum omnibus his Provincijs inauguravit, ejusque in imperio successor Fridericus 3. Austriacus in vigilia S Petri ad vincula anno 1442. confirmavit.

Uxorem habuit Sophiam Saxonico Leoburgicam, Bernhardi Saxoniæ Angariæ & VVestphaliæ Ducis filiam.

Quæ cum aliquandiu sterilis maneret, cum conjugibus Theodoricus Morsanus Archipræsul Colon. datis centum florenorum millibus transegit, ut sine hæredibus relictis excedentes Ducatus Iulius & Montanus diœcesi Col. accederent, iisdem verò extantibus Dominium Blanckenbergicum obtineret.

Pactis anno 1450. vesperâ Iacobi Apostoli ex parte Archiepiscopi subscripserunt, præter ipsum Archiepiscopum, Decanum, & Capitulum Metropolitanum, Wilhelmus Comes Limburgius Bedburæ Dominus, Gumprechtus Comes Neuwenarius Dominus in **Alpenn**/ Archipræfectus Colonienſis, Robertus Comes Viernenburgius, Ioannes Reifferscheidæ, Dickæ, & Alsteræ Dominus Archimareschalcus, Wilhelmus Wesflinghoviæ, Roerichius Rennēbergæ Dominus, Adamus ab **Oetgenbach** Dominus **in Ehrenstein**/ Ioannes Burggravius Reineccensis Dominus in **Broich** & **Tombergh**/ Lotharius Zuadus ejusdem Tombergæ, sicut etiam Landtzcronæ Dominus, Ioannes à **Gimmenich** Vischeliæ toparcha, Gerhardus ab **Einenbergh** Landtscronæ quoque toparcha. Scheiffardus à **Merode** Dominus in **Bernheim**/ Engelbertus ab **Orsbeck** Dominus in **Oplbrugh**/ Gothardus Drachenfelsæ hæres in **Oplbrugh** quoque Dominus, Theodorus **Beisel** à **Gimmenich**/ Ioannes ab **Henebergh**/ & Ioannes ab **Hangschlede**/ equites, Ioannes Drachenfelsæ Dominus, Arnholdus ab **Hoemen** Dominus in **Oedenkirchen** / Scheiffardus à **Merode** Dominus in **Hemmersbach** Ioannes à **Scheidungen**/ Ioannes ab **Hoemen**/ Heidtgenius à **Weier** Emundus **Beissel** à **Gimmenich**/ Henricus **Rolman** à **Velenberg**/ Adamus ab **Hensclaer**/ Henricus **Rolue** à **Vettelhoven**/ Conradus **Wrede in Repderen**/ Henricus **Wolff in Ludinghausen** Gothardus & Hermannus **Furstenberg**/ Henricus ab **Ense** Gerhardi filius, Conradus **Roist** Arnholdus & Henricus à **Beringhausen**/ Fridericus Ketlerus, Volbrechtus **Scheide**/ VVichardus ab **Ense** dictus **Schindewindt** Bernhardus

Gravius

Gravius Junior, Bernhardus a **Westerholt**/ Rutgerus ab **Horst**/ Henricus ab **Horst**/ Henricus à **Bercken**/ Hermannus à **Durfelt**/ Godtschalcus à **Padbergh**/ Theodorus ab **Erwue**/ Johannes **Schmugel**/ Lambertus à **Welschede** Henricus à **Plettenberg in Hirtklinghausen**/ Joannes à **Schnellenberg**/ Henricus ab **Vffelen** cum totius diœcesis oppidis.

Ex parte Gerhardi Juliæ & Montium Ducis; & Comitis Ravensburgij, prætet ipsum Ducem & Ioannem à **Loen**/ Iuliæ, Hinsbergij, ac Leuenburgi Dominum, ratum, manus suæ testimonio habuere Weinherus Palandus Bredenbendæ Dominus, Wilhelmus à **Nesselrandt** Dominus in **Stein**/ Engelbertus à **Birgel** Archimatschalcus Iulius; Gothardus ab **Herff**/ Ioannes & Adolphus Zuadi fratres; Richoldus à **Merode** Dominus in **Erentz**/ Wilhelmus & Ioannes à **Nesselrandt** Fleckenij defuncti filij, Wilhelmus à **Dietrenn**/ Adamus ab **Hetzingh**/ Ioannes & Henricus à **Geiszbusch**/ quorum hic præfectus aulæ hæreditarius, Gothardus Archicametarius Iulius; Ioannes & Adamus ab **Ruwe**/ Ioannes à **Schoenradt**/ Henricus à **Creutzhaussen**/ VVilhelmus à **Lintzenich**/ Hermanus à **Winckelhausen**/ & Rolandus ab **Aredael** equestris dignitatis viri; Ulricus ab **Holtrop** Henricus & Reinherus **Spiesz** à **Bullesheim**/ Carsilius & Ioannes à **Palandt** fratres, Hugo **Greve**/ Adamus ab **Harff**/ Godeschalcus ab **Have** Lambertus à **Brunszheim** Ioannes ab **Hauls**/ Ioannes & VVilhelmus Nesselradii Domini in **Stein**/ VVilhelmi filii; Robertus **Stael** ab **Holstein** VVernherus à **Bebesheim** Reinherus ab **Hurgenpott** Reinherus ab **Vlenbruch**/ Theodorus à **Langel** Reinherus à **Loe** VVilhelmus à **Landtsbergh** Gothardus à **Godenhaw**/ Ludovicus & Ioannes **Nagel** Adelhardus ab **Hueve**/ VVilhelmus à **Waldt**/ Iohannes à **Kerssenbroich**/ Rembertus à **Overnheim** Bernhardus à **Walendorff**/ Hermann. ab Elsen, Arnholdus à **Nuchterscheim**/ Arnholdus à **Veinsse**/ & Nicolaus à **Rottenheim**/ cum omnibus trium Provinciarum oppidis.

Verum cum post hunc contractum divinâ benedictione Gerhardi Iuliæ & Montium Ducis, Comitisque Ravensburgici cum Sophia Saxonico-Leoburgica conjugium fœcundum redderetur, filijs binis Wilhelmo anno 1456. & Adolpho anno 1458. totidemque filiabus, Sophia Bernhardo Principi Anhaltino Ascaniæ Comiti & Anna Saerwerdensi Comiti nuptis, ipsi natis; Archiepiscopo Colonienſi successio in Iulia & Montibus abrogata est.

Ad res gestas Ducis Gerhardi quod attinet, is Theodorico Morsensi Archipræsuli Colon. anno 1433. in obsidione castri Bruchij prope Duisburgum siti, contra Adolphum Ducem Clivorum primum, opem tulit, illudque captum cum vico Mulheimio ad Ruram castro subjectum Adolpho à Theodorico Limburgio

burgio pro 900. florinis oppignoratum, ab Archiepiscopo numerata hac pecunia redemit.

Anno 1437. mortuo Adolpho prædecessore, eum Arnholdus Egmundanus, Geldriæ occupator, & Juliæ invasor nemore Imperiali & Duffelia, cum castro, & dominio Wachsendorvio, Adolpho 1. Clivorum Duci socero obligatis, bello adortus est. Etsi enim Sigismundus & Fredericus 3. Impp. Aquisgrani feria proxima post S. Viti anno 1442. de Ducatibus Geldrico & Iulio Gerardum nostrum conjunctim investiverint, ut jam diximus. Idemque solus Fridericus Francofurti Anno eodem, Viennæ denique ante S. Viti memoriam anno 1458. confirmavit: Arnholdus tamen Egmundanus Iuliam ingressus multa Provinciæ damna intulit, donec Geldria sibi perpetuò retenta, nervo belli pecuniâ ampliore deficiente, pro Iuliæ prætentione decem millibus florenorum à Gerhardo numeratis, paceque per Annos 14. firmata, retrocessit. Cum verò Egmundanus has conditiones non servaret, sed anno 1444. Ducatum Iulium iterum ingressus esset, hunc eodem anno ipso Huberti, seu 3. Novembris Gerhardus insigni ac memorabili victoriâ devicit, unde dies ille subditis solennis ac sacer deinceps fuit: Eademque de causa Gerhardus anno sequenti 1445. monasterium Crucigerorum Dusseldorpij erexit. In bello Colonienſi inter Theodoricum Morsanum Archiepiscopum & Adolphum primum Clivorum Ducem, ejusque primogenitum Ioannem ab anno 1444. usque ad annum 1450. ob Sufatum gesto, neutrius partes secutus, reconciliationem tantum belligerantium proposuit: Nec tamen planè ex hoc bello immunis fuit: Ob Gawinum enim Swaneburgium in aula sua, ut ajebant contemptum habitum, Bohemi Episcopo patrocinati, in reditu cómitatum Ravensburgium vastarunt.

Anno 1468. Castrum Monfortium 4. circiter septimanis obsedit, sed propter Ducem Brabantiæ illud relinquere coactus est.

A Friderico Somerefio calumniam perpessus, filios Wihelmum Adolphum ad obsidenda ejus castra submisit, ubi anno 1470. Adolphum in expugnatione Thoneburgij amisit.

Anno 1471. Greverodium Monasterium cum uxore reformavit.

Anno 1473. 20. Iunij acceptis 80. florenorum Rhenénsium millibus jus quod in Geldriam & Zutphaniam ei à majoribus competebat in Carolum Burgundum, metu tanti hostis, & ne se suosque perderet, transtulit.

Ex gravissimo morbo in sensuum debilitatem incidit: Ob quam uxore cum filia Wilhelmo superstite Provincias administravit, donec anno 1475. mortuo his successit: De patre Gerhardo ita Streithagenus:

Vt tulit

Vt tulit extincti Patrui successor habenas
Hæres dissidij hic fuit illa mali,
Donec in Audacem pacto ius transtulit auro
Burgundo adjiciens Geldrica rura Cruci.

Gerhardus in Veteri Monte, conjunx Sophia, cum filio secundo genito Adolpho Nideccix conditi sunt.

VVilhelmus 7. Iuliæ, 4. Montium Dux, Ravensbergæ, Blanckenbergæ ac Hinsbergæ Comes sub Friderico 3. & Maximiliano 1. ejus filio Austriacis Impp. vixit.

Uxores binas habuit:

Primam Elisabetham Nassoviam, Iohannis Nassovij Saræpontani ex Iohanna Iohannis ultimi Comitis Lossensis, Hinsbergæ, Dusthemiæ Siechemiæ ac Lewenbergæ Dynastæ filia natam, omniumque harum ditionum hæredem anno 1472. ductam.

Hac sine prole relicta in puerperio anno 1479. defuncta, Alberti Achillis Germanici Electoris Brandeburg. filiam Sybillam. Anno 1481. Dominica Iohan. Baptistæ solennitatem proximè sequente nuptijs Ubiorum Metropolis Coloniæ Agrippinæ platea Iohannitica in aula Veteris Montis Colonien. & Treviro Electoribus Archiduce Maximil. & 30. alijs comitibus multisque viris nobilissimis præsentibus, magna cum solennitate celebritatis, superinduxit: Ex eaque Mariam filiam unicam anno 1491. tertia Augusti natam suscepit: Unde versus

Ecce nunc Iulia lætetur prole Mariâ,
Nova sua, quia erit nobis vita Sophia.

Anno 1477. nuptiis Maximiliani Austrii & Mariæ Burgundæ Gandavi interfuit.

Eodem anno dissidium inter Robertum Palatinum Bavariæ Ducem Archiepiscopum Colonien sem & Canonicos summæ Ædis composuit.

Anno 1479. civitati Colonien si ob salices & frutices ultrà Turrim Beyensem in alveo Rheni positas adversatus, quod juri-dictionem suam diminuerent, universas, cum aliquoties ut à cœpto Magistratus desisteret, monuisset, per armatas suorum manus dejecit.

Anno 1484. Hinsbergiæ hæreditatem, quam ab uxore prima per conjugium acquisiverat, & jam ingenti pecuniæ summa numeratâ redemerat, adiit; eamque permutatione, ut jam dicemus, anno 1499. cum Engelberto Nassovio instituto accedente in perpetuum, ditioni Iuliæ adjunxit.

Anno 1485. infeudationem de Ducatibus & Dynastiis suis omnibus à Friderico Imperat. Aquisgrani consecutus, ab eodem Anno 1487. telonii inter Lulstorpium & Bonnam in Rheno collocandi potestatem magno ære impetravit; Cui cum Archiepiscopus & civitas Colonien sis reclamarent, alterum in

Siegâ obtinuit : Sed anno 1489. ordinibus Patriæ qui ad Maximilianum Friderici filium tum in Belgium deducendum, tum eundem è captivitate Brugensi liberandum, VVilhelmo Principi suo Impp. patrocinanti liberaliter admodum subministrarent, novum à Friderico vectigal obtentum se abrogaturum, nec alia præter consueta introducturum, promisit. Eidem tum quoque Frider. Imperat. oppida Heinsbergam & Geilikircham recenter acquisita, eodem privilegio quo reliqua integræ ditionis gavisura esse, concessit; Cum Maximiliano Friderici filio ejusdemque Imperio successore anno 1495. Comitiis VVormatiensibus quoque interfuit.

Eodem anno Castrum Monfortium à Juliacensibus expugnatum, quod inde prædatores Viatoribus quotidie insidiarentur demolitus est.

Anno 1496. collationem quam ordines Patriæ in redimendis variis oppidis fecerant eis inposterum minimè præjudicaturam recepit.

Ubi anno 1478. regiminis ingressu cum Johanne ejus nominis 1. Duce Cliviæ & Comite Marcano convenisset, anno 1403. propè Duisburgum inter Angerorthum castrum & VVanheimium, pagum sub dio cum filio ejus Iohanne 2. congressus de rebus suis tractarunt. Tandem anno 1496. die Catharinæ hæreditaria unione cum ipso conjunctus Iohanni 3. filio Mariam filiam unicam, & omnium ditionum hæredem promisit.

Anno 1497. cum Republ. Colonienſi unitus est.

Anno 1499. cum Engelberto Nassovio, Millensem Fuichtanam & Gangeltinam præfecturas, cum dynastiis Diestia Siechemia & Burggraviatu Antwerpiense permutavit.

Eidem Engelberto Nassovio, Bredæ Dynastæ dominium Diesthemium postea vendidit.

Anno 1503. jus quod Archiepiscopus Colonienſis in civitate Hervordiensi habuit ad se transtulit.

Anno 1504. Carthusianis Monasterium prope Iuliacum cum uxore Sybilla Brandeburgica ædificavit.

In controversia autem successionis Geldricæ, quæ inter Maximilianum Cæsarem, & Carolum Egmundanum Adolphi filium adhuc viguit, cum Iohanne 2. Cliviæ Duce ut in illo supra copiosius annotavimus, Anno 1498. Martis ante Iohannis Baptistæ festivitatem die, Friburgi Brisgoiæ, Maximiliano ejusque filio Philippo 1. Hispaniarum regi unitus, quod etiam Carolo Egmundano ob arma & titulum Ducatus Iulij infestus esset, inter ipsos confœderatio juxta articulos Lovanienses, his legibus inita fuit.

1. Ut utriusque Principis VVilhelmi Iulij Montani, &c. & Iohannis Clivii, Marcani &c. subditi ab impositione communis

denarij

denarij VVormatiæ proximis anni 1495. comitiis decreti immunes sint.

2. Ut Cæsar mandatum promulget, quo caveatur, ne Imperij Principum quisquam alius Carolo Egmundano suppetias ferat.

3. Ut ad Geldriam simul & semel unoque impetu invadendam ac pro Max. ejusque filio Philippo occupandam, & Wilhelmus Julius & Joannes Clivius mille pedites & quingentos Equites submitterent, quibus illis quidem quatuor his verò octo floreni Rhenani in stipendium ab ipsis in singulos menses numerarentur: Cujus loco non tantum dum refundantur nummi oppidis & castris Geldriæ expugnandis fruantur: Sed etiam quo de restitutione certiores reddantur, Wilhelmo Iulio Herculenum & Monfortium: Iohanni verò Clivio Dotinchemum cum reditibus annuis Zuirphanienſibus si mille florenos annuos non excedant, tradantur, Neque omnia ab ipsis nisi 25. florenorum millibus prius numeratis, restituantur.

4. Cum Geldris verò nulla tractatio, in qua ipsi non comprehendantur, ineatur.

5. Conditionibus his omnibus à Maximiliano adimpletis & non prius bellum Geldris moveatur.

6. Ut Wilhelmo Iulio, VVassenbergæ, Bornæ & Hertzogenradiæ pignus, Iohanni autem Clivio VVachtendonciæ, Gochiæ & Lobithani telonii hæreditas maneant: In quorum tamen postremum Philippus Austrius Hispaniarum Rex non consensit.

7. Sed tantum Ioanni Clivio telonium Gennepense & jam dictorum oppidorum & dominiorum ad vitam fructum percipiendum, indulsit. Horum omnium conditionum sufficientes obligationes à Statibus Belgicarum Provinciarum approbatas & sigillo confirmatas uterque Princeps Iulius & Clivius petierunt.

2. Sic occupatâ Geldriâ integrâ, Anno 1504. Hambochi amplius VVilhelmus noster cum Maria Burgunda Matre Philippi unitus, ipse Philippus anno seq. 1505. 4. Aprilis Hagenoæ ab Imperatore Patre eâdem investitus est.

Anno ut diximus 1496. VVilhelmus Mariam filiam & cunctarum ditionum hæredem Iohannis 2. Clivii Ducis filio Iohanni 3. ad exemplum Caroli Burgundi filiam Mariam 17. Provinciarum hæredem Maxim. elocantis: promisit, Hac anno 1510. ab ipso ductâ Patris in omnibus relictis ditionibus ejus ex asse hæres postmodum successit.

Etsi enim Fridericus 3. Cæsar 26. Iunij, anno 1483. Græciæ, Alberto Saxoni in utroque Ducatu successionis spem hæredibus masculis deficientibus largitus esset, idemque privilegium anno 1486. 18. Septembr. Valenciæ, filius ejus Maximilianus 1. Imperator renovarit, & anno 1495. Martis post nativitatis

Mariæ Wormatiæ confirmarit, (vndè domui Saxonicæ jus in illis Ducatibus;) Anno tamen 1508. diplomate Cæsareo abrogatis prioribus indultis Mariam unigenitam hæredem ditionum suarum ab Imperatore Maximiliano designari curavit, eamque an. 1510. Ioanni 3. Duci Clivensi conjugem dedit, sicque provinciæ Clivia, Iulia, Montes, Marchia & Ravenspurgia fœlicitèr unitæ sunt.

In hac unione cum ipso subscripserunt; In Ducatu Iulio, Godeschalcus ab **Harff** Dominus in **Allstorff** præfectus prouincialis, Henricus ab **Hompesch** Dominus in **Wickradt** / Eques, aulæ Oeconomus, Theodorus à **Borsscheidt** aulæ hæreditarius, præfectus Engelbertus **Huerdt** à **Schoneken** Dominus in **Brevordt** Archicamerarius Iulius Emondus à **Palandt** Dominus in **Moubach** Nideccianus VVilhelmus à **Nesselraedt** / Dominus in **Scheidt** Grevenbruchius VVernerus ab **Hompesch** Dominus in **Wenhendorff** / Ioannes à **Palandt** Dominus in **Wildenberg** & **Berg**/ VVilhelm-Steinius, Ioannes ab **Harff** Godefridi filius Geilenkirchius, VVilhelmus à **Gertzen** Dominus in **Sintzich** / Hermannus ab **Horchsteden** Castrensis, præfecti, Gerhardus à **Berg** dictus **Bleussche** / Henricus à **Pesch** VVernherus à **Bungart** Eques, Gerhardus ab **Hoemen** / Henricus à **Blatten** Archipincerna, VVeinherus à **Palandt** Dominus in **Bredenbendt** Bossarienſis, & VVachenbergensis, Ioannes ab **Horrich** Dominus in **Sueggenraedt** / Adamus a **Berg** dictus **Trips** Ioannes ab **Holtmorlen** dictus **Vass** / cum omnibus totius provinciæ oppidis.

In Ducatu Mõtano Bertramus à **Nesselraedt** Dominus in **Ehrenstein** Archimareschalcus, VVilhelmus à **Nesselraedt** Dominus in **Pallterkamp** / ejusque filius itidem VVilhelmus Mareschalcus domesticus, Conradus ab **Horst** Archipincerna, Theodorus ab **Hall** præfectus Monheimius, Bertramus à **Lutzenhaedt** / Dominus in **Hardenberg** / Ioannes ab **Hugenpoet** Ludovicus à **Lulstorff** Senior, Ludgerus à **Winckelhausen** / VVilhelmus à **Reven**/Gerhardus **Schenckern**/Ioannes **Staell in Sultz**/&Henricus à **Rhade**/cum omnibus provinciæ oppidis.

In Comitatu Ravensburgio denique Gothardus & Ioannes Ledeburgij, Reinherus Trippius præfectus Limburgius, Siegwinus **Steinhaulz** Alhardus à **Busch** & Egerus **Nagell**/cum utraque Bileveldia veteri & novâ.

Idem cum Ioanne Duce Clivio Theodorus à **Bronckhorst** & **Batenbergh** Dominus in **Rimberg** & **Homepell** præfectus Ducatus provincialis, Adolphus à **Wilack** hæreditarius aulæ Ducalis præfectus Henricus **Stael** ab **Holstein**/Mareschalcus, Stephanus à **Wplich**/Ioannes à **Wplich** præfectus Hetterius Eberhardus ab **Honnepel** aulæ Oeconomus Ioannes ab **Horst** Dinslacensis, VVesselus à **Loe** Limarsius, Gothardus **Rureck** Gochensis Christophorus à **Wplich** Genepensis, & Theodoricus à **Wickede** Orso-

de Orsovienſi præfecti unà cum urbibus primarijs ratum habuere.

In Comitatu verò Marcano Crato à **Wilendonck** Blanckenſteinius, Henricus **Knipping** Hammonenſis & Wetteranus, Caſpar **Turck** Unnenſis Ioannes à **Ley** Altenanus, Nevelingius **Stael** ab **Holſtein** Neoſtadienſis, Georgius ab **Aſchenbroich** Werthinenſis, Ioannes ab **Altenbauchumb** / Bouchumenſis, & Wennemehrus â Bodelswin Lunenſis præfecti cum Provinciæ oppidis primariis conſenſum ſuum ſubſcriptione manuum teſtati ſunt.

Ex hac autem Maria Iuliacâ Montana & Ravenſburgica natus eſt Ioanni Clivorum Duci comitique Marcano VVilhelmus avo materno cognomen, Cliviæ quintus, Iuliæ octavus, Montium verò quintus Dux.

VVilhelmus autem ejus avus, de quo agimus, hora quintâ pomeriana ſexta Septembr. aliis Decembr. Anno 1511. Duſſeldorpij Montium in domo Scholaſtici extinctus in veteri Monte conditus eſt, Ioanne Duce Clivorum, dicto Pacifico genero, VVilhelmi patre relicto ſucceſſore.

Quem conjunx Sybilla Brandeburgica 9. Iulij Anno 1524. inſecuta eſt, ubi prius poſt mortem mariti, Iuliam & Montes aſſentiente genero annis 13. cum laude adminiſtraſſet.

De VVilhelmo ita Streithagenus in ſuo Tetraſticho.

Pacificus, poſitis diſſolvit pignora nummis,
Oppidaque ad proprios plura reduxit agros.
Vnigena tandem linquens Patrimonia nata,
Clivenſi genero poſt moderanda dedit.

Alius verò ſic Monoſticho.

Iulia clara dolet, cecidit en gloria Montis.

Ad Montiam

APPENDIX CVM AVCTARIO SVO.

De Comitibus Limburgicis ad Lenam.

Ad illustres & generosissimos Comites Herman: Ottonem, Georghium Ernestum, & Bernh. Albertum Limburgicos & Bronchorstanos Comites, Barones Wischios, Borckeloenses, & Styrumios.

SUpra dictum est ex Ducibus Limburgicis ad Mosam, Comites Montium originem suam paternam referre; Henricus enim Limburgicus ejus nominis 4. ducta Margaretha Adolphi Montium Comitis filia & hærede non tantùm Montanam, sed etiam Limburgicam prosapiam legitima serie propagavit.

Cum autem Fridericus Isenburgicus Arnholdi Altenani filius, Eberhardi nepos, Adolphi Montium & Altenaæ Comitis abnepos, Engelbertum Montium Comitem, Engelberti filium, Adolphi fratrem Archipræsulem Colonienscm gentilem suum fœdo parricidio anno 1225. necasset, Isenburgicum ad Ruram occidentalem Castrum ejus, cum altero Novipontano ad Lupiam, ab Henrico à Molenarck successore & vindice Engelberti destructum, ditioque integra utrique subjecta, ad Adolphum Marcanum, (in hoc enim nomen Altenanum mutatum est) pervenit.

Loco igitur Isenburgici aliud ad Lenam Henricus Dux Limburgicus condidit, illudque à suo, etiam Limburgicum, sed ad Lenam, ut ab alio ad Loganum hodie Lanum fluvium distinguatur, in prærupto Montis vertice, à quo etiam Limburgium altum (**Hohen Limburgh**) dicitur, denominavit. Hujus primus Comes fuit Theodoricus Friderici filius, qui iterũ Fridericum 2. & Theoricum 2. filios, cum filia Agnete Adolphi Montium Comitis uxore genuit.

Theodoricus 2. ex uxore Hornana Joannem & Henricum viciſſim edidit, quorum hic Gerlaco & Ludovico filiis relictis cum ipsis sine hæredibus mortuis stemma nobilissimum clausit.

Joannes verò ulterius cum Eberwiena Gutterswickia per filios binos, Ioannem & Theodoricum tanquam duos ramos viridantes fœcundè propagavit.

Ioannes nominis secundus ramorum primus ita se diffudit: Ipse ex uxore Ahuisia Ottonis sorore Theodoricum 3. & hic ex Riefersceidia Eberhardum Styrumii Dynastam Godefridum Canonicũ Col. S. Gereonis, Margaretham Cratonis Steckij Meidericen sis Domini

Domini uxorem, & Irmgardem Canoniſſam Thorenſem ſuſceperunt.

Eberhardus ex Goſwina Saffenbergia Wilhelmum Comitem Styrumium; Hic ex Agnete Limburgica Bruchij Dynaſta, Adolphum, Annam Abbatiſſam, & Sophiam Strunckedenam genuerunt.

Adolphus ex Eliſabetha Reichenſteinia, Georgium, Agnetem Abbatiſſam Borchorſtanam, & Eliſabetham Theodori Bronchorſtani Hennepelenſis Domini uxorem reliquit.

Georgius ex Irmgarde Bronchorſtana & Wiſchia Herm. Georgium edidit.

Herman-Georgius ex Maria Hoyenſi & Bruchuſia Mechtildē Holſteiniam, Georgium, Agnetem, Abbatiſſam Eltinenſem, Jodocum, Mariam Mylendonciam, Drachefelſiam & Meidericenſem, Joannem & Ericum præpoſitum Metropolitanum, & Decanum S. Gereonis Colonienſes, ſuſtulit.

Jodocus denique ex Maria Schowenburgia & Holſteinia anno 1590. ducta Hermannum-Ottonem Georgium Erneſtum, Annam Sophiam Joannis Morrieni Nortkirchæ Domini uxorem, Wilhelmum, Fridericum, Joh. Adolphum Heuſdæ defunctum, Bernhardum Albertum, & Eliſabetham Sallanam coadjutricem produxit: Conjunx 30. Octob. anno 1616. in arce Wildenburgica extincta eſt. Atque hic eſt ramus Ioannis primogeniti per filium cognominem deductus.

Theodoricus filiorum ſecundus ex uxore Seinenſi iterum Theodoricum, & hic ex uxore Bruchia Burcharia filia Theodoricum 3. & Wilhelmum procrearunt.

Theodoricus 3. ex Henrica Wiſchia Henrici ultimi hujus Baronatus Dynaſtæ & Eliſabethæ Bronchorſtanæ filia & hærede Wilhelmum: Hic ex Juditha Ronchelia Joannem Eliſabethæ Novatienſi copulatum, per quem Comitatus Limburgicus ad Falckenſteinios pervenit, ediderunt.

Wilhelmus Theodorici 3. frater qui anno 1450. floruit, per uxorem Salmenſem & Reiferſcheidiam Bedburæ Dominam, præter duos filios Eberhardum & Wilhelmum qui Joanni Clivorum Duci dicto bellicoſo militantes, An. 1468. prope Stractæ nam occubuerunt, etiam Margaretham filiam & hæredem reliquit, quæ Gumprechto Novarienſi Alpenæ & Garſdorpij Domino nupta filios & binos genuit Fridericum & Wilhelmum, iiſque comitatum Limburgicum reliquit, Fridericus ducta Eva Barone & hærede Lennepiâ novum Gumprechtum, isque iterum ex Amelia Wertheimia tertium: Hic denique ex prima Carda Schowenburgica Ameliam tantum filiam Friderico 3. Electori Palatino enuptam, Ex ſecunda verò Amœna Falckenſteinia Adolphum ultimum Navarrenſem & Limburgicum in hac linea Comitem anno 1589. defunctum & Magdalenam Arnholdo Comiti Bentheimio Teckleburgenſi Steinfurtenſi deſponſatam ſuſtulit.

Ex fi-

Ex filio verò Gumprechti primi secundo Wilhelmo dicto cum Walburge Manderscheidia conjuncto novus Wilhelmus & Anna VValerami Brederodij uxor, parentes Mariæ Brederodiæ, Gothardi Milendoncij conjugis descendunt.

VVilhelmus verò ductâ Anna VViedanâ, VVilhelmi VVredani & Margarethæ Mortensis filia, Hermannum successorem anno 1514. natum & anno 1578. mortuum, ejusque sororem VValburgem, quæ primis votis Philippo Comiti Hornano, Deinde hoc Bruxellis anno 1566. decollato, secundis, Adolpho Neuenarico & Limburgico Comiti Gentili suo ut jam diximus nupsit: à quâ anno 1600. mortua Arnholdus Comes Bentheimius, qui mariti sororem unicam duxerat, Comitatum Limburgium consensu Domini feudi, Montium Ducis accepit.

Præter hæc ex Archivis Limburgicis constat, VVilhelmum Limburgicum, cujus in literis anno 1379. mentio, Eberhardi à Loith affinem fuisse, & Friderici Limburgici qui anno 1381. in aliis literis authenticis nominatur patruum. Anno 1384. Theodorici Limburgici Comitis mentio anno 1394. & 1403. Ioannes regens Limburgicus Comes dicitur.

Anno 1419. Eberhardus Limburgi Comes, Dominus in Hardenburgh / Ioannis filius vocatur. Anno 1427. VVilhelmus & Theodoricus Limburgici fratres appellantur, quorum soror Abbatissa Essendiensis. Anno 1430. VVilhelmus Limburgicus Bedburæ Dominus scribitur. Anno 1432. 36. 39. VVilhelmus & Eberhardus Limburgici, Domini in Styrum nominantur anno 1452. specialim solus VVilhelmus Limburgicus Dominus in Styrum.

Anno 1461. Margaretha Limburgica præposita Reckelinghusia dicitur. Anno 1470. appellantur VVilhelmus Limburgicus Eques Dominus in Bruch, Ioannes Limburgicus Canonicus VVerthinensis, Henricus Limburgicus & Theodoricus fratres quatuor, eorumque sorores Agnes uxor VVilhelmi Limburgici Domini in Styrum gentilis sui, ex quâ Ioannem Limburgicum sustulit, cujus in literis authenticis Anno 480. mentio, Ludgardis, item uxoris Cratonis Steckii Domini Meidericensis. VVilhelmus denique Limburgicus qui anno 1443. in obsidione Castri Thoneburgensi periit, Duisburgi apud Minores, ex quo ipsorum Castro avito, Monasterium majores sui condiderant, inhumatus jacet.

Montiæ

APPENDICIS AVCTARIVM.

De

Comitibus Bentheimicis, Teclaburgicis, Steinfurtenſibus Dynaſtis Rhedanis & Wevelinchoviis.

Ad illuſtres & generoſiſſimos Comites Arnholdum Juſtum, & Mauritium atq; Ludovicum Adolphi filios, Bentheimicos Tecklaburgicos, Steinfurtenſes & Limburgicos Comites, Dynaſtas Rhedanos, Wevelinchofios Alpenios, Helfenſteinios, Lennepios, Archipræfectos Colonienſes.

QUia Limburgicus comitatus cum Dynaſtiis Bedburena Alpenia, Helpenſteinia & Lennepia, Archipræfectura item Colonienſi, per conjugium ut jam diximus, Bentheimicis comitibus, acceſſit, age horum quoque illuſtrem proſapiam paucis attexamus.

De comitatu & comitibus Bentheimicis.

Comitatus ipſe Bentheimius olim Tubantinus à Tubantinis veteſtis incolis, de quibus in Antiqua noſtra Clivia, Julia, Montia, dictum eſt.

Primus autem, quem Annales vetuſti nominant, Tubantiæ Comes fuit Wolfgangus qui ludo Equeſtri nobilitatis VVeſtphalicæ & Saxonicæ anno 939. Magdeburgi adfuit.

Otto ſimili certamini præſens fuit Halæ Saxonum anno 1042.

Joannes Gottingæ anno 1119.

Novus Otto Bentheimius vix anno 1144

Hic filium habuit Ottonem ejus nominis 3. improlem filiam itē Sophiam Theodorici Hollandiæ comitis uxorem. Ex qua geniti, Florentius in comitatu Hollandino Patris ſucceſſor: Balduinus Epiſcopus Ultrajectinus, & Otto quartus Bentheimici Stemmatis propagator: Filios habuit, Ottonem Epiſcopum Monaſterienſem ex præpoſito Bremenſi anno 1203. cum hanc dignitatem Engelbertus Montanus ob ætatem recuſaret, electum, qui expeditioni Aſiaticæ ad liberandam Anconem à Sulthano Babylonico obſeſſam, præſens, ibidem obiit.

Secundus Ottonis quarti filius fuit Henricus, qui anno 1226. vixit, ac familiam hanc illuſtrem uſque ad Eberwienum à Gutterwich, qui Henrici 2. nepotis ſui filiam duxit & per hanc comitatum Bentheimicum acquiſivit, propagavit;

Hic

Hic cum fratre Episcopo, & Gunthero Osnabrugense antistite, Ludovico Galliarum & Richardo Britanniarum regibus, aliisque etiam in Asiam movit.

Ex uxore autem Ritterbergica Joannem genuit hominis secundum qui an. 1305. Tubantibus imperavit, & ex conjuge Lippiensi Henricum 2. de quo modo diximus, reliquit, cujus ex uxore Clivia filiam Eberwienus ille à Gutterswich vir nobilissimus accepit, atque ex illa sustulit filios, Bernhardum & Arnholdum, quorum hic ἄπαις mortuus est.

Bernhardus ex Solmæa Ottensteinia Henrici filia & hærede iterum duos filios Bernhardum 2. & Arnholdum reliquit: Et cum uxore, soceri castro Ottensteinio anno 1407. ab Ottone Hoyæo Episcopo Monasterienſi occupato, bona tamen omnia ad Dynastiam pertinentia, dicta Solmæa anno 1425. consecutus est.

Bernhardus 2. ex uxore Tecklenburgia Eberwienum 2. procreavit & hic ex Diepholdica Bernhardum 3. qui sine hæredibus masculis maturè mortuus, Annam tantum & Mariam filias reliquit, quarum illa Ernesto Holsteinio, hæc Arnholdo Steinfurtensi, nupsit, adeoque Arnholdus frater Bernhardi 2. ducta Balduini ultimi Steinfurti Comitis filia utrumque Bentheimium & Steinfurtensem comitatum conjunxit: Anno 1466. ante Gochiæ oppugnationem à Joanne ejus nominis 1. secundo Clivorum Duce institutam, mortuus & Clivis conditus.

De comitatibus & comitibus Steinfurtensibus.

Hic igitur de Genealogia Steinfurtensi, antequam Bentheimicam persequamur, prius dicendum est.

Dynastæ Steinfurtenses à castro, quod oppido adjacet egregio & ad Ahaim fluxium munito, denominationem suam sortiuntur: Cujus simile tertio à Monasterio lapide structum, hodie Nobilissimis à Reeck paret.

Primus Steinfurti Dominus, quem Annales vetusti numerant Rheinherus fuit Ludo Equestri Brunswiegæ anno 996. præsens.

Balduinus ejus nominis primus Steinfurti Dominus, vixit anno 1030. & conjugem Ahusiam habuit: Ex qua genuit Reinherum 2. qui anno 1064. præfuit & ex uxore Horstmaria Ludolphum, cujus anno 1190. in primis urbis Suitphænæ privilegiis mentio. Hic ex Teckleburgica Balduinum 2. Iste ex Lippiensi Simonis Comitis sorore, Balduinum Episcopum Paderbornensem & Ludolphum 2. Hic ex Bentheimia Balduinum 3. Ipse ex Sternbergia Balduinum 4. dictum Bellicosum sustulerunt; quorum postremus Ottonem Hoyæum Episcopum Monasterienſem cœpit. Et uxorem habuit Ghemensem, ex qua filia prodiit, Arnholdo Bentheimico cum dominio Steinfurtensi tradita.

Cum hac Arnholdus Bentheimicus Eberwienum 3. Bentheimiæ Comitem, & Steinfurti Dominum procreavit, qui binas uxores habuit: Priorem Henrici Domini in Ghemen & Bredevordt Joannis, atque Wilhelmi Wevelinchovii Archimarischal. Colon. gnatæ filij, ex uxore Brunchorstana filiarum alteram quæ

VVevelinchoviâ ipsum dotavit; Secundam, Annam Hoyæam.

De Dynastia & Dinastis Wevelinchofiensibus.

Antequam ergò hinc Genealogiam Bentheimicam & Steinfurtensem pertexamus, prius de Dynastiâ VVevelinchovia ejusque Dominis pauca subjiciemus.

Dynastia, pagos VViengarthen, & Langwaden; Arces verò Lejenthaliam jam destructam olim imperio Archiepiscoporum Colon. subjectam: Comitum Bentheimicorum Dynastarum VVevelinchoviorum, sedem: Nobilium item Hundiorum & Duitziorum ædes cum cœnobio ordinis Præmonstratensis vestalium nobilium langwaedensi complectitur.

Ex Dynastis hujus dominii, Christianus VVevelinchovius tempore Arnholdi primi Archipræsulis Colonienſis, ex cœnobio Hildesheimensi, Prioris & sororum Præmonstratensium Coloniâ deductâ, cœnobium Langwaedense fundavit.

Hic filios habuit, cognominem Christianum 2. & alterum Albetonem, qui eidem cœnobio curtem suam in liffe tempore Philippi Heinsbergij Archiepiscopi Colonienſis donarunt anno 1145.

Bernhardus VVevelinchovius ab anno 1125. usque ad annum 1141. Abbas VVerthinensis & Helmstadiensis fuit in ordine 28.

Porro Christianus 2. liberos iterum Lielemannum Florentium Canonicum Metropolitanum Colonienſem, Beatricem Abbatissam S. Cœciliæ ibidem, Irmgarden canonicam S. Ursulæ, & Theodoricum, cujus uxor Hedwiegis, reliquit.

Tielemannus Florentium novum genuit anno 1364, alterâ Gregorii sive die S. Ludgeri ex subdiacono Colonienſi in Episcopum Monasterienſem in ordine 59. electum & à Papa Urbano licet multum renitentem confirmatum; Godefridum item qui Canonicus Colonienſis in summo templo factus Electioni Ioannis Vierneburgii in locum VVilhelmi Gennepij in Archipræsulem Colon. electi, vehementer repugnavit, & ut Engelbertus Marcanus, post resignationem Adolphi Marcani Clivorum Comitis renuntiati, nepotis sui anno 1364. ex Episcopo Leodienſi ad Archiepiscopatum hunc proveheretur, perfecit, & tandem ex canonico irregulari regularis Monachus in ordinis Cistercienſis monasterio veteris Montis rasus, in eodem mortuus & conditus est. Ipse Florentius verò antistes anno 1378. Ultrajectinam in sedem ex Monasterienſi translatus, in hac vitam finiit.

Ultimus VVevelinghoviæ Dynasta fuit VVilhelmus, idemque Archipræsulatus Colon. Mareschalcus, hæreditarius, qui filiam unicam reliquit animosi Herois Ioannis à Gehmen & Bredevorth conjugem, Ex qua ipse filium Henricum, & is iterum ex Bruncknorstana binas filias sustulit, quarum prima Carda, Ioannem Schowenburgicum Gehmâ; Secunda Eberwienum Bentheimicum & Steinfurtensem VVevelinchoviâ dotavit.

Continuatio Genealogia Bentheimica.

Jam ad ipsos Bentheimicos & Steinfurtenses Comites revertamur.

Eberwienus igitur ejus nominis 3. mortuâ hac Wevelinchoviâ, Annam Hoyæam superinduxit, ex eaque Arnholdum, Eberwienum accepit.

Arnholdus Magdalenam Ernesti Luneburgici filiam, & Wilhelmi sororem sterilem habuit.

Eberwienus cum Anna Tecleburgica Conradi ultimi Comitis filia & hærede copulatus, comitatum hunc cum dominiis Rhedano & Lingensi, Comitatibus Bentheimico & Steinfurtensi dominioque Wevelinchoviaco conjunxit, de quibus etiam pauca hæc subjungimus. Comitatus Tekenenburgensis prout in antiqua nostra Julia, Clivia, Montia &c. annotavimus, vel à saltu Teutoburgensi in quo clades Variana contigit, vel ab ambitu suo in cujus meditullio castrum ejus in rupe prærlta collocatum, ditionem suam non tantum ad mare, sed ad Visurgim quoque protendit, adeoque à Provincia Angrivariorum, VVitekindo Saxone celebri appellationem suam primęvam sortitur: Insignibus Comitatus Anchorâ, & foliis tribus marinis rubris ei additis, hodieque testibus: quippe qui primâ sui origine, non tantum oppidum Lobecense & castrum Reinebergium in diocœsi Mindensi à Conrado Diepholdio antistite avulsa: Sed etiam in diocœsi Monasterienst castra & oppida Rhodium, Bevergernium, Cloppenburgium, Oytium, Haselindanum, Reenense imo ipsius Metropolis hujus portam, quæ omnia Otto Hoyæus Episcopus Monast. Nicolao Comiti Tekenenburgico ademit: In Osnabrugensi denique diocœsi prope vicinam urbem Quaeckenbrugensem, castra, Argenawicum cum oppido Essenio sibi subjecto, hodie dirutum, Bordenburgium item hodie Bordinchusium Monasterio Oezedeno donatum, Iborgium & Haslebeccenum: imo in Provincia Ravensburgica Versmeldicum etiam ambitu suo comprehendit.

Alb. Crant. in Metropoli & Saxonia.

De Comitatu & Comitibus Tekenenburgensibus.

Seriem Comitum, qui ditioni huic olim ampliffimæ ab anno Christi 860. tempore Ludovici Pii, Caroli Magni filii, inde à Cobbone primo ejus Dynasta, usque ad Conradum ultimum hujus prosapiæ masculinæ Comitem anno 1557. mortuum, ultra septingentos annos non interrupta serie præfuerunt, ex Elia Reusnero, M. Hieronymo Henningio Ecclesiaste Luneburgensi, & Andrea Hoppenrodio Pastore Heckstetensi, deducit Herm. Hamelmannus in Chronico Osnabrugensi; Cobbo autem primus Teutoburgensis Dynasta, Goswino Episcopo Osnabrugensi, quod cum filijs Ludovici Pij contra Patrem conspirasset, prædia multa, & ex Corbeiensi atque Hasfurdiensi collegijs, decimas intervertit: Idem prælio contra Danos, anno 876. vel ut aliis placet 880. periit.

A Cobbone Albo, ab hoc Hermannus, ab ipso VVilhelmus, Teutoburgici geniti: quorum postremus ludo Equestri Magdeburgi

burgi anno 939. celebrato adfuit. A VVilhelmo Hermannus 2. & ab hoc Reinherus ortus, qui Equestri certamini Gottingæ anno 1119. habito præsens fuit, Et ex uxore Adelheida, Theodoricum, Henricum & Albertum, quorum tutor Liethardus à Diepenheim, genuit; Ex quibus primus Theodoricus circa annum Domini 1150. vixit, & ex uxore Cunigunde Simonem filium tulit. Secundi Henrici in ludo Equestri Col. anno 1160. præsentis uxor Elyka: Tertius Albertus in certamine Equestri Figurino anno 1165. se exercuit.

Simon Theodorici filius anno 1176. cum Henricus Leo ab Imp. Friderico Barbarossa Ducatibus Saxoniæ & Angrivariæ exueretur, operam suam Philippo Heinsbergio Archipræsuli Colon. Imperatori patrocinanti accommodavit, sed in conflictu à Leone captus, hujus partes secutus in fide ipsius perstitit: Eundem cum Episcopo Magdeburgensi VVichmanno & Ulrico de Halberstad. an. 1178. in conflictu belli civilis cecidisse narrat Crantzius lib. 6. Metropolis cap. 36. & 41.

Porrò ex uxore Elyka Simon Ludolphum sustulit Monasterienſem Episcopum in ordine 24. ab aliis malè Ludovicum appellatum, & Simonem successorem.

Simon nominis 2. Ottoni 4. Cæsari Henrici Leonis filio anno 1201. militavit: Cum comitibus etiam Ravensburgicis bellum gessit, in quo anno 1207. periit.

Ex uxore verò Arnsbergia comite, Engelbertum Episcopum Osnabrugensem, & Ottonem in Comitatu Tecknaburgico successorem discordes inter se fratres accepit, quos an. 1236. patruus Ludolphus Monasterienſis præsul reconciliavit.

Otto ex Burggravia Strombergia Simonem 3. Hic Osnabrugensibus anno 1305. hostis factus est, & ex filia Bernhardi, Comitis Lippiensis Nicolaum: Iste ex Diepholtiana & Spiegelbergica Nicolaum 2. qui anno 1330. bellum Osnabrugensibus intulit, & Simonem Comitem Lippiensem anno 1378. cœpit, procrearunt.

Nicolaus 2. ex uxore Bentheimica Ottonem 2. edidit, qui etsi Simonis Comitis Lippiensis filiam Elicam in matrimonio haberet, cum ipso tamen & Osnabrugensi alijsque vicinis Episcopis anno 1385. belligeravit: Ex Elica autem Nicolaum 3. sustulit qui à Ioanne ab Hoedt Decretorum Doctore Episcopo Osnabrugensi avito Comitatu inauguratus, sed Patri refractarius factus ab Ottone Hoyæo Episcopo Monasterienſi Castris Bevergernio & Cloppenburgio mulctatus est. Uxores binas habuit; Primam Friderici Morsensis Comitis filiam Annam: Ex qua Annam novam Wilhelmi Montium Ducis comitisque Ravensburgici anno 1415. uxorem, Richardem item Ottonis Delmenhorstii cõjugem genuit: Secundam Hoyæam, quæ ei Ottonem successorem, Adelheiden Gerhardo Oldenburgico copulatam, & Nicolaum, dedit. *Crantz. lib. 10. Metropol. cap. 4.*

Otto nominis 3. cum fratre Nicolao ejus nominis quarto comitatu diviso, Brunchorstanæ sociatus, ex illa nullam tulit prolem.

Anno 1435. bellum movit Episcopo Osnabrug. 3. Diepholdico.

Nicolaus uxorem duxit Adelheiden Plessiam anno 1442. mortuam: Ex qua nati Otto 4. & Nicolaus quintus Lingæ Dominus.

Otto 4. ex Irmgarde Rietterbergica Joannis filia Conradum & Nicolaum 6. genuit. Anno 1518. mortuus. Quo anno etiam Ericus Saxoniæ Dux Monasterienſis, Præſul, Nicolao Teckenenburgico, Lingæ Domino ob cives ſuos, alioſque mercatores ſpoliatos bellum intulit Conradus Teckenenburgicus hujus familiæ ultimus uxorem Mathildem Wilhelmi Senioris Haſſiæ Landgravii, & Philippi patruelis filiam accepit: Ex eaque filiam tantum reliquit Eberwieno Bentheimio & Steinfurtenſi Comiti, Dynaſtæ V Vevelinchofio copulatam. Ipſe 6. Martij anno 1557. conjunx 16. Auguſti anno 1558. vivis exceſſerunt: Frater vero Nicolaus anno 1535. in bello Danico cæſus occubuit, adeoque auſpicato hoc conjugio Comitatus Bentheimicus, Tekenenburgicus, Steinfurtenſis, dominiaque V Vevelinchovium & Rheidanum conjuncta ſunt, quibus Eberwienij filius unicus Arnholdus Magdalenæ Neuenaricæ & Limburgicæ ſociatus, Comitatū Limburgicum & Dynaſtias Bedburenam, Alpenſem, Helfenſteiniam & Lennepiam matrimonio felici addidit. Ditione Lingena Carolus quintus Cæſar in bello Germanico victor anno 1547. Conradum Comitem, quod Proteſtantibus Principibus opem tuliſſet, exuit.

De dominio Rheidano. Rheidanum dominium in vicinia arcis V Viedenburgenſis, ad Amaſin fluvium ſitum primo V Videkindus ejus Dynaſta poſſedit, qui cum Bernh. Lippienſi Henrico Leoni Saxoniæ Duci militavit, & multa dioceſi Colon. damna intulit. Hujus unicam filiam duxit Hermannus Bernhi filius & cum ea dominium acquiſivit, quod poſtea Teckenab. invaſerunt, quia ex ipſorum ſorore Hermanni uxor nata erat.

Vnitarum Juliæ, Cliviæ Montium Marchiæ & Ravensburgiæ Provinciarum MEMBRVM V.

De Comitatu, ET COMITIBVS RAVENSBVRGII S. 16.

COmites Ravenſburgij quia per Ottonem, Ludovici filium & Margarethæ, Adolphi Montani filiæ maritum, provinciam Montanam & Juliam quoque per horum itidem filiam Margaretham cognominem, Gerhardo Julio junctam propagarunt, de his quoque hiſtoria attexenda: quod antequam fiat, Comitatus ipſe nonnihil nobis deſcribendus eſt.

Hic à

Hic à Corvis dictus, quod arx à quo appellationem sortitur, non tantum in Monte, corvorum habitatione, ad exemplum aliorum castrorum primùm ab auctore ejus condita, sed etiam avis hæc, mali alioquin ominis, inter secantium strepitus, non secus quam quæ à Noacho ex arcâ emissa, perfugio suo ad dominum cõstructionis ibidem faciendæ occasionem dedit: Aliis comitatum ad imitationem alterius in Bavaria appellatum esse placet, Ludovicus enim Pius, Caroli Magni filius, ex altera conjuge Juditha, Welfi, Comitis Ravensburgensis filia, Carolum Calvum Francorum regem, ac demum Imperatorem, edidit. Ex Welphi autem posteris Otto Bavarus fuit, à cujus filia, Hermanno de Calvele, primo Ravensburgico Comiti copulata, illustris hæc familia descendit. Ad Visurgim autem Comitatus ejus situs, diœcesibus Monasterienſi, Osnabrugensi, Mindensi & Paderbornensi conterminus est. Fluvijs irrigatur nominis jucundi *Luthera*, qui in Alpham se effundens, originem suam in fonte imperscrutabilem (**Luterkolck**) reliquit; *Alpha* verò in Werrham effunditur, & cum Luthera ab eodem absorbetur. *Werrha* denique ex Hervordia prolapsus, ad Visurgim se inflectit, qui ad ejus incursum vicissim inclinans, cornu effuso, apud **Rhemetz** pagum illum excipit, & cum eo Mindam defertur.

Comitatus Ravensburgici. *Etymologia* *Situs.* *Fluvij.*

Totius Comitatus Metropolis est Bilefeldia utraque vetus & nova, quæ inter Angariam sedem Angrivariorum & Comitatum Ritterbergensem medium tenens, à loco sylvoso ac cæduo Monticulis adsperso, nomen habet. Et enim destructo Ravensburgio oppido veteri ad arcem sito, cujus rudera adhuc visuntur, securibus, (quæ **Bielen** Saxonicè dicuntur) arbores primùm abscissæ, urbi Campum spatiosum juxta Montem vicinum reliquerunt. In Montis cacumine Sporenbergia arx munitissima à Joanne Edelerio architecto Italo jussu Wilhelmi Juliæ Cliviæ Montium Ducis, Comitis Marcani & Ravensburgij anno 1554. constructa est.

Status politicus. *Vrbes Bielfeldia.*

Herfurtum sive Hervordia à trajectu exercitus ad Werrham, fluvium ex Lippiæ Comitatu & aula Ditsmoldianâ prolabentem, ibidemque Visurgim influentem, sita & appellata est: quæ licet inter urbes Imperiales & Hanseaticas Westphalicas cum Bilefeldia recensеatur, Comiti tamen Ravensb. certis conditionibus paret.

Herfordia.

Præter has urbes comitatus Dynastias hodiè continet quatuor, Ravensburgium, Sparenburgium, Limburgium, & Flothanum.

Dynastiæ.

Quarum unaquæque præfecturas quoque inferiores ceu municipia (**Wichboldinghen** dicta) sub se comprehendit: Toparchia quidem Ravensburgia Hallensem, Borgh-Holthusanam, Versmoldanam & Borchorstanam: Sparenbergia autem Werterensem, Angariam seu Engerensem, Broichagiam & Brachweedanam; Limburgia Allendorfianam & Buenensem: Flothana denique, quæ à Ducibus Luneburgiis ad Comites Waldeccianos, & ab his ad Comites Ravensburgios pignoris jure, pervenit, præter se Verendorphiam etiam nominat.

Municipia.

Status Ecclesiasticus.

In Angariæ propugnaculo (qui hodiè pagus Engers) VVitikindus collegium Canonicorum condidit, quod postea Hervordiam translatum est. In eadem Hervordia Gualtherus ultimus ejus Comes, Carolo M. Saxonum victore, & VVitikindo Christum amplexo, consentientibus, fervore novi Christianismi motus, Monasterium generosarum & nobilium virginum constituit: cui propè urbem in mœnibus aliud in S. Gervasij memoriam conditum, accedit à Ludovico Pio, sicut etiam Corbecense Collegium Monachorum, anno 820. fundatum, Schildesenum etiam propè Bielefeldiam cœnobium, cujus Princeps præpositus est Ravensburgio, numerat, à vestalibus quoque nobilibus inhabitatum.

In oppido verò Bielfeldensi Ludovicus Ravensburgius Episcopus Osnabrugensis in ordine 33. auctoritate Ottonis Episcopi Paderbornensis Collegium canonicorum fundavit, & Patri Ottoni, ejusque conjugi Hadwigi cum reliquis eorum filijs, Hermanno Præposito Tungrensi, Ottoni Canonico Osnabrugensi, & Brunoni, fratribus suis, ut villas, prædia, & agros ad 12. quas vocant præbendas conferrent, persuasit: quod, earum immunitate concessa, anno 1314. 2. Id. Jul. ab iisdem confirmatum est. In urbis quoque Bielfeldensis Neapoli Franciscanorum claustrum est.

Comitum Ravēsburgicorum Origo.

Ipsis Comitibus Originē dedit Regum Saxoniæ Orientalis, seu VVestphaliæ posteritas: Sieghardi enim (quem Bertholdum Crantzius appellat, & contra Dagobertum Regem Francorum pugnasse affirmat, cuique ab hac parte Rheni occumbenti pater Clotharius auxiliares manus porrexit) filius Diethericus fuit, quem Carolus Martellus oppugnavit. Is iterum VVernechinum Angrivariorum & Iburgi Ducem reliquit. Ex hoc VVitekindus & Bruno fratres nati: VVitekindus cum Carolo M. pugnavit, ab eo victus: Bruno edidit Ludolphum, quem Ludovicus Pius Caroli M. filius, Saxoniæ Ducem constituit. Hic autem 4. filios & inter hos quoque Ottonem M. Henrici Aucupis, Imperatoris Romanorum patrem procreavit. Otto hic juxta Albertum Stadensem, an. 1105. Bavariæ Exdux præter Henricum tres filias genuit: quarum prima Friderico Seniori, Comiti Arnsbergio, qui anno Christi, 1050. floruit: Secunda Ottoni, Comiti Cappenbergensi patruo Godefridi: tertia Ida Hermanno de Calvele primo Comiti Ravensbergio nupsit. Ex familia Cappenbergica nati Godefridus & Otto fratres fundatores anno 1125. cœnobii Overdorpiani ad VVesaliam, imo ipsius Cappenbergici, mortuo anno 1126. Godefrido, ab Ottone in Monasterium ex castro anno 1128. conversi.

Crantz. lib. 3. c. 1.

Ex eadem prodiit Emsa, benefactrix larga Ecclesiæ Collegiatæ Santensis, ipse autem Hermannus de Calvele, comitatu Ravensburgico ab Imperio in fidem accepto, ex conjuge Ottonem & Henricum sustulit, & anno 1172. juxta Cleinsorgium, in fata concessit. Ottonis & Henrici posterorum series, quia apud Historicos tacetur, nec mihi eandem, licet variè laboraverim, exactè inda-

gare

gare datum est, prius quicquid ex authoribus melioris notæ de eadem observare potui, breviter consignabo. Ernestus igitur Brotusius in historiâ narrat, Hermannum Ravensburgium tempore Henrici Aucupis cum Gerhardo Julio, & Arnholdo Clivio, ludis equestribus Magdeburgi interfuisse. Gobelinus vero persona Decanus Bielefeldensis in Cosmodromico suo scribit, Comitem Ravensburgium Frisios potenter domuisse, & insignem ab eis victoriam retulisse, Ortwinus Ertman in Chron. Episcop. Osnabrugensium (cujus Epitomen Hermannus Hamelmannus anno 1564. edidit) testatur, Comitem quendam Ravensburgium, cujus nomen tamen non exprimit, Philippo Cattimeliboco, Episcopo Osnabrugensi in ordine 25. in arcis & dominij Holtensis, post septem annorum obsidionem dediti, excisione Anno 1144. suppetias tulisse, & propterea liberas sedes in Middendorpe / cum judicio lignario Holtensi, consecutum esse. Sequentibus temporibus, viri equestris dignitatis de Warendorp, judicium in Dissen cum suis villis Loder, Hilter & Glane, quas ab Ecclesia Osnab. in feudum habuerunt, Comiti Ravensburgio vendiderunt. Filius Hermanni primogenitus Otto, juxta eundem Cleinsorgium, Juditham, Ludovici quarti Thuringiæ & Hassiæ Landtgravii filiam, duxit; Ex eaque Hermanno filio & successore genito anno 1226. mortuus est, Ottonis hujus Ravensburgici ejusque filii Hermanni Philippus Heinsbergius Col. Archiepiscopus in institutis Monasterijs Breidlarensi & Schedano anno 1170. mentionem facit, ubi eos cum Henrico Arnsbergio, Eberhardo, ejusque filio Arnholdo Altenanis, Henrico Frotzbergio, Bernhardo Lippiensi Conrado Rudenbogio; Rabone de Marca, Henrico de Vure, Gerhardo Advocato Col. Henrico Volmunstenio Hermanno Camerario Episcop. Rechezone de Molenheim, Hermanno de Vnterbeck Eberh. de Padtbergh. Ludolph. Henr. & Joanne de Gotener, Thincone de Susato, Adelberto & Hildegero Villicis Brunsteinus testes citat. Crantzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 39. indicat, Hermannum Comitem Ravensburgium in castris fuisse Philippi Hinsbergii Archiepiscopi Colonienſis, contra Henricum Leonem Saxoniæ Ducem anno 1181. propè Osnabruggam infœliciter dimicantis.

Idem Crantzius lib. 11. Saxon. cap. 17. sic loquitur: Hervordenses à Comite Lippiæ adjuti cum Osnabrugensibus pugnarunt, & hostes numero plures prælio excipientes, ubi diu paribus armis & animis certassent, victoriâ tandem potiti Hervordienses 60. ex hostibus, alijs fuga elapsis, captivos abduxere, Hermannus ejus nominis secundus, juxta eundem Cleinsorgium, Ludovicum successorem Ottonem Ultovii ac Vechtæ Dominum, & Hermannum præpositum Tungrensem reliquit, Ludovicus cum Wilhelmo Julio, Adolpho Montano, Adolpho Marcano, Simone Spanheimio, Godefrido Arnsbergio, Theodorico Isenburgio, Henrico & Walram. Limburgiis; Walramo de Monsoye, Alberto de Hurde Henrico de Volmunstein, in fœderis tabulis inter Conradum

Hochstedenum Archiepiscopum Colon. & Engelb. Isenburgicum Episcopum Osnab. anno 1248. in annuntiatione B. Mariæ Virginis conscriptis, rei gestæ testis citatur, Hic Ludovicus ex uxore Ottonem successorem, & novum Ludovicum Episcopum Osnabrugensem genuit, anno 1260. vitâ defunctus. De Ludovico autem Ravensburgio Episcopo Osnabrugési in ordine 33. ex Crantzij lib. 8. Metropolis, cap. 24. Chronico Ertromi, & Gobelini Cosmodromico constat, quod vir magni animi, Simonem Lippiæ Comitem, multa ex arce Engerensi, antiquo Saxonum propugnaculo, damna diœcesi inferentem cœperit, & vinctum in urbis carcere (dem Bock) dicto, in sextum usque annum captivum detinuerit, donec die Kiliani anno 1305. transactione factâ, Comes Simon cum filio Bernhardo Præposito Paderbonensi, datis nobilissimis quibusque obsidibus, Ottone Tecklenburgio, Ioanne Bentheimio, Alberto Swalenbergio, Comitibus, se Engerensem arcem eversurum, & castrum atque oppidum Rhedam intra dies à relaxatione 15. destructurum, nec unquam per se, vel posteros, reædificaturum, jurejurando præstito promittens, Brunoni Ravensburgico fratri Episcopi illud in pignus tradens; Episcopo denique 4. millia Marcarum argenti numerans, dimissus est. Idem Ludovicus contra Engelbertum Marcanum, Julij, Teklenburgij, Arnsburgij, Waldeccíani, Lonensis, Rietbergij, & Tremoniæ Comitum, Episcopi item Monasterienses suppetijs subnixum, pugnavit, eumque anno 1308. devicit, sed à ministro proprio Comiti Marcano incumbenti, ex errore vulneratus, triduo post occubuit. Otto autem nominis secundus Ludovici Episcopi frater, patrisque successor ex uxore Haedewiegse Ludovicum secundum successorem, Hermannum præpositum Tungrensem, Ottonem Canonicum Osnabrugensem, & Brunonem accepit, anno 1298. aut circiter, mortuus. In Chronico Hassiaco Wihelmi Dilichij anno 1617. edito, narratur, Ottonem Landtgravium Hassiæ Henrici infantis filium, Anno 1326. mortuum, Adelheidem Ravensburgiam uxorem duxisse, ex qua Henricus, Ferreus dictus, prognatus. Ex Henrico altero Hermanni filio, Ludovicus descendit, cujus gnatus Otto Margaretham Adolphi Comitis Montani anno 1348. defuncti, filiam & hæredem, uxorem duxit. Etsi enim Adolphum quoque & Wilhelmum filios, Margarethæ fratres genuisset, quia tamen hi patri obstreperi facti, vindictâ divinâ ipsos prosequente, ante Patrem extincti fuerunt, tota Montium hæreditas ad istam eorundem sororem, post obitum Parentis, pervenit, ex qua vicissim Otto Ravensburgius unicam tantum filiam itidem Margaretham dictam genuit, Gerhardi Juliaci, VVilhelmi primi Ducis primogeniti, uxorem. A quibus parentibus vicissim VVilhelmus primus Montium Dux prognatus, vicissim ex Anna Palatina, Roberti Imper. filia, Adolphum successorem, & Robertum atque VVilhelmum, Episcopos Paderbornenses

nenſes, edidit; Ex quibus Wilhelmus dignitate Epiſcopali reſignata ex Anna Tecklenburgica; Anno 1415. aucta Gerhardum. Hic denique ex Sophia Saxonico Leoburgica iterum Wilhelmum omnes Juliæ & Montium Duces Comitesque Ravenſburgicos produxerunt. Poſtremi filiam & hæredem Joannes Dux Cliviæ Comesque Marchiæ accepit, & ſic omnes has Provincias feliciter copulavit, ut ſupra prolixè dictum eſt.

SERIES COMITVM RAVENSBURGICORUM 16.

PORro ex his omnibus quæ hactenus ex diverſis authoribus attulimus, colligere non eſt difficile, ſeriem Comitum Ravenſburgicorum talem eſſe.

Primus & proſapiæ hujus illuſtris Parens Hermannus Calvelenſis fuit, Iſtæ, Ottonis Bavariæ juxta Albertum Stadenſem anno 1105. Bavariæ Exducis filiæ maritus, qui juxta Cleinſorgium filiis binis Ottone & Henrico ex illa relictis, Anno 1172. in fata conceſſit.

Otto primogenitus Patriſque ſucceſſor Comitum ſecundus ex Juditha Ludovici 4. Thuringiæ & Haſſiæ Landtgravii filia Hermannum ſucceſſorem genuit anno 1226. mortuus.

Hermannus nominis ſecundus, Comitum tertius ex uxore Ludovicum ſucceſſorem, Ottonem Ultovii ac Vechtæ Dominum, & Hermannum præpoſitum Tungrenſem ſuſcepit.

Ludovicus Comitum quartus ex uxore Ottonem ſucceſſorem & Ludovicum Epiſcopum Oſnabrugenſem edidit anno 1260. vitâ defunctus.

Otto nominis ſecundus Comitum quintus ex uxore Haedwige inter alios Ludovicum ſucceſſorem accepit anno 1298. aut circiter extinctus.

Ludovicus nominis ſecundus Comitum ſextus, Ottonem 3. genuit.

Otto nominis tertius Comitum ſeptimus, maritus fuit Margarethæ Montenſis Adolphi filia & per eam fratribus binis Adolpho & VVilhelmo ante Patrem mortuis, poſt hujus fata Comitatum Montanum cum Corvino copulavit, & ad filiam cognominem Margaretham Gerhardi Julij uxorem derivavit.

Hinc igitur Gerhardus Iulius Wilhelmi primi Iuliæ Marchionis Ducis filius, Comitum Montenſium ultimus Ravenſburgicorum verò in ordine octavus factus, ex eadem, VVilhelmum primum Montium Ducem, Ravenſburgium verò Comitem in ordine nonum ſuſtulit, Cujus filij Adolphus Comitum decimus Robertus & VVilhelmus Paderbornenſes Epiſcopi fuere.

Adol-

Adolphus verò, quia ſine liberis obiit Gerhardo VVilhelmo fratris filio, quia abdicato Epiſcopatu Annam Teckleburgicam duxerat, ex eâque ipſum genuerat, tum Ducatus, Montanum & Iuliacum tum Comitatum Ravenſburgicum reliquit.

Cujus filius VVilhelmus filiæ Mariæ, Ioanni Duci Clivenſi comitique copulatæ, eaſdem iterum tradidit, qui ex ea VVilhelmum novum, isque Iohannem VVilhelmum ultimum Iuliæ, Cliviæ, Montium Ducem, Comitemque Marcanum & Ravenſburgium procrearunt, uti ſuprà prolixè dictum.

Provin-

Provinciarum

CLIVIÆ IVLIÆ, MONTIVM MARCHIAE, RAVENSBVRGIÆ CORONIS

quæ est LEONIS GELDRICI in Tetrarchiis suis, sibique subjectis Baronibus, & inferioris dition s Dominis adumbratio.

Illustribus & Potentibus ejusdem partium amplissimarum quaternarum hodie fœliciter iterum unitarum Ordinibus, earumque Proceribus

VIRIS

Nobilissimis, Magnificis, Amplissimis, Consultissimis

Cancellario & supremæ Curiæ Senatoribus gravissimis; Reipublicæ gubernandæ præpositis, Ærarii Ducalis reditibus eorumque rationibus præfectis prudentissimis. Omnium denique quatuor Dynastiarum; longè latèque diffusarum deputatis spectatissimis,

PATRIBVS PATRIÆ,

Dicata & consecrata:

à

M. WERN. TESCHENMACHER ab Elverfeld, Montano.

Anno M. DC. XXXVII.

PROVINCIÆ GELDRIAE ORIGO.

Situs, amplitudo, Fluvii, incrementa, & per 4. Tetrarchias progressus.

Origo Geldriæ.

GELDRIAE originem quod attinet, Provincia hæc, ut etiam vicina Julia, primitus sub regibus Lotharingiæ & Austrasiæ fuit, Auberto enim Miræo, in annalibus Belgicis teste, Ludovico Francorum rege ultimo sine liberis sub annum 987. defuncto, Carolus ex Ludovici Lotharingiæ Ducis filia vidua natus, Lotharij Francorum regis fratrem, regnum hoc sibi ex paterna & avita possessione debitum, quod Hugo Capetus Parisiensis Comes invaserat anno 990. armis repetiit: Sed per fraudem à Capeto interceptus Aureliæ ad Ligerim in carcere sub annum 991. fatis concessit. Hoc igitur tempore nempe anno 990. & non 978. ut Chronic. Holl. & Selandiæ & ex eo Bernhardus Furmerius existimant, Ann. Fris. lib. 6. quo Carolus Ludovici Lotharingi filius, Franciam Orientalem, ad quam Geldria quoque, sicuti jam diximus, pertinebat, administrabat (Caroli Calvi enim regnum Mosa terminabatur) vivebant apud Nicesam fluvium duo fratres Wichardus & Ludolphus, Ottonis, ut quidam volunt, Pontini dynastæ filij, qui Geldriæ præfecti ab Impp constituti occiso quodam monstro, quod in aquis latebat, ac incolas multis incommodis afficiebat, ab ejus voce & colore Geldriam condidisse perhibentur: erat illud monstrum, ut ajunt, immane quoddam & venenatum animal, sub maspilo delitescens, agros devastans, ac pecora animaliaque minora per occasionem devorans, adeò noxium, ut ob id incolæ agris ei vicinis desertis aliò se conferrent. Eo autem necato arci à clamore *Gelre Gelre* nomen indiderunt. Hæc fabula est: rei autem veritas, fabuloso involucro tegitur, quod ita aufert, & simul venenatam bestiam à Geldria depellit Bernh. Furmerius in Ann. Frisiis. Erat, inquit, tunc in ea regione palus & ex ea scaturiens amnis, qui totam suâ inundatione agrum reddebat infestum. Hic amnis Gala dicebatur hodieque in Tabulis Geographicis ita pingitur, ut in Niersam fluvium desinat, quem cum aggere coercuissent isti duo fratres ad ejus ostium ædificaurunt oppidum, quod *Gaele-door* tanquam Galæ ostium & per contractionem, *Gaelder* est dictum, quemadmodum cives ejus oppidi hodieq; pronuntiare solent: Sicut enim Hercu-

Hercules inter cætera monſtra Acheloum fluvium ſuperavit, extra ripas diffluentem, & agro Calydoniorum vicino vaſtitatem inducentem, ideoque à poëtis ob alveorum obliquitatem, quæ cornua dicuntur, Taurum appellatum, hujus verò Archeloi cornu altero dejecto, vel præciſo, copiæ cornu, ut iidem poëtæ fabulantur enatum, id eſt, ubertas agrorum & abundantia omnium fructuum provenit; Eundem in modum Gala rivo inter ſuas ripas contracto & in Nierſam deducto agri confines à monſtro exundante liberati & exſiccati fructuoſi ſunt effecti, cum antea ejus diſpendioſa vaſtitas adinſtar monſtri agrum redderet inutilem. Laudandi igitur fratres illi Geldriæ conditores, qui haud aliter quàm Hercules compreſſo Acheloo Calydoniorum, ita illi horum incolarum agros fœcundos atque fertiles effecerunt, adeoque Patriam locupletarunt.

In alia longè ſententia eſt Jeſuita Browerus in ſuo S. Meinwerco Epiſcopo Paderbon. 10. qui non fratres illos binos, ſed Wichmanni ex Adela filia nepotem, Ipſum ſcilicet Meinwercum Epiſcopum Paderbornenſem in ordine 10. reipſa Draconem occidiſſe vult, inque rei præclarè geſtæ memoriam, hunc à ſe interfectum in Mappa depingi curaſſe, ac Monaſterio ſuo Abdinchofio Paderbornenſi donaſſe, adeoque non in facto, ſed Perſona tantum erratum fuiſſe. Hic Meynwercus Comes Geldrus à Theiſterbandt vocatur, à Caſp. Bruſchio in Germ. Epitomes tomo 1. Et à VVillegiſo Archiepiſcopo Mog. Goſlariæ authoritate Henrici 2. Imp. propinqui ſui anno 1009. conſecratum urbem Paderb. muris cinxiſſe, ſuprimum templum inſtauraſſe & poſt 27. annorum ἐπιφορᾷ anno 1036. obiiſſe, ab eodem affirmatur. Sed nos hujus Hiſtoriæ fidem Jeſuitæ relinquimus.

Et ex Ægidio Gelenio Canonico Col. ad S. Andream adhuc aliam mythologiam fabulæ addimus: quippe qui in ſuâ Hiſtoria S. Engelberti Montani Archiepiſcopi Colon. anno 1633. evulgata de ferina tyrannide & dominatu eam interpretatur, illorum Harpyarum, qui ut incolas iſtorum locorum emungerét, Geldre, Geldre, nummos, nummos imperioſis ſuis vocibus clamavere, à qua ſubditos Wichardus & Ludolphus fratres ereptos libertati ſuæ reſtituerunt. Sed nimis ridicula eſt hæc nominis Geldrici Etymologia, ſicut ipſi etiam Gelenio viſum, qui ideirco, in notis poſtea editis, Patris Brouweri ſententiæ acceſſit. Utramque verò Furmerius dextrâ Mythologiæ explicatione ſatis refutaſſe videtur: Dynaſtas autem primos Geldriæ Pontinos, alii inquilinos viros nobiles, alii ex proſapia Theiſterbandica ortos fuiſſe volunt. Geldria ipſa à Gelduba Taciti, à qua alij eam deducere ſatagunt, longè alia eſt. Viculus enim hodie adhuc ad Rhenum ſupereſt in itinere, quod recta à veteribus Noveſium ducit, Geelb nominatus, ubi Gelduba olim ſtetit: Geldria autem à Rheno vel ſex milliaribus Germanicis diſtat, ſi Geldubam reſpicias, ut verè Bernh. Mollerus, quem ſupra quoque adduximus in deſcriptione Rheni:

In miseris pauper latitat Gelduba ruinis
Eminus ad lævam fluminis illa sedet.
Dicitur arcîato Gelbis jam nomine firma
Contigua pagum parte Lyena videt. (Lin.)

Situs, amplitudo & fertilitas Geldriæ.

Satis de origine: Situs est, quod à Septentrione Frisiam & Sinum Germanici vulgo **Dunderse**: ab Oriente Cliviæ Ducatum: A meridie Juliacum attingit: Brabantia & Hollandia eam ab occidente respiciunt. Regio est campestris, montibus omnino carens, sed passim sylvis ac nemoribus ornata, omnium rerum fertilis, præsertim frumenti fœcunda: Et supra modum pascendis pecoribus ob pratorum ubique viridantium luxuriem apta, adeo ut ex ultima Dania emacerata armenta huc saginanda mittantur.

Fluviis irrigatur 4. celeberrimis, Rheno, Mosa Vahali, & Isala, Niersa quoque illabitur.

Fluvii Geldriæ.

Rhenus, ut ex cursu ejus supra generaliter annotato hoc repetamus, ad propugnaculum Batavicum Grevewerdanum hiatũ Vulpis efficiens primo dividitur, & Vahalim à sinistris emittit, qui indè ad Zephyrum labens Noviomagum à sinistris, & à dextris Tediuni alluit, Et insulam quam Vahalis lævâ, Mosa dextra, attingit, constituit: Ad arcem verò Leoninæ rupis Vahalis nomine omisso solius Mosæ appellatione gaudet: prout ex Bernhardi Molleri descriptione Rheni apparet, qui, postquam cursum ejus usque ad tecta Telonarum prosecutus est, ita porrò canit.

Se minùs ipse capit qui sustulit omnia Rhenus
Fluminaa, non oneri sufficit ipse suo.
Non fluviis constat, terrâ vestigat hiante,
Aufugium, terra pulsus hiante fremit.
Terra pavet Rheni toties explosa Tridente
Cedit, iter fluvio præbet ubique fugam.
Dividitur Rhenus fluvio disjuncta bicorni
Pignora feri, fluvio pignoris ista loco.
Solùs ad occasum defertur gurgite Valis,
Et prior est natu Valis, at amne minor.
Valis ubi Rheno vadit disjectus, eadem
Parte telonarum tecta jacere vides.
Insula discedit cognomine prodita vulpis,
Longius ad spatium reddita jure venit.
Septem Neomago discedit millia passûm,
Neomagum lævâ Valis abire videt.
Urbs non tota levat surgenti mœnia colle,
Ast aliqua planam parte lutosa tenet.
Nil, fateor, Bajis, Latio præluceat in orbe,
Nil & Neomago Geldria majus habet.
Valis habet dextram, sed jam Lentina fluentis,
Succubuit, Valis mersa furore latet.
Neomago centum stadiis labente retrorsum,
Teilium ripæ Valis adesse facit

Teilio

Teilio Valis Mosam cedente salutat,
Vt quatuor passus mille peregit iter.
Mutua junxerunt simul ac amplexibus ora;
Insula dissolvi protinus ora videt.
Hæc Stadiis centum longo protensa meatu
Quattuor ad passus mille, sed arcta coit.
Cæruleo lævam distendit flumine Mosa,
Cæruleo dextram flumine Valis obit.
Insula finitur medio dum limite Valis,
Mœnia Bomeli gurgite læva quatit.
Latius advecta subigit dum Najade fluctus
Imperio Mosam deficiente capit.

De Mosa in Provincia Julia dictum.

Isala male à Plinio & Pomp. Mela Flevi nomine appellatus; cum potius Nabalia sit, cujus ostium quoddam Flevus Yselordum quasi in angulo à sinistris, Westerfurdiam à dextris habet, sed modico flexu in septentrionem delatus à dextris præclarum oppidum Doesburgum alluit: juxta verò illud Isalam novum antiquior influit. Hic in Westphalia ortus, & propè Mariæ Vallem progressus, Ringbergam & Diengdenum longinquo deserit, Werdenbruchiam & VVerdam præteriens ingentes longè latèque paludes efficit, Iselburgum, provinciam Anholdinam, Lancfurdum alluens, à dextris Alpham fluvium accipit, qui itidem ex VVestphalia scaturiens, non procul Velenam deserit, & Ranstorpiam, Gæmenum, Borcanum, Rheam, Bocholtiam alluens tandem Isalam illabitur, & Alphâ hoc flumine accepto Ulfftenum præterit, Swanburgum castrum, Burgiacum oppidum, præterea Olstanum, Dotichemenum Capellinum vulgò **Keppel** Doesburgum alluit, & sub hoc Isalam novum influit. Isala verò novus à sinistris Dierenium & Spancranium, à dextris Steenderam, à sinistris Vichmondum amittit & deserit, à dextris etiam proximè Bronckhorstium attingit. Apud Zutphaniam Isalæ à dextris fluvius Bercola ex fœnifero prato (**der Speckhuiser wische** dicto) præter auxiliares ex gurgitibus Holthusij & molaris aggerum aquas promanantes non procul à Bidrebecâ ad castrum **Hameren** à tribus fontibus ita appellatâ, ortus, D. Ludgeri & Vorlonico torrente rivo itidem in campo Hamerensi, qui fossam castrensem influit, acceptis, Bercolæ in Burschapiâ **Luthen** / junctus, nomen accipit, & indè Coesveldiam, Gescariam, Stattonium, Vredenam, & reliquias desertæ arcis, Hyburgum, Borculoum, Lochemum, Galilæam, & Zutphaniam præterlabitur. Idem Isala in circium iter mutat, lævâ, Tuoldenium remotius habet, Velsenam proximè alluit eâdem parte, a dextris Olstenum & Vigionum præterit, à sinistris Vesreniam possidet, & fluvium Grifftium atque oppidum Hattemum Daventriæ proximum, à sinistris, inde quoq; Isala cœnobiũ tenet Aquæ claræ, eâdemq; parte

Cluverius de tribus Ostiis Rheni.

Zallichium alterâ Vilſenum alluit viculos: parvam deinde circumfluens inſulam, Campos à ſiniſtris, oppidum florentiſſimum, habet, ubi Iſala mari commixtus, à dextris Vidrum ſive Vechtam fluvium à tribus fontibus ita nominatum habet. Ex his fontibus primus ſupra Darveldiam ebulliens Burlóniam minorem alluens, circa Grotheveum molas circumagit. Secundus apud villam Levordinganam exortus, Rocholtum alluit. Tertius ex colle apud Sacellum Annæ dirutum, profluit: ipſe verò Vechta inter Schoppingiam & Egenradum labitur, fontem limpidiſſimum ex templo Schoppingenſi, quod extra vicum eſt, & plures alios ex Monte Schoppingano à dextris digerit; Metiloniam & Langenhorſtiam præterit, à dextris verò Alphàm apud pagum **Laur** ex colle natum, & limpidiſſimo flumine pratum ſacrum diſſecantem, nunquam verò flumine deficientem, tenet; in quem Scalfurda apud villam Hœmodiam ex colle profluens, villamque Temmingianam alluens, juxtà villam **Lochoff** labitur; ipſe verò Alpha, flumine dicto **Auſterbecke** accepto, Steinfordiam præterit, Vettringiam, Onæum, Scuttorpium, Northornum alluit, & juxta Fronſbergas Vechtam influit; Sicut ex ſequenti Bernhardi Molleri deſcriptione metrica in Rheni diagraphe patet.

Quondam foſſa fuit Druſi, nunc Iſala fertur,
Hac quoniam Druſi facta labore fuit.
Rhenus in occaſum lacerato diffugit amne
Tendit in exortus Iſala, turvat iter
Eſt locus ad lævam qui dicitur angulus illi (**Iſelordt.**)
Iſala ſubducto nomen ab amne dedit.
Weſterfurda ſubit Zephyri trajectus in orbem
Dicitur, ad dextram culmina ſpectat aquis.
Annatat antiquus Druſiburgi mœnia fluctu
Iſala, quem nitidis innatat Alpha vadis.
Fontem Weſtphalicis educit tractibus Alpha,
Iugera Velenî diviteradit aqua.
Cernitur allati Ransdorpia fluctibus Alphæ
Paſcua Gameni fluctibus Alpha rigat.
Flumine Borckenum fœcundans divite, Rheam
Exigua pulchram ſede venuſtat aquis.
Ejus & obſequio Bocholtia vapulat amnis,
Arbor ab eventu fagina nomen agit.
Alpha ſed ulterius dum præpete labitur unda,
Iſala mox ſenior devorat ejus aquam,
Iſala Weſtphalici delabitur æquora ruris,
Ad Mariæ Vallem pronus adornat iter.
Defluus averſo Ringbergam deſerit amne,
Culmina Dungeni longius amne rigent.
Et Werdenbroichia defertur ad atria, Veridam
Præteriens ſegni rure palude tegit.

Iſelburgiacæ cognomina deſtinat arci,
Totus Anholtinæ tecta cohortis adit.
Culmine Lancfurdi ſimulac deſcivit, ad Alphain
Pervenit hunc rapido dexter ut amne bibat.
Præterit Vlſtanum, Cygni, defertur ad arcem Swanenburgh
Mœnia Burgiacæ ſpumifer urbis obito,
Præterit Vlſtanum. labente citiſſimus unda
Ad Dotichimeni tecta feracis abit.
Cominus audenti Kepelinum gurgite lambit,
Mœnia Doesburgi cominus alta ferit.
Hic novus & ſenior conjungunt Iſala fauces
Iunior aſt patulo digerit ore ſenem.
Iunior Auſonij nam dicitur Iſala Druſi,
Iſala ſed ſenior tempore rarus aqua.
Quo veniat tandem, qui terminat omnia finis
Iunior in calamos Iſala rurſus eat.
Læva Dierenium ſubterfluit Iſala longe,
Culmina Spancraniæ longius eſſe videt.
Parte Steenderam dextra proſpectat abeſſe,
Optima vix fluvius cernere caſtra valet.
Obviat averſus Brunchorſtia fluctibus urbe,
Iſala dextrorſum proſpicit ire lares.
Inferius paulo Brumenum proſpicit: ejus
Tecta ſiniſtrorſis ſpectat adeſſe vadis.
Longius averſo Vichmondum flumine dexter
Deſtituit, pagi tecta ſubire nequit.
Limite Doesburgi Brunchorſtia longius extat,
Nam quatuor paſſus mille remota venit.
Viginti Stadiis Brunchorſtia ſemovet urbem,
Bercola quam liquido Weſtphalus amne ſubit.
Bercola diverſæ ſortitur nomina vocis,
Quin etiam fonteis connumerare gravor.
Paſcua Spechuſi primo ſunt pervia fonti
Ad poſitum lardi nomen adepta domo.
Vnda lacum, creſcens veluti piſcina, reſtagnant,
Nomen ab Holthuſo mutuat orbe lacus.
Hinc aliam vaſto reficit fervore paludem,
Quæ geminis nomen ſumit inane molis.
Bidrebeca molis vicino proxima calle,
Deſtinat in medio ſemita calle lacum.
Limite deducens Hameranum ſemita recto,
Ad ſtreperas annem ſpectat abire rotas.
Bidrebeca tribus generet quod fontibus undam,
Fontibus accepit nomina ferre tribus.
Vrbis id antiquæ confert inſigne, quod illic
Triplicis in clypeo linea conſtet aquæ.

Bercola procedit, trini prædatur & amnis
Flumina, prolabens ductile flectit iter.
Præsulis acceptat Ludgeri postea rivum
Nomina de pateo Præsulis iste capit.
Bercola sortitur quod dat Vorlonia flumen
Ista Monasteri clade notatur humus.
Bercola collecto rapitur dum latius amne
Ex alia ruris parte reteptat aquam;
Illa sed exurgens Hamerani prodita campo
Vndisona Castrum deveneratur ope,
Eruta metitur castrensis rudera fossa
Hic geminas uno circulat amne molas.
Flumine Luthenas rigno perfertur, & illic
Talibus augeri Bercola gestit aquis,
Sed non ante fuit, fertur quod Bercola nomen,
Nomen at incertum contulit ora loci.
Dum tot colligitur rivis, tot flumina passim
Digerit, arrepto clarior amne fluit.
Excipit herboso Coesfeldia rugere flumen,
Vrbs veteri credit numen inesse cruci.
Bercola præclustri simulac descivit ab urbe
Gescareæ cursu tentat adire casas.
Statlonium lætopetitur torrente, Vredena
Ingenua pollens virginitate subit.
Bercola fragmentum deserta præterit arcis,
Arcis & antiquæ rudera purgat aquis.
Præterit Eyburgum, Berclovi præterit adeis
Flumina Grollorum limite ducta rapit.
Mœnia Locheni, Galilææ culmina linquit
Pendere lassatur fluminis inde sui.
Omnibus occurrit Zuitphænia viribus amni
Bercola dum Zephyri partibus urget iter.
Pronus ab urbe cadit qua sternitur Isala ponte
Longius amisso desinit amne vehi.
Viginti stadiis simulac Zutphenia quinque
Et totidem retro grande peregit iter.
Fluminis Imperium Daventria pontibus arctat
Mercibus Emporium sustinet arte scholas.
Isala paulatim dexter divertit ab Arcto
Nubifer hunc gelido Cirrius Orbe capit.
Læva Tuoldenum discedit Welsena lavam (Swol.)
Occupat Olstannum surgere dextra notat.
Vrgionum dextra simulac deprendit abisse,
Isala Vesreniam cernere læva potest.
Grisius Hulsborg; deducit rugere flumen,
Et varie lecti; flumen adaugent aquis.

Vt

Vt sex & totidem cessit Daventria mille
Passibus, Hattemum flumine læva videt.
Hinc locus occurrit claro sortitus ab amne
Nomen amat claustri læva rigare locum.
Zallichium tractu propius contendit eodem
Isala Vilsenium turbine dexter obit.
Insula dividuo circumdatur obvia fluctu
Illa, sed unito protinus amne perit,
Ater ab Hattemi quum sedibus Isala mille
Quattuor & totidem passibus egit iter.
Obvia ripali Camporum mœnia campo
Sustinet, ad lævam sustinet ista latus.
Quattuor ut stadiis totidemque profunditur illinc
Præda fit Oceano Isala prædo vadis.

Niersa non longe à pago Berghio Wickradiorum ortus, & apud Geldriam, Wyâ fluvio accepto VVickradiam, arcem Niersensem, atque dominium, à sedictum cum toparchia Anradiensi ad generosos Virmundos spectante, nobilitat, Milendonciam & VVachtendonciam lambit, inde castra Schraevelinũ municipium, VVissenium, VVezanum, Hartenfeldiam, Galbeccensem arces alluit, Gochiam transit, ac ad novi claustri cœnobium, Noergenam, Driesbergam & Hamkenam arces, & ab his Gennepiam tendens, ibidem se cum Mosâ conjugit. De quo ita Bernhardus Mollerus in descriptione Rhensi:

Gennepium fertur duplex, præcurrit utrumque
Qui gelido tedens amne Niarus adest.
Vrbs paulum ripa Mosæ semota videtur
Proximus ad Mosæ cornua pagus abit.
Wachtenduncana veniens tellure Niarum
Nobilis advectum Geldria flumen obit.

Provincia Geldrica tota ab oppido & castro ei contiguo Dynastarum Põtanorum avito, denominationem accepit, & primum per præfectos Advocatos seu tutores 8. deinde Comites, & deniq; Duces administrata fuit.

Tetrarchias hodie continet quatuor, inter quas Neomagensis prima, cujus territorium regni titulo decoratur, ideoque metropolis ejus antiqua meritò dicta, succedit Ruremundana, spatiosa, ob urbis & agri amplitudinem appellata. Comitatus Zutphanensis olim Selemensis dictus tertium tetrarchiam, loco licet intermedio sitam, amplitudine tamen sua, & quia Comitatus alios binos Montanum, & Brunckhorstanum ambitu suo complectitur, præcipuam efficit, idcirco vocatam locupletem, per conjugium Ottonis Nassovii secundum, cum Sophiâ VVichmanni ultimi Zutphaniæ Comitis filia, initum, Geldriæ conjunctam. Arnhemiensis deniq; sequitur ab urbe metropoli, quæ aulæ quoque & Dicasterii sedes est, speciosa nominata, Velaviam Insulã inter Rheni ostium, & Isalam interjectam, & ad mare usq; protensam, ambitu suo complectens.

Neomagensis tetrarchia urbes complectitur Neomagum, Thielam, Bommeliam; quibus olim Gravia, Bura, Cuilenburgium oppida, ab Arnholdo Egmundano principe avulsa: pagus item Gentilis, in superiore Batavia, connumerabantur.

Gravia olim Comitatus Cuickiensis metropolis fuit: Extincta vero Cuickiorum Comitum familia Brabantiæ accessit. De ejus tamen possessione & hæreditate sæpius Brabantiæ & Geldriæ Duces certarunt, maxime vero Anno 1386. Johanna Brabantina, & VVilhelmus Juliæ ac Geldriæ Dux: Tandem ejus frater Reinholdus 23. Octobris Anno 1407. urbis clientelam ab Anthonio Brabantiæ Duce accepit.

Burenus Comitatus, à quo Dynastis ejusdem nomen ab his partim mortuis partim ditione exutis ad Egmundanos, ab istis ad Nassovios, Principes Auraicos per conjugiũ pervenit. Fridericus enim Egmundanus Wilhelmi & VValburgis Morsensis filius secundogenitus, Comes Burenus, Florentium, hic Maximilianum, ille Annam VVilhelmo Nassovio Auraicæ Principi 4. idus Junii anno 1550. copulatam genuerunt. Ex antiquis Buerenis dynastis Ottonis mentio 1190. in primis urbis Suitphænæ privilegiis: Goeswini Anno 1271. in aliis ejusdem Suitphænæ privilegiis.

Novus Otto Buerenus An. 1289. hanc suam Dynastum à Reinholdo nominis primo, octavo Geldriæ Comite, in feudum accepit.

De Dynastia Cuilenburgica.

CUylenburgensis regulus primus Robertus Bosichemus Anno 1164. mortuus. Ejus successores per diversa connubia plures. Hubertus Cuilenburgicus Anno 1298. dynastiam hanc à Reinholdo nominis primo, octavo Geldriæ Comite, jure fiduciæ recognovit.

Rutgerus Cuilenburgicus pactis connubialibus Arnholdi Egmundani Geldriæ Ducis, & Catharinæ Clivensis Anno 1423. inter alios subscripsit.

Gerhardus 2. ejus nominis Cuilenburgii regulus, ducta in uxorẽ Elisabetha Buræ, Borselii, Zulæ, Sint-Martisdyckii, Swickii, ac Dodendalæ Dominâ, magnas ditiones cum ipsâ accepit. Ex his natus Casparus Cuilenburgii, Zulæ, Hoghstratæ regulus, & Adelheidis quæ patris testamento Buræ & Santis-Martensdyckii domina, Friderico Egmundano Isselsteinii Dynastæ nupsit. Casparus quinque tantum filias reliquit, quarum major natu, licet bis enupta nullos liberos peperit; secundogenita uxor fuit nobilissimi viri Joannis Palandi ditionis Falckenburgensis præfecti, & filium Florentium ei genuit, qui primus Cuilenburgii Comes à Philippo 2. Hispaniæ rege Anno 1566. designatus, ob exhibitum anno eodem cum aliis libellum supplicem Duciss Parmensi, ab Albano proscriptus, Anno 1598. penè septuagenarius obiit. Hujus filius Florentius 2. hodiè superstes patris ex asse hæres, Comitatui, reliquis-

que

que dynastiis præest, Catharinæ Montanæ anno 1601, sterili, matrimonio copulatus.

Pagum Gentilem in superiori Batavia à Dynastis suis nobilissimis à Genth ita dictum, & jure oppidanorum donatum, anno 1596 Carolus Egmundanus Geldriæ Dux, Henrico à Genth, VVilhelmi filio, in clientelam concessit.

Municipales præfecturæ in eadem Tetrarchia principes sunt; Regnum Neomagense; Batavia superior & inferior; Bommelii, & Thielæ Insulæ; districtus inter Mosam & Vahalim; Toparchia Bestia sive Optima, eadem quoque in fine Bataviæ sita, cum Renoiæa & Feriaycica dynastiis.

In his præfecturis equestris dignitatis virorum multæ vetustæ arces sunt, & dominia, Persingense, Ubbergense, Groesbecanum, Dodendalense, Batenburgium, Horsumiense, Luerense, Oyense, Diedense, Balgoyum, Gentile, Hemertium, Millinganum, Pannerdense, Meinerswicense, Rossumiense, Isendornium, Lehojum, Lindanum, Oudenwerdanum, Marsium, VVolffswerdense, Judermittenum, Dalemium, Puderoyum, Neder-Hemertium, Ameisfoyum & Hedelium.

Secunda tetrarchia est Ruremundana, cujus caput Ruremunda: Minora oppida Geldricum, Venlonum, Stralenum, VVachtendoncium, Montfortium, Neostadium, & Herculenum.

Præfecturæ municipales sunt octo, sub quibus & urbanæ nonnullæ, Geldria, Kesselia, Montfortia, Krieckenbecia, Stralensis, VVachtēdoncoia, Herculena, & Middelaeria: Minores verò & hæreditariæ numerantur, Viersensis, Horstia, Lentia, VVelliâ, Afferdensis, Blienbeccensis, VValbeccensis, Arlensis, Griebenforstana, Blitterswichiensis, Mirloensis, Elmptana, Stephanswerdana, Hellenradia, Swalmia, Asselia, Geisterana.

In Ecclesia Radensi juxta Viersensem dynastiam, Engelbertus Montanus Archiepiscopus Colonienſis, ex donatione Ernesti sacerdotis Suechtelensis collegium 4. Canonicorum an. 1220. Gerhardo Geldriæ, Gerhardo Hornensi & Lonensi Comitibus, præsentibus, etexit.

Herculenam alii à nobili virgine Ercka, derivant. Alii quasi castra Herculis dictam putant, & quidem melius. Hujus possessores primitus Canonici Aquenses fuerunt, beneficio cujusdam Ottonis Imp. qui illam Duci Geldro postea resignarunt.

Neomagensis urbis & Tetrarchiæ originem ita percensent, Gerhardus Noviomagus in historia patria Batavica, & ex eo Bernhard. Furmerius Annal. Phrisiorum lib. 1. cap. 3. *Neomagi Origo.*

An. ante natum Christum 127. Bato Cattorum regis filius novercam fugiens ad Menapium Magi filium Tungrorum regem socerum suum venit: qui à Menapio humaniter exceptus in Magum arcem Mosæ flumini adjacentem ab eo deductus est, ibidemque cum suis aliquandiu liberaliter, & pacificè habitus, secundo mense adventus sui causâ socero Bato aperit, precaturq;, quoniam innocens *Communis sed obscurior.*

cens sit,& insidiis Novercæ appetitus,fugæ se mandaverit,ut socer generum in fidem recipere, & exilio voluntario locum tutum , & securum dare velit. Erat autem Bato princeps staturâ atque formâ corporis cum morum facilitate, & singulari prudentiâ insignis, ob easq; dotes non tantum subditis suis,verum etiam aliis, ad quos veniebat jucundissimus. Quam ob rem nec Menapius diu cunctatus, quin ei rectum consilium daret,juberetque ex certa animi benevolentiâ, ut sinistram oræ Gallicæ partem, quæ à Rheni divertigio erat ingressus eam cultore vacuam usque ad Vahalis & Mosæ fluminum confluentes occuparet, occupatamque castellis atque arcibus contra vicinos communiret , convenisque frequentem redderet. Eâ re communi procerum consilio comprobatâ Bato statim post soceri abitum , arcem non procul à Mago sitam ædificare cœpit, quam à suo nomine Batoburgum dixit, in hodiernum usque diem superstitem: Eodem tempore & populus ejus memoriam sui retinere cupiens,atque posteris tradere,alteram arcem aliquot inde distantem milliaribus condidit,quam Catuicum appellavit,quasi oicas Cattorum perfugium. Cum autem non ita multo post ea pars occupatæ terræ,quæ Mosæ Vahalia dicitur, Convenarum multitudini non sufficeret, cœpit deinde Bato, & alteram partem , quæ Vahali Rhenoque & Oceano clauditur, Coloniis occupare, & ne facilis in eam à vicinis esset introitus ad oceanum altero Catuico ad initium verò Insulæ arce Lepeca communire, totamque provinciam uno nomine à se Bataviam dicere. Etiam Bato multos vicos,arces, munitiones in hac sua nova provincia cõdiderat , suisque subditis ob æquitatem humanitatem atque clementiam mirum in modum erat acceptus. Cum animum ejus subiit cupiditas ædificandæ domus, ubi & ipse cum uxore & liberis commode habitaret, & ex qua omnem ditionem rectè, & brevi manu gubernare posset. Igitur cùm totam regionem eo fine perlustrasset, invenit tandem ad Vahalis sinistram modicè assurgentẽ Clivum à dextris collium vallium, sylvarum fontiumque amœnitate,à sinistris agri bonitate excellentem, ex quo in omnem partẽ totius provinciæ jucundissimus prospectus.& saluberrimus se offerebat. In eo itaque Clivo,Bato tum palatium suum constituxit, & soceri ædificium æmulatus Noviomagum, sicut, ex bibliotheca pontificali Romana Blondus Flavius scribit, vel, ut vulgo appellatur, Neomagum, quasi novam amicorum domum nominavit, ut à Mago veteri ad Mosam fluvium condito discerneretur.Circa hoc autem palatium, cum Bato & filius ejus Hessus multa à convenis domicilia conjungi passi essent,successu temporis evenit, ut locus iste in magnam urbem coalesceret, totiusque Bataviæ caput atque Metropolis haberetur. Hessus Batavorum Rex faustâ totius gentis acclamatione salutatus,urbem hanc mirum in modum , atque ita auxit, ut inferior ejus pars à suo nomine Hessi mons,indeque platea Hessiana usque in hodiernum tempus dicatur.

Vera & evidentior.

Ast alius,sicut in antiqua nostra Geldria indicavimus quæ ex Hunibaldo

baldo cæteriſque hujus farinæ auctoribus de Tungrorum & Menapiorum regibus, vulgo afferuntur, fabuloſa nimis viſa ſunt, ideoque hæc ex limpidis potius Romanæ hiſtoriæ fontibus, quam turbidis iſtis lacunis explicare malunt. Qui etiam, licet Neomagi nomenclaturã à novis amicis ſive colonis admittant, Bataviã tamẽ non tam à Bato, quam à natura loci, quod ſaltus nimirũ ſit paſcuis irriguis & frugibus optimus, **dit Beter au** denominatã autumant.

Bernh. Furmerius lib. 7. Ann. Phriſiorum tractum hunc ſub Phriſia comprehendit, cum eam veteri ſeculo, in cis & trans-Rhenanam diviſam, totam à porta Neomagenſi incipere, inque Sinfala ſive Scaldi olim deſinere, eamque Geldros, Phriſios, Hollandos, Selandos complecti aſſerit, illudque epigramma comprobare duplex marmori in porta Heſtreliana Neomagenſi inſcriptum, quorum primum, HUCUSQVE IUS STAURIAE: alterum ad ortum HIC PES ROMANI IMPERII. STAURIAM enim veteri ſeculo Phriſiorum Metropolim fuiſſe, conſtat. Fuit autem Batavorum nomen, non ſolùm per vicinas Gallias, verum etiam per Italiam & longius diſſitas regiones, inprimis verò apud Romanos, ſatis celebre, quod ex hoc quoque elogio apparet, quod in fronte ſacelli artis Neomagi poſitum eſt. DIS MANIBUS G. IULIO CLAUD. PUDENTI MEOMA. VET. LEGXG. PAN. L. & IUNIO F. EIUS H. E. C. Quod lego. Dis manibus Gaio Iulio Claudio pudenti, & fratri ejus hæ fuere conſecratæ.

Comprehẽſio ſub Phriſia.

De Batavis ex Hiſtoria Romana.

Cum enim Batavis in more poſitum eſſet, juventutem, quæ ab agris colendis vacabat, militari, & in primis equeſtri diſciplina, exercere, atque ita exercitos in exteras regiones ad ſtipendia facienda mittere? Ita factum eſt, ut bello Mithridatico aliquot Batavorum cohortes ſub Lucio Cæſare tum Achaiæ proconſule, patre Julii Cæſaris militarent. Horum tanta virtus & fortitudo fuit, ut Senatuſque populuſque Romanus regem, & gentem Batavorum amicos Senatus conſulto ac plebiſcito declaraverit. Iulius autem Cæſar mortuo patre, Batavorum cohortes in ſummo honore ſemper habuit. Hos corporis ſui cuſtodes conſtituit, his primã aquilam in bellis dubiis credidit, horum potiſſimum opera Britanniã ſubegit. Durante etiam bello Gallico, Cæſar Noviomagum uſq; deſcendit & in amicitiæ ſuæ erga Batavos memoriam arcis partẽ, quæ Vahali imminet, Romanorum more, per ſuos architectos, & fabros, adverſus aquarum impetum muniri fecit, ab ipſoque, ea ſtructura, domus auxiliaris, Batavicè **dat huiſz ver huipen**/ nuncupata eſt. In bello vero civili Batavorum cohortes ſegregans Pompejum vicit, & in fugam vertit. Timens enim ne à multitudine equitum dextrum cornu circumveniretur, celeriter ex tertiâ acie ſingulas cohortes detraxit, atque ex his quartum inſtituit, equitatuiq; oppoſuit, quæ celeriter procurrens infeſtis ſignis tantâ vi in Pompeji equites impetum fecit, ut eorum nemo conſiſteret.

Cæſar lib. 3 de bello civili, & Florus lib. 4.

Suetonius in Octavio & Galba. Tacitus lib. 1. 2. 4. & 8.

Mortuo Cæſare Dictatore fideliſſimi in Romanorum amicitia ad Vitellii imperium uſque Batavi perſtiterunt.

Augu-

Augustus Octavius in comitatu suo multis annis eos armigeros habuit.

Tiberius corporis custodes delegit.

Regnante autem Caligula nonnihil tam insani principis Imperium detrectantes Romanis restiterunt.

Sub Claudio vero redditâ illis pristinâ libertate ac dignitate crebris per Britannias victoriis claruerunt.

Neronis verò ac matris ejus Agrippinæ corporis custodes veteri more constituti; tandem à Galba cotumeliis affecti in patriâ rediere.

Vitellius Cæsar quum Batavorum fortitudini, victos Othonianos, acceptum referre deberet, beneficiorum immemor, luxu & avaritia præfectorum suorum eos ad defectionem adegit. Hinc atrox bellum inter Batavos & Romanos exortum est, de quo supra in Geldriæ antiquæ lib. 2. Manente hoc bello Noviomagum Batavorum oppidum, ab ipso gentis duce Civile, quia id adversus hostes defendere nequibat, succensum est. Tandem æquis conditionibus ab armis discessum, manente Batavis apud Vespasianum & filios ejus veteri gratiâ & auctoritate.

Sub Hadriano Augusto rursus corporis custodiæ adhibiti, quum multis Augustis & fidelissimi & gratissimi fuissent, imperante Septimio Severo, libertatibus & honoribus ornati, in Britanniis (ut olim) sæpe fæliciſſimè pugnarunt. Quam grati Severo fuerint, satis declarant vetustatis Monumenta, Majorum ætate eruta non procul à Legia urbe, quâ à legionibus, quæ ibi castra habuerunt denominatam, verisimilis conjectura est. His hæc inscripta erant.

IMP. CAES. L. SEPTIMIUS SEVERUS AUG ET M. ANTONIUS CAES COH. VOL. ARMAMENTARIUM VETUSTATE CONLAPSUM RESTITUERUNT SUB VAL. PUDENTE LEG. AUG. PR. PR. CURANTE CÆCIL. BATOE PREGENS BATAVORUM AMICI ET FRATRES ROMANI IMPERII.

Constantio autem Cæsari ac Constantino, qui postea Magnus dictus est, & in Britannia olim commilitones Batavi magnum momentum ad imperium obtinendum attulerunt.

Nec Iuliana in pugna Argentoratensi, auxiliatores Batavorum turbæ defuerunt, sed ipsius exercitui in pugna laboranti, animum addidere, & victoriæ causa fuerunt. Post hæc tempora barbaris Nationibus Romani Imperii provincias incursantibus, Batavi ægrè patriam suam tutati sunt.

De Batavis sub Regibus Francorum

Tempore verò Pipini Francorum Ducis, Danis & Phrisiis fortiter aliquandiu resistentes, tandem hostili vi coacti sunt, Francorum & regem & religionem suscipere, manente tamen non solum eâ libertate, quâ à Cæsaribus donati erant, verum etiam multis modis auctâ, licet ab iisdem præfectos, inter quos etiam Theodoricus Theisterbandius pater Beatricis Eliæ conjugis fuit, acceperint, Carolus etiam Magnus Noviomagum arcem collabascentem reparavit, & sacellum, quod ibi Diis manibus à veteribus consecratum erat, Christo Servatori, per Leonem Romanum, Episcopum

pum consecrari fecit.

Ædificavit & in hac arce tribunal (quod Majorum ætas vidit) in quo crebro inferioris Germaniæ populis jus dixisse legitur, unde hodieq; appellatio juris in hac Republica Aquisgranum dirigitur.

Regnante Ludovico Pio Normani classe Vahalim ingressi, totã Insulam devastarunt, & Noviomagi regium palatium miri operis & magnitudinis exusserunt.

Carolo autem Calvo rerum potiente Batavorum gens trifariam divisa est. Inferior enim insulæ pars, quæ mutato nomine Hollandia à Phrisiis dici cœperat, partim Episcopi Ultrajectini, partim adventitii cujusdã principis jussa facere, jubentibus Francici sanguinis Cæsaribus, volens nolens coacta est. Hinc crebra bella exorta sunt, quæ si quis legere volet, habet Hollandorum, Ultrajectinorumq; historias: superior autem Insulæ pars, quæ etiamnum Batavicum nomen retinet, & Noviomagum caput gentis multis annis sub Cæsaribus libera mansit. *Divisio gentis Batavicæ.*

Fridericus etiam primus, hujus nominis Augustus, dictus Barbarossa Batavorum libertatem auxit, arcem Noviomagum instauratam munivit: ut sequens habet rythmus atrio, summi templi inscriptus: *Instauratio Neomagi.*

Fridericus pacis amicus.
Lapsum confractum vetus in nihil redactum.
Arte nitore pari reparavit opus Novomagi.

Tandem eam Principes Noviomagorum & Batavorum libertatem ad se derivare cum imperio laborarunt.

Primus qui id fecit, fuit Theodoricus, ejus nominis secundus, Clivorum comes in ordine 15. Conradi filius, Volantis nomen adeptus, qui quod Henricum 3. Imp. Conradi Salici filium Neomagi à Godefrido Brabantiæ Duce, & Balduino Flandriæ Comite obsessum asseruisset, & urbem & territoriũ imperiale in pignus ab eodem Anno 1050. ante instaurationem & munitionem hanc à Barbarossa factam, accepit, ab Henrici 3. in imperio successoribus posteris Theodorici Clivensis, usque ad Annum 1254. continuatum. *Ejusdem derivatio ad vicinos Principes. Prima.*

Quo tempore Guilhelmus Hollandiæ Comes Romanorum tex instantioribus precibus Ottonis ejus nominis 3. Geldriæ Comitis in ordine 7. persuasus pro 21000. marcis argenti puri, quas ei debebat, urbem & ditionem Bataviæ sibi subjectam arctius obligavit, pignusq; Clivorum Comitibus ablatum huic contulit, qui idcirco Batavis Noviomagisq; frustra contra nitentibus Aquilæ Imperiali Leonem Geldricum adjunxit, & cum Rudolphus Halsburgius Imp. An. 1273. idem confirmasset, Neomagum cum territorio imperiali & insula Batavorum superiori, Geldriæ hactenus indissolubiliter unita permanserunt; Hac denique rerum omnium vicissitudine factum est, ut insula quondam nobilissima ac potentissima in multas ditiones discerpta, in variorum Dominorum *Secunda.*

imperium devenerit. Ab Ottonis posteris primo ad Iuliæ Duces per cõjugium Mariæ Geldricæ, Reinholdi primi Ducis filiæ, V Vilhelmo secundo Iuliæ Duci copulatæ Anno 1371: Ab istis ad Egmundanos itidem per conjugium anno 1423. pervenit. Quorum primus Arnholdus ob filii sui Adolphi summam erga se impietatem Neomagensem Tetrarchiam, cum totâ Geldriâ an. 1473. Carolo Burgundo vendidit, atque sic domui cessit Burgundicæ, cujus imperium Ordines Geldrici excusserunt.

Neomagi & Batavia privilegia

Ab omnibus verò his suis principibus sequentes accepit Neomagum cum Batavia suâ immunitates & statuta.

Reinholdus nominis secundus primus Geldriæ Dux cum conjuge sua Sophiâ anno 1328. jus inter Mosam & Vahalim provinciale definivit. Ab eodem, anno eodem subditis ex utraque Mosæ & Nierfæ ripâ habitantibus Montfortio tantùm & Herculeno oppidis exceptis, de prætoribus, scabinis, & bonis, privilegia, matre Margaretha, conjuge Sophiâ, Isabella & Philippina sororibus Gwalthero Keppelio, Ioanne Bilandico, Ottone Haltio Equestris dignitatis viris præsentibus, ipsa triũ regũ Venlonæ concessa sunt.

Anno 1335. & 1336. die lunæ post annuntiationem Mariæ Insulis Tielanæ & Bommeliæ jus provinciale idem promulgavit.

Idem an. 1339. de Bataviâ diploma præsentibus Ioanne Schelhart ab Obbendorf, & Ioanne à Budberg Mareschalco hæreditario promulgavit.

In bello intestino Geldrico filiorum Reinholdi, secundi primi Ducis Reinholdi tertii & Eduardi, Neomagum huic patrocinans partes ejus constanter defendit. Post quorum fata, cum provincia Geldrica per conjugium Iuliæ accederet Wilhelmus Iuliæ ac Geldriæ Dux vesperâ assumptionis Mariæ anno 1403. præsentibus Friderico Brunchorstano Dynasta Batenburgico & Gerardo Flodorphio de Batavia leges tulit.

Eodemque anno Mercurii post Severini Episcopi de Tielana & Bomelienſi insulis Renoica item & Bestia sive optima, præfecturis ordinavit, Et eodem anno Iovis post Bartholomæi eodem Friderico Brunchorstano præsente, de harum præfecturarum jure disposuit, similiter Reinholdus frater V Vilhelmi an. 1409. Martis post Bartholomæi de aggeribus leges tulit, eidemque eodem anno de insulis Tielana & Bomelienſi, quinta denique Novembris ejusdem anni ipsi Neomago jus municipale definivit.

An. 1410. 22. Aprilis de superiori Batavia, præsentibus Ioanne à V Vittenhorst magistro curiæ, Ioanne à Rossum, Ottone ab Haffte/ Theod. à V Visch & Gerardo Hagē/ redituario diploma publicavit.

An. 1411. die martis post Dominicam Cantate idem literas provinciales de Batavia præsentibus Ioanne à Wittenhorst/ Ioanne à Rossum, Ottone ab Hafften/ Theodorico à Wich/ Arnholdo ab Alpen/ Arnholdo Pict/ & Gerhardo Hagē redituario promulgavit.

Sed his quoque Iuliæ ac Geldriæ Ducibus extinctis, Arnholdus Egmundanus Anno 1423. in Geldria succedens, Martis post

visitatio-

visitationem Mariæ anno 1433. inter Mosam & Vahalim jus provinciale dixit.

Idem anno 1435. Jovis post Thomæ, præsentibus VVilhelmo Egmundano fratre, VVilhelmo Abbate S. Pauli Trajectensi, Ioanne à Budberg/ & Arnholdo à Goer redituario de Batavia definivit, quod Martis post Baptistæ anno 1445. iisdem præsentibus repetiit.

Idem anno 1438. Vespera conversionis Pauli, Eodemque anno Mercurii post Severini de Insulis Tielana, Bomelienſi, Renoica, & Bestiâ determinavit.

Anno 1447. ipsa Barbaræ jus aggerum Tielanum & Santwichium rogavit, præsentibus Henrico à Beer Domino in Werdenburgh/ Ioanne à Hoessum/ Arnholdo & VValramo ab Hassten fratribus, Francone Pieck/ & Odone Tacholt redituario.

Idem anno 1448. præsentibus Ioanne ab Heuerden & Arnholdo à Goer redituario generali, Bataviæ leges præscripsit,

Anno 1449. quarta Iulii Drielanis literas publicavit,

Anno 1453. ipsa Laurentii eidem Bataviæ, præsentibus VVilhelmo ab Isendorn, & Giesberto à Meeckeren redituario, privilegia dedit.

Anno 1466. Sabbathi post Remigii Insulis Tielanæ & Bomelienſi, literas promulgavit.

Arnholdi autem hujus Egmundani ex filio immorigero Adolpho nepos Carolus Geldriæ Dux vespera omnium Sanctorum anno 1493. de eadem Batavia, præsentibus VVilhelmo ab Aswien Mareschalcko, Alberto à Lawich Camerario, & Goeswino à Bemmel redituario, disposuit.

Idem anno 1520. decima nona Februarii de Gameren ordinavit.

Anno 1521. 6. Aprilis, præsentibus Doctore VVinando, Henrico Goltff præfecto Herculeno, & Arnholdo Gruithusio Licentiato, Insulis Tielanæ & Bomelienſi privilegia confirmavit.

Anno 1522. Veneris post Pentecosten Neomago plebiscita confirmavit præsentibus Ioanne à Rossum, VValramo ab Hassten/ VVilhelmo Borne in Dornick/ Ottone ab Appeltern/ & Fueren / Theodoro a Steprad, Caspare à Linden Domino in Blitterswich / VVilhelmo Huiland in Falburgh/ & VVilhelmo à Genth.

Anno 1532. jus provinciale & aggerum inter Mosam & Vahalim tulit. Eodemque anno 7. Octobris de Insulis Tielana Salbomelienſi, Renoica & Bestia ordinavit.

Omnia verò ista Neomagi & Bataviæ privilegia, ubi specialiter prius de non evocando indultum ab Henrico sexto Imperatore anno 1310. Spiræ, Geldriæ universæ, adeoque etiam huic Tetrarchiæ, concessum 22. Aprilis anno 1524. confirmasset, Carolus V. Cæsar, victo VVilhelmo Juliæ, Geldriæ, Cliviæ, & Montium Duce anno 1544. rata habuit.

Neomagi, Mutationes variæ.

Anno 1466, à Ioanne ejus nominis I. Clivorum Duce & vicissim

Anno 1473. à Carolo Burgundo Neomagum obsessum, & ab hoc pridie Iacobi in deditionem acceptum est. Anno 1499. à Clevinis sub Duce Ioanne 21. 1500. Neomagenses capti, reliqui omnes spoliis exuti sunt. Ecclesiam habet collegiatam insignem, in templo urbis primario, cujus turris ipsa Valentini sive 14. Februarii Anno 1566. fulmine tacta, & hinc campanæ in ipsam suspensæ dissolutæ sunt.

Templa & Monasteria Monasterium Dominicanorum in eandem Reinholdus Geldriæ Comes in ordine 8. posuit.

Sub Metropoli Tetrarchica hac Neomagensi, urbes inferiores numerantur, Thiela & Bomelia, quibus olim Gravia, Bura, Cuilenburgia ab Arnholdo Egmundano Geldriæ Duce avullæ, pagus item gentilis in superiori Batavia accensebantur.

Thiela. Thielam Reinholdus ejus nominis 2. primus Geldriæ Dux sed tum temporis tamen adhuc Comes, anno 1335. expugnavit & munivit.

Hæc in bello civili filiorum ejus Reinholdi 3. & Eduardi A. 1561 ab hoc & vicissim alterâ Pantaleonis sive 2. & Iulii anno 1529. tempore Caroli Egmundani Geldriæ Ducis, obsessa fuit.

Bomelia. Bomeliam Otto nominis tertius, septimus Geldriæ Comes jure civitatis donavit, Eique Reinholdus ejus filius posterâ Lucæ Euangelistæ anno 1316. privilegia sua partim priora patris Ottonis cõfirmavit, partim nova concessit & auxit.

In hac urbe idem Reinholdus anno 1303. Ecclesiam collegiatam erexit, cujus immunitatẽ VVilhelmus Iuliæ ac Geldriæ Dux anno 1371. Veneris post Epiphaniam Domini, Decano & Capitulo concessit.

RUremunda sic dicta, quod Rura Orientalis ibidem in Mosam se exoneret, canente Poëta:

Rurmunda Nomenclatura.

Mœnia Rurmunda nomen testantia Ruræ
Præterit, hic geminus flumine Mosa coit.

Origo. Originem suam debet Ottoni ejus nominis tertio Geldrorum Comiti in ordine 7. qui eam cum Arnhemia, Bomelia, Harderwicia, Vada sive VVageningia, & Gochia, mœnibus, fossis, & privilegiis suis instruxit.

An. 1343. Reinholdus nominis secundus, primus Geldriæ Dux Dynastias, Kesseliam & Krieckenbecanam, quæ sub hujus Metropolis Tetrarchia comprehenduntur, Geldriæ suæ adjecit, & Venlonam, locum in Mosæ ripâ situm Blariaco objectum, ne tutelâ nova ditio careret, eodem anno munivit.

Metropolis ambitu suo hodie cõplectitur monasteria sequentia.

Monasteria Vestalium nobilium ordinis Cistertiensis à Gerhardo nominis 3. Geldriæ Comite in ordine sexto, Castro suo ibidẽ sito, & Pott dicto in cœnobiũ conversо conditum, quod Cal. Iulii A. 1224. ante urbis munitio-

munitionem, ab Engelberto Montano Archiepiscopo Colonienſi; præſentibus Henrico Montium Domino, Gwalthero ab Eil, Gerhardo & Henrico à Barſdunck/Gerardo a Rotheim/& Arnholdo a Wachtendunck inauguratum eſt.

Carthuſianorum item & Minorum S. Franciſci fratrum habet clauſtra: quorum illud idem Gerhardus nominis tertius Geldriæ Comes in ordine 6. cum fratre Ottone Epiſcopo Ultrajectino:

Hoc Reinholdus ejus nominis primus Geldriæ Comes in ordine 8. ædificarunt.

In Carthuſia Ruremundana vixit Dionyſius Richel. Carthuſianus, vir ſcriptis multis editis circa annum Domini 1471. clariſſimus, qui vicariatu quoque in eadem defunctus, poſt obitum ibidē inhumatus eſt.

Porro hæc Ruremunda à Wilhelmo Naſſovio, Principe Auraico 4. Auguſti Anno 1570 capta, Ordinibus ceſſit; ſed Regi vindicatam Philippus Naſſovius 10. Auguſti anno 1594. pro iiſdem fruſtra tentavit, donec 6. Junii Anno 1632. Fridericus Henricus Auraicus Princeps iiſdē Ordinibus eam iterum aſſeruit: Aſſertam vero 5. Septemb. 1637. Ferdinandus Hiſpaniarum Infans & Cardinalis Regius fratri Regi recuperavit. *Mutationes.*

Minores, quæ ſub ſe hæc Metropolis Tetrarchica ſecunda complectitur, urbes, ſunt: Geldria, Venlona, Stralena, Wachtenduncia, Montfortia, & Herculena, cum præfectura Echtia.

A Geldria toti Provinciæ olim anguſtoribus ſpatiis comprehenſæ nomen, cujus arcem præfecti ejus Dynaſtæ Pontini primitus condiderunt, ut ſupra dictum eſt, urbem verò ſucceſſores eorum ad Nierſæ & VVyhæ contra fluvium paulatim magè magiſque munierunt: Inque eam Reinholdus nominis 2. primus Geldriæ Dux, Monaſterium Carmelitarum Monachorum regularium Anno 13.. egregium collocavit. Anno 1530. conflagravit.

Venlona à locis ad Moſam paluſtribus, quæ Venen vulgo dicuntur, appellata, in territorio Krieckenbecano Blariaco objecta An. 1343. ut jam diximus, à Reinholdo, primo Geldriæ Duce, munita, & Anno ſequenti, veneris poſt Simonis & Judæ, privilegiis ſuis inſtructa eſt, Anno 1377. à VVilhelmo Juliæ ac Geldriæ Duce, iterumque à Reinholdo ejus fratre, Martis poſt Margarethæ an. 1414. præſētibus Gieſberto Pieck redituario generali, & Arnholdo Bucho: Ab Adolpho Egmundano verò Iovis poſt S. Agathæ anno 1465. confirmatis. *Ex Erycii Putean. genealog. Puteana Bamelrodiorū Venlonenſium, à vicino & amico Melchiore Putano mihi communicata.*

In hac Arnholdus Egmundanus Dux Geldriæ, Adolphum filiū refractarium an. 1462. obſeſſum tenuit. Eadem à Carolo Burgundo 12. Cal. Iulii an. 1473. occupata. Sub Carolo denique Egmundano An. 1511. iterum à Maximiliano Imperatore Caroli Burgundi genero obſidione cincta, & expugnata fuit; Sicque in poteſtatem domus regiæ Burgundicæ devenit. Poſtmodum VVilhelmus Juliæ, Cliviæ, Montiū Dux eam cum tota Geldria occupavit. Sed nō longè poſt idem ante eam coram Carolo V. Cæſare an. 1543. deprecatus

tus domui Burgundica iterum reliquit. Donec in bello Belgico Ordinum partes amplexam 11. Junij Alexander Farnesius Dux Parmensis in regis obsequium reduxit, Eamque 4 Junii anno 1632 Frider. Henricus Nassovius Princeps Auraicus, Regi aedmit, 4. Augusti verò Anno 1637. Cardinalis regius recepit.

Ut cœnobium verò Cruciferorum in hanc urbem suam patriam induceret, multum laboravit Fridericus Puteanus, totius hujus ordinis generalis, qui tamen post ejus mortem in sacellum D. Nicolai Anno 1340. à nautis structum, & sacrâ civium sodalitate frequentatum, Anno 1399. demum introducti sunt; Incrementa deinde monasterium anno 1401. accepit, templumque anno 1433 strui cæptum est.

Stralenæ Abbas Sigæbergensis in Ducatu Montano cum Geldriæ Duce concurrentem jurisdictionem habet.

Wachtenduncia à familia nobilissima, quæ olim vel illam possedit, vel propè eandem Castrum suum struxit, dicta est.

Ad illam anno 1468. Adolphus Geldriæ Dux de Ioanne ejus nominis primo, secundo Cliviæ Duce triumphavit.

Eadem eidem postea oppignorata est à sequentibus Geldriæ Ducibus redemta.

Prope illam cœnobium Sandense Ioannes à Buirchusen/ anno 1452. in terrâ sancta mortuus, & Anna à Straten conjuges fundarunt.

Montfortium à Castro ejus forti ita dictum anno 1343. ipsa Ægidii Reinholdus ejus nominis 2. primus Geldriæ Dux privilegiis oppidanorum instruxit.

Neostadium huic vicinum oppidum à nova structurâ appellatum est.

Herculenum alii à nobili Virgine Erka derivant, alii melius à castris Herculis. Hujus possessores primitus Canonici templi regii Aquensis beneficio cujusdam Ottonis Imperatoris fuerunt, illudque postea principibus Geldriæ resignarunt.

Suitphania Nomenclatura.

Suitphania aliis à lege Salica vel Isala, ut antiquæ Geldriæ lib. 3. annotavimus, indeque antiquitus quoq; Schlemensis appellata, aliis denique ab incultis terris & humum nonnisi ad ignem pabula præbentibus, quas Vennas vocant, & australi à Frisiis positu suũ nomen habere dicitur, ipsa regio olim Frisiorum, cum ii latius imperium suum extenderent pars, ad ortum supra se habet Cliviam & Monasterienſem Westphaliæ partem Vredensibus campis latè se pandentem: Infra & ad septentrionem loca, quæ possessa olim Trajectinis ad Rhenum Episcopis Transisulana ideo dicebantur, ut ab his, quæ Trajecti urbi propriora eorundem ditionis erant distinguerentur: In quibus etiam quondam Velavia fuit post Geldris concessa.

Quæ loca omnia Isala amnis disterminat, Suitphaniæ agrum etiam ab occasu claudens,

Primitus

Primitus autem per Comites ſuos adminiſtrata, majora indies incrementa conſecuta eſt, donec urbem Metropolin cum integro comitatu Otto Naſſovius, qui Geldriæ præfecturam per conjugium Adelheidis Wichardi filiæ & hæredis acquiſivit, eamque auſpiciis Imperatoris Henrici 4. anno 1079. in comitatum Romani Imperij hæreditarium commutavit, Sophiæ Wichmanni Suitphœni Comitis filiæ ſecundis votis copulatus, non tantum in comitatus Metropoli Eccleſiam collegiatam inſignem, cum templo eximio, in quo cum filio Gerardo inhumatus jacet, erexit, ſed ipſam quoque urbem muris, foſſis, & privilegiis munivit, magemagiſque à ſucceſſoribus expolitam & auctam.

Augmenta Privilegia.

Nam anno 1190. ſub Imperatore Henrico ejus nominis 6. Friderici primi dicti Barbaroſſæ filio & Balduino Epiſcopo Ultrajectino ab Ottone ejus nominis 2. Henrici primi filio & Gerhardi ſecundi fratre Geldriæ Comite in ordine 5. omnes ei priores immunitates renovatæ & locupletatę ſunt; præſentibus Richarde Iuliâ uxore, Henrico filio, Henrico Curijckio, Henrico Dalheimio & Keſſelio, Joanne Ahuiſio, Ludolpho Steinfurdenſi, Henrico Borckeloenſi, Wilhelmo Brunghorſtano ejuſque fratre, Wolthero de Vein cum fratre Wolthero Spiringh, *Ottone Buereno*, Richoldo de Utheren, Wernhero de Bercheim, Peregrino de Knipfelde, Theodorico Batenburgio, ejuſque fratre Stephano, Ludolpho parvo, Overo de Strachel, Theodoro de Huerenfeld & Godefrido ejus fratre, Reinhero Grondfinial, Henrico de Dalenbricht, Theodoro de Volve fratre Comitis Theodoro Noto, Henrico de Elbinge, Peregrino de Huerde, Wilhelmo, & Henrico de Dam, Bartholomæo de Baer, Eberhardo Pincerna, Nicolao de Vorſt, Zacharia & Jacobo de Arnheim, Jacobo de Middachten & Arnholdo Rint, aliiſque.

Deinde feria 4. poſt Dominicam Reminiſcere anno 1271. Reinholdus ejus nominis primus Ottonis 3. filius Geldriæ Comes in ordine octavus, eidem Suitphaniæ intercedentibus Henrico Patruo, & Joanne Epiſcopis Leodienſibus, immunitatem telonii Lobedeni largitus eſt, præſentibus Henrico fratre, Engelberto Iſenburgico Præpoſito S. Petri Trajectenſi *Goeſwino* Buereno, Wilhelmo Brunchorſtano, Gerhardo Batenburgico Henrico Borckeolenſe, Joanne dicto Bruch à Meer / & Joanne à Kuick. Idem Reinholdus 6. poſt Epiphaniam anno 1316. eidem nundinas, ante Bartholomæanas in Encœniis conceſſit.

Hujus verò filius cognomen Reinholdus 2. primus Geldriæ Dux feria 5. poſt omnium ſanctorum memoriam anno 1316. priſtina urbi privilegia præſentibus Henrico Wiſchio, & Stephano Suilenio, confirmavit.

Idem in Caſtro Roſendalio propè Arnheimium anno 1318. fecit præſentibus matre Margaretha Flandrica, ſororibusq; Philippina & Iſabella Petro Lectæno Canonico, Wolthero Keppelio, Jacobo Mirlerio Brunone & Joanne Dernichiis, Godefrido Tegna-

gelio, Balduino Aſwinio, Bernhardo Dorrenwerdano, Friderico ab Eſe, Henrico Wiſchio, & Giſberto Herwienio: Idemque viciſſim Dominica prima quadrageſimali anno 1324. repetiit: præter priores præſentibus VVilhelmo Millenſe, Stephano VViſchio, Ioanne Bruchuiſio, VVilhelmo Brunchorſtano, Friderico Montano, Ioanne Barenſi, Henrico Borculoenſi, Redingh Vorſtio, Eberhardo Dornichio, Hermanno ab Oſtenſe, Henrico & Theodoro Keppelio.

Idem Sabbathi poſt tranſlationem Martini in æſtate an. 1230. electionem Scabinorum civibus liberam conceſſit, & anno 1335. immunitatem telonii Venlonenſis.

Mortuo verò anno 1343. Reinholdo, primo Geldriæ Duce, filijs ejus binis Reinholdo & Eduardo inter ſe diſſidentibus; hic Suitphænæ, quod ſibi adhæreret, libertatem omnium teloniorum Geldricorum largitus eſt: Quo eodem anno etiam Reinhardus Schonforſtanus eidem immunitatem telonii ſui novi dedit.

Sed his quoque fratribus extinctis VVilhelmus Iuliæ ac Geldriæ Dux avunculis ob matrem Mariam Geldricam ſuccedens anno 1372. privilegia priſtina Suitphænæ confirmavit, eodemque anno libertatem de tributo civium ſtatuendi addidit.

Cum autem Mechtildis Geldrica primogenita Reinholdi primi Ducis filia vehementer repugnaret, illa Mercurii poſt Agathæ eodem anno 1372. ſe non ulterius in urbe ædificaturam, privilegia priora omnia confirmaturam, teloniorum denique univerſorum immunitatem daturam, promiſit.

VVilhelmi verò Iuliæ ac Geldriæ Ducis frater Reinholdus, ipſo defuncto, die Matthiæ anno 1410. urbis privilegia omnia rata habuit.

Idem ipſa decollationis Iohannis Baptiſtæ anno 1420. eidem duos mercatus annuos conceſſit, à Ioanne Palatino Duce Bavariæ, Hanoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ Comitis filio 19. Septembris eodem anno, iremque ab Arnholdo Egmundano ipſa Petri, anno 1442. confirmatos, quorum primus in Calendas Maij, ſecundus in feſtivitatem Bartholomæi incidit.

Cum autem horum quoque Iuliæ ac Geldriæ Ducum proſapia in Reinholdo anno 1423. deficeret, Arnholdus Egmundanus in provincia Geldrica ſuccedens, eandem urbem poſt privilegiorum omnium confirmationem etiam contra Daventriam, Sabbathi poſt aſſumptionem Mariæ, anno 1432 privilegio munivit.

Idem eodem anno & menſe, de conveniendis tantum in urbe civibus, & anno 1440 ipſa Philippi & Iacobi, de apprehenſione facinoroſorum, indultum conceſſit.

Adolphus, Arnholdi Egmundani filius, Geldriæ Dux, Iovis poſt Agathæ anno 1465. delicta civibus remiſit, omniaque privilegia, & in ſpecie illud, de facinoroſorum apprehenſione, confirmavit.

Idem Veneris poſt Mariæ aſſumptionem, anno 1468. tres in Eccleſia

clesia collegiata præbendas à Magistratu urbis conferendi potestatem dedit.

Carolus denique Egmundanus Adolphi filius 27. Januarij anno 1521. censum cerevisiarum integrum urbi largitus est.

Ejusdem Suitphænæ plebiscita anno 1311. inita anno 1332. in exaltatione crucis anno 1337. die Victoris anno 1338. die Nicolai anno 1339. die Servatii anno 1342. in exultatione crucis anno 1351. Vespera Ioannis Baptistæ anno 1364. Mercurii post Viti & Modesti anno 1365. solis post cathedram Petri anno 1366. vespera omnium sanctorum, Anno denique 1370. ipsa cathedra Petri renovata & confirmata sunt. *Plebiscita.*

Feudale autem aulæ Suitphanienſis jus, 19. Septembris an. 1547. Carolus quintus Cæsar ratum habuit.

Eadem Suitphæna cum oppidis sibi subjectis Drusiburgio, Dotecomio, Lochemio, & Groentoensi Jovis post Quasimodogeniti anno 1436. Ottoni Brunchorstano Dynastæ Borckeloensi Wilhelmo Montano, Baroni Bilandico. Henrico Wischio, Ioanni à Gemen, Friderico à Rechteren Domino in Vorst, Keppel & Asperen, Theodorico à Petersheim, Domino in Haren & Bicht Equiti, Wilhelmo à Rees VVilhelmi filio, Seinoni à Bort/ Gerhardo & Iacobo ab Harlsordt fratribus, Ioanni à Middachten/ Theodoro Keppel à Verwolden / Iacobo ab Heckeren / Theodoro Wom à Kellen / Hermanno à Keppel / Godefrido Kloick / Gerhardo à Reecken / Friderico à Stenort / Henrico ab Hoevelwich / Stephano à Herbenheim / VVilhelmo Lanſinck & Matthæo à Woldenborgh / unita est: quæ unio ab Arnholdo Egmundano approbata. *Vnio.*

Quantum ad statum Ecclesiasticum, urbs Suitphanienſis insignem habet Ecclesiam collegiatam in templo primario ab Ottone primo fundatam, & à successoribus ejus egregiè locupletatam. Continet etiam Monasterium Dominicanorum à Margaretha Flandrica Reinholdi ejus nominis primi, octavi Geldriæ Comitis uxore secundâ erectum & dotatum.

Templi collegialis turris an. 1446. ipsa Palmarum fulmine tacta conflagravit, Anno 1636. & sequenti regaliter renovata est.

Deinde iterum instaurata anno 1609. 29. Martij iterum fulmine incensa.

Porrò mutationibus diversis inprimis in bello civili Burgundiæ Ducum & Hispaniarum regum cum Ordinibus gesto, subjecta fuit. *Mutationes.*

Anno 1530. post Carolum Egmundanum ad VVilhelmum Cliviæ Iuliæ Montium Ducem, &c. pervenit, ab hoc anno 1543. ad Carolum quintum Imp. Hispaniarum regem Burgundiæ Ducem, in cujus fide usque ad annum 1570. perstitit, quo VVilhelmus Montium Comes in Ordinum potestatem Comitatum integrum cum Metropoli deduxit. Sed idem anno 1572. neglectam Hispanorum libidini exposuit, & 22. Sept. anno 1655. iisdem expilandam

dam tradidit, anno 1586. à Roberto Dudleio, Lyceſtriæ Comite, Belgii gubernatore fruſtra, obſeſſam 30. Maij anno 1591. Mauritius Naſſovius Ordinibus aſſeruit.

Sub Tetrarchia hujus comitatus antiquiſſimi, oppida minora accenſentur, Druſiburgium, Dotecomum, Lochemum & Groenloicum.

Druſiburgum, à Druſo Germaniæ terrore, qui foſſam quoque illam, hodie Iſalam dictam, è Rheno deduxit, cujuſque caput hodie in arce Montium Comitum monſtratur, appellata, poſt Metropolin, comitatus Suitphæni urbium ſecunda, munito loco poſita, ſuiſque privilegiis inſtructa eſt. Hanc anno 1570 à Wilhelmo Montium Comite occupatam Hiſpani anno 1583. receperunt, ſed iiſdem anno 1586. ademptam Franciſcus à Mendoza Admirans Arragoniæ anno 1598. Regi vindicavit, quod Mauritius Naſſovius haud ferens eodem, anno iterum obſeſſam anno ſequenti Ordinibus aſſeruit, in præſens uſque tempus ab iiſdem defenſam.

Eadem Dotecomi & Lochemi ſors fuit.

Groenloa viride nemus ſignificat, ſed ut ſpeciem loci mutavit longa ætas, ita prolationem nominis, quod Germanicis vocibus valde frequens, Groenloam in Grollam contraxit.

Hanc ab Ordinibus confœderati Belgii Georghius Lalainius Comes Rénenbergius in obſequium Regis reduxit; Mauritius verò Naſſovius iiſdem anno 1597. iterum vindicavit, Ambroſius Spinola contra anno 1606. viciſſim recuperavit, donec anno 1627. Fridericus Henricus Naſſovius, Mauritii frater, eandem reoccupavit.

Arnhemium ab aquila, Imperii Romani inſigni, denominatum, cujus Eccleſia olim Abbatum Prumienſium in Eiphalia peculium fuit. Principes Geldriæ, cum Velaviam ab Epiſcopis Ultrajectinis acciperent, ex quibus Otto, ejus nominis tertius, Comes Geldriæ in ordine 7. cum Ruremunda, Harderwicia, Vada ſive V Vageninga, Bommelia, & Gocha, muris, foſſis, & privilegiis ſuis 3. Cal. Iulii, anno 1233. præſentibus Arnholdo de V Vitten, Henrico de Monte, Gerhardo de Loen, Iacobo de Hatten/ inſtruxit: quæ filius ejus Reinholdus ipſa Bonifacii Anno 1312. præſentibus Hermanno de Loen, Henrico de Cuyck, Henrico de Monte, & Adamo ejus filio, Giſbertho de Brunckhorſt, Arnholdo Friderico & Gerhardo de Rhoeden fratribus, Giesberto de Oy, Florentio de Batenburgh Dynaſtis: Nobilibus verò, Chriſtiano & Jacobo de Arnheim, patre & filio, Heilberto Oichen, Jacobo de Driel, Henrico de Langenmantier, Arnholdo Clerico, Reinhero de Monſwick, Arnholdo de Dolre, V Vilhelmo de Bentingh, Giesbertho de Rochaven & Theodoro Doiſz/ rata habuit.

Idem Reinholdus Arnheimio, ipſa Decoll. Ioannis Baptiſtæ, immunitatem telonii Lobedeni, quam à Patre atque anteceſſore Ottone feriâ 4. poſt Cantate, An. 1271. præſentibus Henrico & Ioann. Leodienſibus Epiſcopis, Matre Philippina, Theodoro Iſenburgio,

burgico, Goswino Bornæo, Wilhelmo Brunchorstano, Gerhardo Batenburgico, Henrico Borckeloensi, Wilhelmo Heerenio, & Ioanne Mehrheimio, acceperat, die Decollationis Baptistæ anno 1318. confirmavit.

In hanc Metropolin Reinholdus ejus nominis secundus, primus Geldriæ Dux anno 1335. Tielâ in potestatem suam redacta, ex eâ Collegium Canonicorum D. VValburgis traduxit.

Propè eandem Munchusium, Carthusianorum claustrum, Reinholdus nominis secundus, primus Dux anno 1340. struxit, hodie destructum.

Mutationes Metropolis hæc varias subiit.

Anno 1354 integra conflagravit.

Anno 1466. à VVilhelmo Egmundano pro fratre Arnholdo Geldriæ Duce contra filium refractarium expugnata.

Ab Egmundanis ad VVilhelmum Cliviæ, Iuliæ, Montium Ducem transiit, qui tandem eam Anno 1543. Carolo quinto Cæsari cum tota Geldria cedere coactus est, sicuti prolixius infrà dicetur.

Sub Tetrarchia hac Geldrica quarta & ultima, quatuor minora oppida, Herderwicenum, Elburgium, Wageningium & Hattumium numerantur.

Herderwicenum à pastorum Velaviæ ad Mare usque illud, quod ambit receptu, ita dictum, ab Ottone ejus nominis 3. septimo Geldriæ Comite muris & privilegiis suis instructum.

In hoc Eleonora Anglicana Reinholdi ejus nominis 2. primi Geldriæ Ducis conjunx altera S. Francisci fratribus minoribus Monasterium condidit: Ex quo Scholam illustrem, Musarum ad Mare domicilium jucundum, Ordines Geldro-Velavici condidêre.

Elburgium oppidum itidem non longè ab eodem mari situm est.

Wageningium olim Vada dictum, antiquitate suâ nulli oppidorum Geldricorum cedit.

Hattumium denique in Velavia oppida Tetrachiæ hujus insignis claudit.

Tertia Tetrarchia est Zuitphaniensis à Metropoli ita dicta.

Oppida minora quæ suffragium in comitiis habent, sunt Doesburgum, Dotecomum, Lochemum, Grolla, vel potius Groenloa.

Territorium municipale distinguitur in 4. præfecturas, Provincialem, Zuitphaniensem, Doesburgiam & Bredevordensem.

Totidem quoque Baronatus, Montanum, Bronchorstanum, Baerensem & Wischium, Keppelium denique dominium à Baronibus Vorstiis ad Palandos per conjugium derivatum sub se complectitur.

De Borckeloensi Dynastia cum Monasteriensi Episcopo controversia aliquandiu Dynastis Bronghorstanis fuit, quâ decisâ, hodie Zuitphaniæ adlegitur.

Quartâ

Quarta Tetrarchia est Arnheimiensis, cujus primaria urbs Arenacum.

Oppida minora sunt 4. Herderwicum, Elburgium, Wageningum & Hattumium.

Præfecturæ majores duæ: Velavia & Velaviæ fimbria sive prætexta.

Minores totidem: Oldenbroichia & Nyenbroichia.

Dynastiæ inferiores cum Imperio criminali itidem duæ, Dorenwerdana & Rosendalia.

Totidemque cum solo imperio Civili, Scherpenzeelia & Huevelacia.

Habet in universum civitates 26. muris & fossis munitas & supra 500. pagos.

Comitatus etiam quatuor Buiranum & Suilenburgium in Tetrarchia Neomagensi, Montanum & Brunchorstanum in Zuitphania, cum aliis, quas secundum Tetrarchias ejus 4. jam recensuimus, Dynastiis quàmplurimis, sub se comprehendit.

Sub Ottone 2. Comite qui ab an. 1229. usq; ad an. 1271. præfuit maxima sumpsit incrementa: Ruremundam enim, Arnheimiam, Harderwicam, Bommeliam, Gochiam & Wageningam, tunc temporis adhuc pagos, muris cinxit & civibus privilegia sua consecravit.

Comitatus titulo usque ad Reinholdum 2. insignita fuit, ex prosapia Ottonis Nassovii primi Geldriæ Comitis ortum, qui decerpto æsculano flore, Leonem suum comitatibus binis Geldrio & Zuitphænio intulit.

Hujus Reinholdi, cum non solum virtus, sed etiam potentia vicinis regionibus formidabilis esset, ac fama pietatis, justitiæ ac fidelitatis ipsius erga Romanum Imperium increbesceret, Francofurti in publicis comitiis, præsentibus Philippo Galliæ & Eduardo Angliæ regibus, avunculo & socero, anno 1339. à Ludovico Imp. Dux Geldriæ renunciatus est.

Octo Geldriæ præfecti Advocati seu Toparchæ.

VT Genealogiam & successionem non tantum horum præfectorum, sed etiam Zuitphaniæ comitum à prima ipsorum origine indagemus, notandum, Geldricam familiam ex Trans Rhenanis auspicium suum accepisse, non solum quia Sicambri olim trans amnem habitarunt, ut supra diximus, sed ideo maximè, quia familia præfectorum ejus lares & patrimonium è regione Coloniæ Ubiorum ad Siegam fluvium habuit. Hinc in Archivis legimus, à Mengoso Geldriæ præfecto in paterno fundo ad Siegam fluvium Vilicense: & ab Arnholdo Geldro Archipræsule Colon. ad eundem Siegam Rhenidorpium monasteria Vestalium nobilium condita fuisse.

Deinde

Deinde quod Zuitphæniæ comites attinet, qui primitus in Duffelia habitationis suæ arcem ad Vahalim Salheimiam dictam collocarunt: Hincque illud ad Ilalam transferentes, sicuti supra in Antiqua Geldria annotavimus, partim à veteribus Usipetibus tempore Romanorum populis, partim à Salheimiis præfectis, lege Salicâ itemque Isala & Salandia denominatis, partim denique à paludibus australibus contiguis, quæ (Venen) linguagentis usitatè dicuntur, appellationem sortiuntur, ex Monasterii Browielerensis manuscripto, à moderno ejus Abbate Joanne Munch fideliter exarato, atqi Ægidio Gelenio, Canonico Colonienſi, ad S. Andream, & ab eo mihi communicato, observandum ab Hermanno Ottonis primi Imperatoris Palatii Comite, ejusque conjuge Heilwiege familiam eorum descendere. Ab Hermanno enim hoc Palatino Comite genitus Ezzo vel Erenfriedus Udalrici Episcopi Augustani consanguineus, qui apud Ottonem primum Imper. jam senem locum Patris obtinuit, & Ottonis 2. primi filii natâ Mathilde prima uxore ducta, hujus gener, tertij verò affinis & consiliarius factus, Henrico 2. Imper. dicto Claudo & Sancto, cum Lotharingis obnisus, Theodoricum Ducem Mosellanum juxta Odenheimium in prælio captum, ad castrum suum Thonaburgum in Julijs, cum aliis abduxit, quibus redemptis Imp. contumacius judicans virum egregium, beneficiis placare, quàm molestiis illis vexare, amicitiâ ejus expetita, eandem, Insulam S. Suiberti vulgo Cæsaris Duisburgum, & Salefeldiam largiendo, consecutus est. Hic ille Erenfridus est, qui cum uxore Mathilde, adhibito Poppone, S. Maximini Coloniæ Abbate, Monasterium Browilerense, anno 1024. fundavit, anno 1028. à Peregrino Episcopo Colon. Ordini Benedictino consecratum: In quo etiam post obitum ad latus uxoris in Monasterio Essendiensi 20. Novembr. anno 1024. mortuæ, sed huc translatæ an. 1034. conditus.

Præter hunc Erenfridum etiam Hezelinus ab Hermanno Palatii Comite agnitus, qui Bercheimiam cum medietate nemoris Villani Monasterio, S. Cornelii ad Indam ejusdem Benedictini instituti attribuit: alteram verò partem Erenfridus frater Browilerensi assignavit.

Antiquitus enim Comites Palatini in inferioribus Rheni partibus, inprimis circa Ubios & Sicambros, longè latèque imperarunt, feudis Palatinis Juliacensibus, aliisque multis fundationibus eorum in his locis testibus, inprimis cœnobio illo famoso Siegeburgense, ipsorum liberalitate erecto.

Hi autem Palatini, Comites ut hoc addamus, postmodum per conjugium Ottonis, Ludovici Bavariæ Ducis filii, Agnetæ Henrici ultimi, Palatini Rheni Comitis filiæ & hæredi, anno 1215. copulati, ad domum Bavaricam cum dignitate Electorali pervenerunt.

Porrò ab Hezelino Henricus Palatinus ortus primus territorii Clotensis defensor; Ab Erenfrido verò ex Mathilde nova & uxore secunda Ottonis Zuitphæni filia, Ludolphus prodiit Zuitphæniæ

Comes & Ecclesiæ Colonienſis Signifer tribus ante Patrem annis Chriſti ſcilicet 1031. mortuus, inque eodem Browilerenſi Monaſterio tumulatus; relicto filio Henrico, qui poſt breve tempus rebus humanis quoq; exemptus, in ejuſdem Monaſterii templo ante cryptam inter duas columnas apud Patrem inhumatus eſt.

Præter hos Comites Zuitphænos in literis authenticis antiquis etiam Luitgardis Abbatiſſæ Eltinenſis anno 968. electæ VVichmanni Suitphæniæ Comitis filiæ, mentio: Irmgardis item Comitiſſæ Zuitphænæ duplicis, quarum prior anno 1010. Eccleſiæ Reeſenſis Collegiatæ fundamenta jecit: Anno 1040. ab Annone 12. Epiſc. Colon. confirmata, ſecunda, quæ in Necrologio Pantaleonis Irmentrudis vocatur, & Hermanni humilis anno 1982. in nonum S. Pantaleonis Abbatem electi ſoror fuiſſe dicitur, quæ orbata Patre caſtrum Aſpelium & oppidum Reeſium Eccleſiæ Colonienſi, Suchtelenam verò conventui Pantaleonæo cum annexis legavit. Ab anno 1070. ter Romam peregrinata, in ſecunda profectione cum Pontifici chyrothecam terrâ ex cæmiterio 1011. mille virginum plenam obtuliſſet, caput Sylveſtri ab eodem obtinuit, ab Heriberto Epiſcopo Colon. proceſſione publica poſtmodum honoratum. Poſt tertium verò iter Roma Redux in Hoſpitali Hachtport3 dicto, à ſe ædificaro diem clauſit extremum juxta Molanum 4. Septemb. juxta Necrologium Pantaleonæum 4. Idus Novembr. authore P. Merſæo Cradepolio in Catalogo Epiſcoporum Col.

Ex his tamen, quod ad Geldriæ præfectos attinet, malè concludit Gelenius, non rectè vulgò Ludolphum aſſeri Wichmanni fratrem, cum Wichmānus primus Geldriæ præfectus, ſicut ex litteris Ottonis primi Imp. Monaſterio Eltinenſi anno 968. datis apparet, circa annum 960. vixerit, Ludolphus verò, Erenfridi, ex Mathilde Ottonis Zuitphæni filia, natus circa annum Chriſti milleſimum floruerit, qui viciſſim Henricum genuit: cum diverſi Ludolphi ſint, unus Zuitphæniæ alter Geldriæ Comes.

Præter hæc Jeſuita Browerus, in vita Meinwerci, Epiſcopi Paderbornenſis 10. malè negat in Geldriæ præfectis Megingozum dici Wichmanni 2. filium, quia conſtat Wichmanno occiſo filium ejus adhuc parvulum, ſub tutela legitima Bernhardi Ducis Diethmari nepotis fuiſſe. Mengozus autem tum non puer, ſed vir provectæ ætatis copioſam prolem genuerit, itidem cum duo fuerint Mengoſi, rectè tamen Jeſuita Browerus loco jam dicto negat, Wiringum ſive Wirochum Mengozi filium fuiſſe idque ideo, quia unicus ipſi filius avo materno cognomen, Godefridus fuerit. Neq; Wiringum etiam ejuſdem ex ſorore filium, vel nepotem eſſe, cum inter Adelæ aut Emmæ ejus filiæ liberos à manuſcripto S. Meinwerci cœnobii codice non numeretur: ac proinde non ab Adela ſorore ejus, ſed ipſius matertera Lutharde Monaſterium Eltinenſe inſtitutum, ſicut ipſe Meinwercus monaſterium Abonchovienſe Paderb. conſtituit. Templum verò ejus exuſtum Imadus inſtauravit, Poppo verò novas ædes addidit,

Unde

Unde idem Browerus colligit, præfectos Geldros ex antiqua Saxonum stirpe prodiisse, & Comitatum Theisterbandinum cum Velavia possedisse. Imadus enim, Henrico Meibomio in notis ad Witich. teste, maritus Adelæ, quam Idam etiam aliqui vocant, qui fratres Witikindum & Reginbergum, Theodori filios, habuit, ex stirpe VVitikindi magni natus fuit. Adela autem hæc malè juxta eundem Jesuitam Browerum Henrici Aucupis soror vel Neptis dicitur, Hic enim non VVichmanni, sed Ottonis Saxoniæ Ducis filius, Ludolphi nepos, extitit. VVichmannus verò VVitekindi filius ob id rectè asseritur, quia Bernhardi Ducis Saxoniæ filii minorennis, ipso à Balderico cum Ottone 3. Imper. invitato, quia veneno propinato non poterat per servum postero die occiso & in urbe Freihem condito, Tutor Imadus Episcopus Pad. anno 1052. electus anno 1077. mortuus, asseveratur à Bruschio. Quod de prima præfectorum Geldriæ origine verum est: Trans Rhenanis & Saxonibus prognatis ad Siegam & Niersam domicilia sua transferentibus. His ita præmissis ad ipsos Præfectos perveniamus.

Carolus ergò, non Calvus, sed Lotharii Francorum Regis frater, Anno 900. VVichardo & Ludolpho Ottonis filiis, Pontinis præfecturam Geldriæ concessit, qui castro Geldriæ ædificato, ibidem suo nomine præfuerunt. VVichardus verò ducta VVichmanni Zuitphaniæ Comitis filia, solus familiam illustrem propagavit; quippe ex qua Gerlacus, successor, & Aleidis, Roberti 2. Heusdæ Domini, uxor nati. Obiit anno 910.

Gerlacus patrem secutus sub Henrico Imper. adversus Hungaros duplici prælio victos pugnavit: Ex conjuge Cuyckia, Godefrido relicto anno 927. vel ut alii 931. extinctus.

Godefridus ex Adela Clivia Arnholdi filia VVichardum 2. genuit sub Ottone Imp. adversus Imperii hostes pugnavit: Anno verò 948. vel ut aliis placet 955. excessit.

VVichardus vel VVichmannus 2. ex uxore Mengosum successorem Luthardem primam Eltensem Abbatissam, Adelam Balderici Comitis Clivii 13. uxorem, & Sophiam procreavit. Sub Ottone 1. Imper. contra Hungaros militavit Abbatiam Eltensem an. 968. ad Rhenum in Comitatu Hamelandiæ eodem Imp. approbante, Ottone verò 2. filio anno 980. & Ottone 3. nepote anno 997 confirmantibus, ædificavit, filia, ut diximus, Lutharde prima Abbatissa constituta, reclamante tamen Adela, & ob legem Saxonicam, quæ fœminis quoque successionis jus non derogat, contradicente, ab Ottone 3. postea ut consentiret, inducta. Imo cum marito 2. Balderico aliud quoque virorum collegium anno 1000. vel circiter, Zephlicæ condente. Duos enim secundum Jesuitam Browerum maritos habuit, primum Imadum S. Meineri Episcopi Paderb. 10. Patrem, secundum hunc Baldericum Clivium. Obiit VVichmannus anno 970. Mengosus 6. Geldriæ præfectus an. 984. præesse cœpit, cujus in literis Eltensibus posteriorib. fit mētio:

Ex Gerberga Brabantina filios, Godefridum, qui in bello Bohemico occubuit, & Wichingum sive Witekindum: cum filiabus 4. sustulit, quarum duæ Statum religiosum amplexæ, una ad S. Ursulam Coloniæ, altera in Rindorp moniales fuerunt.

Eædem conjuges fundatores quoque sunt templi Vilicensis ad Siegam fluvium in paterno fundo circa annum Christi 1000. ab iis conditi: Ex qua duabus secularibus gnatis altera Johanni Juliæ Comiti nupsit: Defunctus anno 1004. Mengosus in vilicensi collegio tumulatus.

Witekindus 7. Geldriæ præfectus, ex Elisabetha Bavara Wichardum 3. successorem, Richardum Leodiensem Avunculi Reginhardi Bavari anno 1030. successorem, & Wilhelmum Vltraject. Episcopos genuit. Hic Robertum Flandrici Comitem, Florentii Hollandi tutorem propè Roterodamum vicit, arcem Iselmundam construxit, antequam anno 1076. Gerlacus Zuitphaniæ Comes occubuit, VVitekindus ante ipsum anno 1032. excessit.

VVichardus nominis 3. Octavus & ultimus patruo VVilhelmo Episcopo Vltrajectino, contra eundem Robertum Flandrum suppetias tulit. Ex Margaretha à Lohonensi unicam filiam & hæredem reliquit, Adelheiden Ottoni Nassovio nuptui datam. Anno 1050. mortuus, cum ipso flos quoque triplex æsculanus Mespilorum rubicundus in area aureâ occidit.

Comites Zuitphænos quod attinet, ex superioribus liquet, eos aliquandiu à Palatii Comitibus propagatos fuisse.

Ante verò hos primus Zuitphænæ Comes, quem legimus, fuit Hermannus.

Cujus filius Reinherus anno 935. ludo nobilitatis Germanicæ Equestri Magdeburgi, cum Gerhardo Julio Arnholdo Clivio & Hermanno Ravensburgio, Ernesto Brothusio, quem supra aliquoties citavimus, teste, interfuit.

Ejus verò ex sorore Reginhardi Bavari Episcopi Leodiensis juxta Placentinum in Catalogo in ordine 21. filius Richardus Avunculo anno 1036. successit.

Hujus vero frater Otto Mathilden Irenfridi Palatini conjugem, ex eaque Ludolphum, & hic Henricum, ut supra diximus reliquerunt, sed stemma Zuitphænum illustre amplius non produxerunt.

Mentio quoque fit in antiquissimis literis Godeschalci & Ioannis fratrum Comitum Suitphænorum.

VVichmannus autem relicta filia Sophiâ, Ottoni Nassovio secundis votis sociata, Gerlacum nepotem tulit: qui in prælio ad Iselmundam, ut sequitur, occumbens, patrem Ottonem & hic filium Gerhardum hæredem nuncupavit.

Otto Geldriæ Comites.

PRæfectura Geldrica titulo Comitatus Imperii Romani Anno 1079. insignita, beneficio Henrici 4. Imper. Ottoni Nassovio Walrami Laurenbergæ ac Sonnenbergæ Domini, filio, cessit, qui uxorem primam Adelheiden jam dictam, Wichmanni 3. filiam, Theodorico Clivio nepote procurante, accepit; Ex eaque Gerhardum primogenitum successorem, & Adelbertum S. Martini Vltrajecti præpositum, Henricum denique, qui familiam Montis Dominorum & Comitum propagavit, edidit. Hac juxta Annum 1084. juxta Paulum Merulam anno 1086. mortuâ, ad 2. conjugium cum Sophia unica itidem Wichmanni Zuitphaniæ Comitis, filia, & hærede, transiit: Ex eaque Gerlacum, avi in comitatu successorem, genuit, in bello Theodorici Hollandi ante Isselmundam, anno 1076. prostratum, qui primum Patrem, deinde fratrem Gerhardum, successores habuit, quorum hic utrumque Comitatum, authoritate Lotharii Saxonis Imper. cujus neptem Hedwiegen Florentii crassi, Hollandiæ & Seelandiæ Comitis, filiam, uxorem duxit, conjunxit.

Otto verò Pater, fidelem Henrico Imper. in Bohemia & Hungaria operam, præstitit, ideoque etiam ab eo, anno suprà dicto 1079. ut vult amicus quondam noster Johannes Textor Haigeranus in Chronico Nassovico, anno 1617. edito, Francofurti ad Mœnum in comitiis publicis, postquam præfecturam Geldricam annis 18. laudabiliter administrasset, primus Geldriæ Comes salutatus, Albargenteum Leonem suum in cæruleo solo cum flavis apicibus incedentem, Geldriæ intulit.

Summum templum collegiale Zuitphaniæ cõdidit: in quo post obitum 11. Calend. Aprilis, aliis 18. Martij anno 1107. inhumatus.

Gerhardus nominis primus, à staturâ corporis procera, longus dictus, Comes Geldriæ & Zuitphaniæ sub Henrico 5. Imper. secundus, uxorem, ut jam dictum, habuit Hedwiegen, Florentii 11. seu crassi, Hollandiæ & Seelandiæ Comitis, filiam, ex Petronella Theodori Saxoniæ Ducis filia, Lotharii Cæsaris sorore genitam: Alii Ermgardem Namurcensem secundam esse volunt. Et ex illa quidem Henricum successorem & Arnholdum Archiepiscopum Colonienſem, cum Salome Henrico Comiti Oldenburgio nupta: Ex hac Albertum, Adelbertum vel Alberonem, Placentino in vitis Pontificum Leodiensium teste, ibidem Episcopum prodiisse. Nam cum Alexander Julius ob Simoniæ labem à sede Leodiensi remotus esset, ipsi anno 1137. suffectus, sed cum postea disciplinam cleri malè administraret, Romam citatus, Albertus Geldrus Ortinii anno Episcopatus 15. 6. Cal. April, anno Christi 1152. peste extinctus, ibidemque conditus est.

Gerhardus autem eorum pater cum uxore Abbatiam Beder, sive orationum cœnobium inter fluvios Fuldam & Werrham in Hassia construxit.

Templum etiam collegiale Wassenbergense in allodio suo Divæ Virgini & Georghio sacrum consensu Othberti Episcopi Leodiensis pridiè Cal. Octobr. Anno 1118. fundavit, nihil ibidem sibi, ut literæ fundationis habent, quàm castrum & preces Deo famulantium reservando. Eidem collegiatæ Ecclesiæ anno 1221. sub Hugone Leodiensi antistite Gerhardus Limburgius Henrici 4. filius Wassenbergensis quoque rempli patronus, Ecclesias in **Elinchofen** / & **Habert** / Frider. ibidem Præposito concessit, libertatem etiam Scholasticum eligendi capitulo indulsit: Et Elisabetha Clivensis ejus conjunx quatuor modios Siliginis ex agro Linnensi mense Septembr. Anno 1254. contribuit. Walramus denique Limburgius 34. Iurnales in **Orsbeck** / decimarum, præsentibus Wilhelmo de Halla dicto **Schillingh** / Theodoro de Braeckelen equestris dignitatis viris, Gerh. de **Uetrecht** dapifero Wassenb. Sybertho, & Henrico de Hueckelhoeven, & Henrico de Palude, Anno 1262. addidit: præsentibus præter multos Præpositos & Decanos Ecclesiasticos, Engelberto de Buegenheim, Meinhardo de **Stalburgh** / Gerhardo de **Bergh** / Goswino de Sustris, Heriberto de Molina, aliisque. Hæc omnia Henricus Geldrus Episcopus Leodiensis anno 1263. renovavit & confirmavit.

Idem Gerhardus adversus Henricum Cæsarem cum multis aliis Belgii Dynastis pugnavit.

Affini etiam Theodorico Hollandiæ Comiti adversus Hermannum Cuickium, qui Patrem ipsius Florentium propè Tielam necaverat, suppetias tulit: donec facta reconciliatione Hermannus, pœnitentia necis ductus, ex satisfactione sibi impositâ instituti Præmonstratensis Abbatiam insulæ Mariæ ejusdem Viridarium (**Marienwerder**) Anno 1128. ex bonis suis dotatam, construeret.

Obiit, postquam annis 24. Geldriæ præfuisset anno 1131. Zuitphaniæ apud Patrem tumulatus.

Henricus nominis primus post mortem ejus, sub Lothario Saxone, Conrado Suevo & Frider. I. Impp. Comes Geldriæ & Zuitphaniæ in ordine tertius factus, cum Seinara conjuge Godefridi 3. Brabantiæ Ducis, & Margarethæ Limburgiæ filia. Velaviæ partem, quam ipse ab Episcopo Ultrajectino in feudum acceperat, in dotem adeptus est.

Ex illa Gerhardum & Ottonem mutuos suos successores, Mariam Comiti Lononiensi, & Margaretham Engelberto Montano nuptas, suscepit. In Italiam profectus Friderico Barbarossæ contra Mediolanenses militavit, & Redux factus monasterium prope Doetecomium, Bethlehemum dictũ, ordinis Regulariũm D. Aug. satis locuples an. 1179. erigere cœpit, quod postmodũ adhuc locu-

pletius

pletuis legatis suis ipse, aliiq; dynastæ, reddidere. Quod ut appareat quomodo paulatim domus hæc Bethlehemitica ditata, & dotata sit, ex annalibus procuratoris ejus postremi V Vilhelmi Schrieckii Herenbergii, & alterius cujusdam ejus Monachi Bruchhesii, paucis annotabimus.

Anno 1179. quidam M. Franco S. Theologiæ Doctor & Presbyter, an in loco qui Marchia communis tum erat, sibi manendum hæsitans, somnio ex psal. 132. confirmatus, rogante Henrico ejus nominis primo, Comite Geldriæ tertio, & libertatem ob cohæredes loci communes promittente, sacellum ligneum construxit, quod Balduinus Episcopus Trajectensis consecravit. Eundem Franconem Henricus Geldrus cum Rabadone de Monte consanguineo suo, Henrico de **Bernham**/ V Voltero de **Keppel** / Bernhardo & Swedero de **Wisch**/ & cæteris con-marchionibus libertatem loci confirmando, beneficiis suis retinuerunt. Richardis Ruremundana Abbatissa, Ottonis 2. Geldriæ & Zutphaniæ Comitis vidua, in monte Ecclesiæ proximo habitatione constructa, ejus dotem auxit. Cujus filius Gerhardus 3. Geldriæ Comes adhuc ampliavit. Franconis vero discipulus Wilhelmus, primus Ecclesiæ Præpositus, multa præterea bona eidem acquisivit. Hermannus autem Comes de **Loen**/ præcipuus monasterii benefactor, Ecclésiam Varseveldensem cum omnibus attinentiis, curtibus, agris, arboribus, loco molendini, præfecturâ, & decimis Brunsveldensibus ei contulit. Margaretha Comes Geldrensis decem libras, Ludolphus ejus frater undecim marcas argenti, tres equos & crucifixi imaginem in altari; Hildegardis soror ejus pro animâ ejus, ad hostias & incensum perpetuum pecunias attribuerunt. Anno 1250 Otto 3. tres vini amas ad confectionem sactæ oblationis; & Reinholdus ejus filius Anno 1291. ex telonio Lobithano totidem vini mensuras, & ex molâ Zutphanensi tres tritici modios in hostiarum consecrationem contulerunt, &c.

Porro quia Velavia ad Brabantiæ Ducem hac lege pervenit, ut ab Episcopo Ultrajectino in feudum acciperet, is eandem in præfectos Groninganos transtulit.

Hinc Anno 1160. Lieffrido præfecto Groningano mortuo, etsi ex filio nepotes supererent; Episcopus tamen Ultrajectinensis præfecturam ad se, tanquam Dominum feudi, relapsam transtulit. Nepotes ergo Henricum hunc nostrum Geldriæ Comitem patronum sibi adsciscunt, qui, bello Episcopo denuntiato, & per annum integrum gesto, tandem præfecturam, pecunia ipsis numeratâ, impetravit.

Post 31 annorum regimen Anno 1162. Henricus mortuus, in Campensi Monasterio ante altare S. Stephani cum uxore & filio Ottone 2. conditus, ut Epitaphium habet sequens, ibidem marmori inscriptum:

Inclyta de Ponte stirps nobilis dictaque Gelre
De qua sunt orti Comes Henricus & Otto.

Relligioſores animo, hoſtes vitiorum
Qui nece proſtrati hic pauſant incinerati,
Iſtis in tumulis quos Marmora candida claudunt,
Chriſti millenis cent ſexaginta duobus
Henricus moritur; ſed Otto filius eius,
Annis millenis ducentis atque duobus,
Conſimili morte migrans Patrem comitatur.

Gerhardus 2. ſub Friderico 1. Imp. primus ante fratrem, utpote primum genitus, præfuit, & Margaretham Comitis Spanheimiæ & Hapſbaniæ filiam ſterilem, uxorem habuit primam: quâ mortuâ Idam Matthæi & Mariæ Comitum Bolonienſium gnatam, ſecundo conjugio ſuperinduxiſſe quidam volunt, itidem improlem.

Hic cum Balduino Epiſcopo Ultrajectino, cui Florentius Hollandus; Theodoricus Clivenſis & Otto Bentheimius opem tulerunt, ob Velaviam legitimo tempore in feudum non acceptam, bellum geſſit; quod tandem Fridericus I. Cæſar, dictus Barbaroſſa, compoſuit. Ubi annis 22. Comitatum adminiſtraſſet, obiit ἄταφος Anno 1180. Waſſenbergæ in Eccleſia collegiata, quam ab Avo Gerhardo I. cœptam amplificavit, & conſummavit, cum uxoribus tumulatus.

Otto II. fratri Gerhardo Anno 1180. ſub Friderico 1. Henrico 6. ejus filio, & Philippo Nepote Impp. ſucceſſit. Hic bellum Velavicum à Balduino Vltrajectenſium Epiſcopo renovatum, Epiſcoporum Colonienſis & Monaſterienſis auxilio, animoſè geſſit, Daventriam etiam, in qua 800. Equites novi præſidiarii veteribus additi; obſidione iteratâ 7. Septembr. cinxit, & cum ad eam liberandam Epiſcopus Vltrajectinus & Hollandiæ Comes vires conjungerent, eorum exercitum ad pontem uſque, inter Caudekerckam & Alphenam, profligavit, ubi prælium ingens, in quo ex utraque parte multi cæſi, exortum eſt; Cæſar Fridericus hoc audiens, viciſſim ad compoſitionem in Belgium profectus, Ottoni Velaviam attribuit, pacemque certam & fixam ſtabilivit.

Idem hic Otto ad bellum ſacrum Anno 1189. cum Friderico Cæſare, Philippo Galliæ, Richardo Angliæ Regibus, Henrico 1 Lotharingiæ Duce, Philippo Flandriæ, Florentio Hollandiæ, Wilhelmo Friſiæ, ejuſque genero Theodorico Cliviæ Comitibus, abiit, & multa cum iis præclara geſſit. Redux Neomagi pignus Theodorico 4. Clivenſi Comiti ablatum, ob maius pecuniarum pretium ab Imperatore primus impetravit.

Ottoni nominis 3. ex filio Gerhardo nepoti, tempore Theodorici 6. Clivenſis, anno 1214. plenius confirmatum, Goyam Ludolpho Holteno Epiſcopo Monaſterienſi conſignavit, ab eoque viciſſim in feudum accepit. Eidemque in Meinhoeveliis ditione expellendis adjumento fuit. Vxores binas habuit, primam Richardem Gerhardi Juliacenſis filiam; quâ mortuâ, alteram Henrici 1. Lotharingi gnatam ſuperinduxit; Ex quibus genuit Henricum 2. ob pietatem, ſanctum dictum, qui in bello Florentii Hollandi contra

Henricum

Henricum 1. Brab. & Lotharingiæ Ducem captus, & ducta patris ejus Theodorici 7. Hollandiæ & Zelandiæ Comitis filiâ Adelheide dimissus. Et Anno 1200. sine prole defunctus cum uxore in Reginoburgicâ Abbatiâ cõditus est. Præter Henricum etiam Gerhardum 3. successorem, Adelheiden Wilhelmo Hollandiæ & Selandiæ Comiti, Theodorici septimi fratri, & Margarethem Adolpho Marcano nuptas, sustulit, Ottonem denique qui ex Præposito Santensi, annorum duodeviginti post mortem Theodorici Episcopus Vltrajectinus factus, & ab Adolpho Colonienſe, Ottone Monasteriense, Gerhardo Osnabruggense, tribus fratribus, VVilhelmo Hollãdiæ, & Ottone patre Geldriæ Comitibus, adjutus, cleri & populi calculo accedente, in hanc dignitatem promotus, ubi post annos quatuor Romam ad dispensationem ætatis impetrandam adire voluit, Northusæ anno 1213. febri correptus occubuit, indeque Vltrajectum delatus in templo Cathedrali S. Martino sacro conditus est. Otto vero ejus Pater cum Comitatui 22. annis laudabiliter præfuisset Anno 1202. obiit in veteris Campi Monasterio ad latus Patris Henrici inhumatus. Vxor vero Ruremundæ in cœnobio ordinis Cistercienſis sepulta.

Gerhardus III. sub Philippo & Friderico 2. Impp. Patri Ottoni successit, Vxorem duxit primam Margaretham Roberti Nassovii in Syria mortui filiam, quâ, duobus illi filiis Ottone successore, & Henrico Leodiensi Episcopo, relictis, mortuâ, secundam Henrici 1. Brabantiæ Ducis, ex Mechtilde Matthæi Comitis Bolonienſis gnata filiam Sophiam induxisse multi scribunt. De cujus partu, Cæsarius Monachus Heisterbacensis prodidit, ex eo satis difficili, patrocinio S. Engelberti Montium Comitis Archiepiscopi Colonienſis liberatam, filiolum pulchertimum fæliciter enixam, cujus rei fides penes authorem sit.

Gerhardus à Geldriæ Comes in ordine 6. de telonio Lobithano, quod primò in **Osterbeeck** situm, indè Arenacum, & demum Lobithum translatum cum Frid. 2. Imp. controversiam habuit. Is enim cum ipsi ut illud plane abrogaret, mandaret Engelb. Montiũ Comiti Archiepiscopo Colonienſi an. 1220. executione injunctâ: quemadmodum etiam idem Imperator omnibus Imperii Principibus nullis omnino teloniis novis exeitandis, Fisco etiam atque Advocatis immoderato suo excessu interdixit.

Tandem tamen Gerhardus noster, ut Arenaco Lobithum in locum ob Rheni divisionem cõmodissimum translatum sibi maneret, impetravit, quod Henricus 7. & VVilhelmus Hollandus Cæsares confirmarunt.

Cum fratre Ottone duo Ruremundæ Monasteria condidit. Vnum Vestalium nobiliũ ordinis Benedictini, postea tamen in Cistercienſium regulã commutatum, castro Port dicto in claustrum ad vota Engelberti Archiepiscopi Colonienſis An. 1218. converso. Alterum Carthusianorum. Parthenionem verò Ruræmundanam An. 1214. Cal. Julii Engelbertus Archipræsul, præsentibus Henrico

Montium

Montium Domino, Gwalthero ab Eyl, Gerhardo & Henrico de Barſdunck fratribus, Gerhardo à Rotheim, Arnholdo à VVachtendunck aliiſque diplomate publico dato inauguravit, Monaſterio veteris Campi privilegia & reditus multos, inprimis immunitatem in telonio Lobithano An. 1228. conceſſit. His autem duobus etiam tertium Minorum acceſſit, Ab Henrico Brabantiæ Duce, cum quo acre bellum geſſit, propè Heuſdam anno 1210. captus, & filiâ ejus ductâ, dimiſſus, cum eodem paulo poſt Leodium anno 1212. expugnavit, & demum pro Archiepiſcopo Bremenſi in Stadingos hæreticos cum Belgicis dynaſtis movit, eoſque delevit. Cum Ottone Lippienſi, Epiſcopo Trajectenſi ob Salandiam, quam ſibi vendicabat, auxiliis fratris Epiſcopi Monaſterienſis ſubnixo, ſibi adſiſtentibus VValramo Limburgio, Florentio Hollando, & Henrico Semenſi, bellum geſſit, quod tandem multis damnis, imprimis in Velaviâ, & tractu, Borckeloënſi datis & acceptis Anno 1222. per Conradum Portuenſem Epiſcopum, Cardinalem, pace inita, ita compoſitum, ut Salandia Epiſcopo, Altinenſis vero præfectura, Comiti Geldrio accederet. Hoc tempore magna ditionis Geldriæ & vicinarum vaſtitas fuit: nam anno 1225. cum inter Trenteros, Rudolphum Coeverdiæ dominum, & Engelbertum præfectum Groningenſem, eorumque vaſallos pace conſtitutâ, eam Trentones contra fidem datam rupiſſent, idem Otto Epiſcopus Trajectinus, ſuis una cum Flandriæ, Hollandiæ, Theodori Cliviæ, Gerhardi Geldriæ, Comitum amicorum copiis collectis in eos duxit, & Coeverdam obſedit, quam, Trentones Rudolphum fugientem ex inſidiis inſecuti, liberaturi, Ottonem arma ſua opponentem ad paludes redegerunt, ipſi ſeſe ex iiſdem expedientes, Otto Epiſcopus limo infixus cum ſuis cæſus, Otto Benthemius dirè interemptus, Comes Geldriæ captus, ſed tamen mox libertati reſtitus eſt. Quam injuriam ut ſucceſſor Ottonis VVillibrandus Oldenburgicus vindicaret, caſtrum Coeverdenum oppugnavit & cæpit, Rudolphum cum aliis multis capite mulctavit, & Trenteris veniam petentibus certæ pecuniarum ſummæ depenſionem, & monaſterii propè Aquam nigram, non longe à Swollâ, conſtructionem victor ex lege anno 1228. impoſuit.

Ex Naſſovia Ottonem ſucceſſorem, & Henricum reliquit. Hic Henricus familiæ Geldricæ labes ab Engelberto Archiepiſcopo Colonienſi ſatis juvenis primùm Abbas Stabulenſis, deindè Epiſcopus Leodienſis anno 1246. in ordine 40. contra omnium ferè voluntatem, utpotè ad arma potius tractanda, quam Epiſcopatum adminiſtrandum aptus, inauguratus, eundem præterea multis impuris & nefandis libidinibus contaminavit: Accedit, quod, quos ex diverſis fœminis ſuſcitaverat ſpuriis, quorum teſte Placentino in Hiſtoria Epiſcoporum Leodienſium, 20. juxta alios 65. numerati ſunt, Eccleſiæ bonis ditatos dotatoſq; ad altiora provehere ſategit.

Ideoque etiam à Gregorio 10. Summo Pontifice in concilio Lugdunenſi depoſitus, tribus nihilominus ſequentibus Epiſcopis ſupervixit,

pervixit, cum prius malè sibi conscius Anno 1274. sponte annulo remisso, Episcopatu cessisset.

Eodem resignationis Episcopatus anno 1274. expeditioni contra Saracenos in Asiam susceptæ adfuit: Ex eâque redux an. 1284. ab Equite aurato, Theodoricus de Pratis prope Francomontium necatus, Ruræmundæ in summo templo conditus est. Vide uberius Joh. Placentinum in ipsius Historia.

Pater ejus Gerhardus tertius Anno 1229. ipsâ Matthæi Apostoli seu 22. Octob. in fata concessit, etiam Ruræmundæ, sed in claustro Vestalium nobilium à se fundato, inhumatus.

Uxor ejus secunda Sophia Bolonienſis feriis Matthiæ Apostoli anno 1231. maritum secuta, ibidem quoque tumulata est.

Otto nominis 3. Geldriæ Comes, in ordine 7. cognomento Claudus **mit den Stuetzvoet**/quia curvum pedem habuit, ab An. 1229. sub Friderico secundo & Conrado 4. ejus filio Impp. præfuit: Patrisque Gerhardi successor factus, Comitatum Geldricum non tantum fæliciter administravit, sed etiam auxit: Adeoque inter omnes Geldriæ Principes, Sapientiæ, Pretatis, Prudentiæ rerumque gestarum laude decorandus. Uxores binas habuit.

Prima fuit Margaretha Theodorici 6. Clivorum Comitis 22. filia sterilis, quæ ei in dotem 10. millia marcarum auri attulit, à fratre ejus Theodorico septimo, primo Comitatus ejus anno, qui fuit Christi 1260. exsolutam: ob quam etiam hujus filio Theodorico octavo, licet adhuc impuberi, filiam ex secunda uxore Philippina S. Pauli Comite Irmgardem in matrimonium reciprocè promisit. Cum priori autem uxore Margaretha Clivensi Monasterium ordinis Cistercienſis nobilium Vestalium Anno 1250. in valle Comitum **Gzeventhal** appellata, ex castro Rodio dicto in parochia Asperdensi propè Gochiam ad Nierſam sito, struere cæpit, & Anno 1255. in Junio Vestalibus aliquibus Ruremundâ in illud deductis perfecit.

Hoc cœnobium omnibus ibidem sitis bonis suis, utpote fermẽto cereviſiario, quod Gruitam vocant, frutetis sive arbustis (**passen**) pascuis, piscaturâ Nierſæ, sylvâ inde à ponte Asperdensi usque ad prædium Keldoncium, cum duabus villis, agri Lemptiani decimis ad 312. modios secalis se extendentibus, collatione item parochiæ Gentilis in Batavia, inibique duabus villis & tertia decimarum in **Genth / Angeren** & **Doerenborg** ad parochiam Gentilem pertinentium, parte, itemque medietate aliarum decimarum, jure patronatus Leuthanæ & Kesseliæ Ecclesiarum: prædiis denique duobus, uno à Godefrido à Lynen empto, ipso sine hæredibus mortuo, & altero Stephani à Pleze Equitis similiter defuncti, feudo suo dotavit: Et testibus V Vilhelmo de Kessel, Gerhardo de Parwijs, V Vilhelmo Altenano & Heusdano Comitibus: Rutgero à Brempt, V Vilhelmo à Schillingh, & V Vilhelmo à Tegelen Equestris dignitatis viris, de his omnibus diploma concessit.

Est autem hæc vallis Comitum multorum Principum Geldrienſium

ensium mausolæum: Et cum in bello civili Archiepiscopatus Col, Anno 1474. vastata esset, iterum de novo instaurata, & ab hac instauratione hodie Novum Claustrum Neuwen-klooster appellatur.

In eo Margaretha Clivia, Ottonis uxor prima, anno 1251. 4. Id Septemb. sicut tumbæ inscriptum, mortua, sepulta est,: eidemque Theodorus Clivius, ejus nominis octavus gener, Ottonis, libertatem in teloniis Anno 1302. concessit.

Dehinc Otto secundam sibi sociavit Philippinam Comitis Sani S. Pauli filiam, quæ postquam ei tres filios, Reinholdum patris successorem, Henricum & Gerhardum in juventute defunctos, & Irmgardim, unicam filiam Theodorici 8. Comitis Clivensis uxorem, edidisset, Anno 1266. mortua, & in Valle itidem Comitis tumulata est.

Hic Otto Comitatum Geldricum, urbibus Ruremundâ, Arnheimio, Harderwico, Bommeliâ, Gochâ & Vadâ mœnibus, fossis, & privilegiis munitis, egregiè auxit atque ornavit.

Eundé an. 1253. præsentibus Gerlaco ab Hckeren/Stephano de Lantrop/Goswino à Straten/Segero à Brochusen/ VVilhelmo à Weesp/Gobelo ab Elmete/Arnholdo à Straten/equestris dignitatis viris, Præpositus Ecclesiæ collegiatæ Emmericensis Otto, & Decanus Gerhardus Lucius, cum toto Capitulo, quia vicini domini, imprimis Montanus & VVischius, ipsis in reditibus accipiendis infestierant, in Tutorem seu Advocatum acceperunt. Idem anno eodem 1253. 2 Cal. Julii, præsentibus Stephano & Eberhardo fratribus Lantropiis, Goswino & Arnholdo à Straelen/ Henrico ab Helbergen/equestris dignitatis viris, & ministris ejus, Arnholdo Schocke/Conrado Koloff/Stephano & Eberhardo ab Emmerich militibus, primus Emmericensibus privilegia consecravit. In eundem Ottonem quoque Anno 1237. Henricus Montis Dominus jus, quod intra fossam Emmericenam habuit, Præpositis Aquensi & Ultrajectino, Gerhardo Randeradio, & Goswino Millenio, consanguineis præsentibus, transtulit.

VVilhelmo nominis 2. Hollandiæ Comiti, Regi Romanorum, nepoti, cum cæteris Germaniæ Principibus, in Aquensis urbis obsidione aliisque expeditionibus bellicis, Anno 1254. opem tulit. Neomagense Regnum, & multas superiores Bataviæ partes, ab eodem VVilhelmo pro 21000. marcis argenti puri, Anno prædicto 1254. in pignus acquisivit, quod à Rudolpho Imperatore an. 1273. filio confirmatum est. Ejusdem etiam Wilhelmi Regis Anno 1253 à trionibus occisi filii minorennis Florentii ejus nominis 7. in ordine vero 19. Hollandiæ Comitis tutelam gessit: Et necem Patris vindicanti, cum Theodorico Clivio, adfuit. Ab Ottone vero Comes Lossensis, Strochumium & Alfenam, Goswinus Bornensis dominium hoc pro feudis agnita acceperunt.

Anno 1266. Philippina Paulina secunda ejus conjunx, Anno verò 1271. 4. id Januar. ut Epitaphium habet, ipse Otto diem claudit

sit extremum, ad latus utriusque uxoris in eâdem Comitum valle humatus.

Reinholdus I. bellicosus dictus, Anno 1271. sub variis Imperii competitoribus, & tandem Rudolpho 1. Adolpho Nassovio, Alberto 1. Austrio, Henrico 7. & Ludovico 4. Bavaro Impp. patri successit, & Comes Geldriæ octavus, seu ultimus, fuit; Uxores binas habuit: prima fuit Irmgardis, Walerami Ducis Limburgensis ultimi filia, quæ absque liberis obiit: secunda Margaretha filia Guidonis Dampierii Comitis Flandriæ, & Alexandri Regis Scotiæ Vidua, ex quâ Reinholdum successorem, Guidonem & Philippum in juventutis flore defunctos, Margarethamm Theodorici 9. Comitis Clivensis uxorem, Isabellam, & Philippam ad S. Claram Coloniæ Vestales, procreavit. Nam Isabella quidem Friderico Pulchro Austriaco nupsit, sed deserta cum Philippa sorore ad S. Claram Coloniæ Deo castitatem nuncupavit: Et utraque illi loco, ut Archiva Monasterii habent, præfuit, bonisq; multis illud locupletavit. *Reinholdi.* *Conjugium duplex.*

Henricum Geldrum patruum Episcopum Leodium, contra cives armis suis ab Anno 1246. usque ad Annum 1274. adjuvit.

Anno 1284. feria quinta post Victoris festum, ob Limburgensis successionis spem, ratione prioris uxoris Irmgardis Limburgiæ, prætensam, sororio suo Theodorico Clivio decimas in **Bonnepell** & Judithæ Comitis Clivi, Ducis Limburgiæ dotem, post mortem ejus, largitus est: Joannem etiã à **Meer**/Theodorum Ruremundæ Advocatum, Theodorum à **Bonderen**/& Arnholdum à **Niel** Vasallos ei concessit, 280. denique marcas ex telonio Lobithano annuas attribuit. Cum Ioanne autem Brabantino ob eundem Ducatum Limburgium, quem Adolphus Montanus ei vendiderat, bellum gessit, & præcipuas ejus urbes atque castra occupavit: Sed à Ioanne prælio superatus, & captus, non prius dimissus ab illo fuit, quam juri suo cessisset; Cum enim Siegfrido V Vesterburgio Archipræsuli Col. ejusque fratri Henrico, Henrico Lutzenburgio, Adolpho Nassovio, gentili suo, postmodum Cæsare, Theodorico Clivio, Ioanne Limburgio ad Lenam, Waleramo Falckenburgio, Theod. Morsano, & Waleramo à Rupe unitus, vires suas adversus Colon. Rempubl. conjunxisset, Ioannes Brabantinus & Adolphus Montanus cum hac confœderati sunt: Et Tiela capta, exercituque ad Mosam trajecto, Ducatum Limburgium invaserunt, arcem Limalienſem, reliqua etiam castra & oppida, recuperarunt.

Tandem cum V Valeramo Iulio, Eberhardo Marcano, V Valeramo, Ioanne & Balduino Lutzenburgicis, & fani S. Pauli atque Lossensi Comitibus armis conjunctis, die 5. Iunii an. 1288. Worringense prælium, de quo supra in Montium Principibus, initum est, in quo Reinholdus hic noster multis vulneribus saucius cũ Siegfrido V Vesterburgio Archiepis. Col. & Adolpho Nassovio captus, ut se liberaret, præter ingens λύτρον numeratum, juri suo in Ducatum Limburgicum & Dynastiam V Vassenbergensem, renuntiavit. *Bellum Worringense.*

In hac pugna quia memorabile quid accidit, id breviter cancel-

lis Historiæ nostræ quoque includendum duximus. Adolphus Nassoviæ Comes, quinque excellentissimos in apparatu signorum Brabantiæ Ducis, præfectos in conflictu prostravit; sed captus ipse Duci offertur: Rogatus quis esset: Comes sum inquit Nassavius, rerum Dominus non magnarum; Et rursus ad Ducem: Tu vero quis? sum inquit Dux Brabantiæ, quem bello persecutus es assiduo, & cui quinque belli Duces strenuissimos occidisti: Tum Adolphus, miror quo modo ensem meum evaseris, quem in Tē acueram, teq; præ omnibus occidere animus gestiebat. Liberam Hominis vocē audiens Dux Brabantiæ è captivitate liberum dimisit, muneribusque insuper honoratum in familiaritatem suam recepit.

Hic Adolphus Nassavius gentili suo Reinholdo Geldro patrocinatus postea nempe an. 1292. Romanorum Imp. factus, post 6. annorum regimen, 6. non. Iulii anno 1298. in acie dimicans, manu Alberti Austrii concidit. Contra ex eadem familia serenissima Albertus novus, Burgundiæ, Brabantiæ Dux, vicissim à Mauritio Nassavio in pugna Flandrica ad Novum portum 2. Iulii eodem fermè tempore anno 1600. superatus est.

Privilegia Cæsarea Provinciæ Geldricæ.

Porro, Reinholdus noster, ut ad ipsum revertamur, privilegium monetæ, Arnheimii, Ruræmundæ, & Harderwici cudendæ, privilegium à Rudolpho ejus nominis primo, Habsburgico Imp. anno 1290. & 91. impetravit, quod in imperio ipsius successor Adolphus Nassavius, an. 1293. Noribergæ alio de successione filiarum privilegio an. 1295. Henricus item Lutzenburgicus an. 1310. Spiræ confirmarunt. Postremus etiam Imperator nonis Septemb. eodemque anno & privilegio immunitatem subditos Geldricos, non evocandi addidit, 22. Aprilis anno 1524. à Carolo quinto Cæsare, Spiræ confirmatam.

Feuda Geldrica.

Anno 1298. Otto Burenus & Hubertus Cuilenburgius castra & Dominia sua illi assignata ab eodem in feudum recognoverunt. Anno 1319. Friderico ejus nominis 2. Montium Dynastæ immunitatem à censu & tributo dynastiæ Montanæ concessit.

Velavia.

Eidem Guido Flander Episcopus Trajectensis, ut Velaviam immediatè ab Ecclesia Trajectensi, non vero à Duce Brabantino in feudum acciperet, concessit.

Bellum Monasteriense.

Cum Ludovico Hasso Episcopo Monasteriensi, à Theodorico ejus nominis nono Clivia, & Eberhardo ejusque filio, Engelb. Marcanis Comitibus adiutus, bellum gessit: In quo ille Bredevordense, Episcopus Barneveldium in Velavia castra occuparunt. Ob quam rem Reinholdus Bohemiæ regis, Leodiensis atq; Trajectensis Episcoporum, & Flandriæ, Hollandiæ, Arteſiæ, Juliæ, & Marchiæ Comitum auxilio fretus septingentis armatis diœcesin Monasteriensem ingressus, eam depopulatus est, donec intervenientibus Episcopis, ipsa Ægidii Anno 1324. pax hac conditione stabiliretur, ut Barnefeldio reddito ab Episcopo, Bredevordense castrum Geldriæ, agri verò circumjacentes Diœcesi Monasteriensi adlegerentur.

Annis

Annis demum & curis ingravescens Reinholdus, Eberhardum Marcanum ad Geldriam suam gubernandam, anno 1305. accivit, cui in ejusdem moderatione postea ex filio Engelberto, nepos Adolphus successit, ut infra dicemus, donec Comitatu laudabiliter administrato, & collegio Canonicorum, an. 1103. Bomeliæ fundato duobus quoque cœnobiis Dominicanorum Neomagi, & Minorum, Ruræmundæ ædificatis, Quibus uxor secunda Margaretha Flandrica tertium itidem Minorum Suitphænæ adjecit, à filio, ob cerebri ex vulneribus contractam debilitatem, quod etiam diuturnioris ejus imperii perræsus esset, custodiæ honestæ, Anno 1318. octennium Montforti traditus, postquã annis 54. præfuisset, in custodia, ipsa Dionysii, seu 4. Idus octob. An. 1326. ut inscriptio Tumbæ habet, mortuus, inque Comitum Valle apud parentes tumulatus est, quem uxor 2. Margaretha Flandrica, anno 1321. præcesserat, ibidem quoque condita. *Operæ 2di finissæ.*

PROVINCIÆ GELDRICÆ

SECTIO TERTIA,

De 8. ejusdem Ducibus.

REinholdo primo hoc modo defuncto, filius Reinholdus 2. dictus Rufus, vel ut Chronicon magnum Belgii habet, Niger, sub Ludovico Bavaro Imp. à quo etiam Francofurti in comitiis an. 1339. primus Geldriæ Dux salutatus est, successit.

Hic cum Joanne Duce Brab. ob jurisdictionis, & privilegiorum conservationem, bellum gessit: in quo Philippus Galliæ rex cum Brab. filiam suam, ejus filio copulandam, quia de unica Comitis Namurcensis nata, & hærede cogitabat, recusaret, plurimum PP. Henrici V Verneburg Col. Adolphi Marcani Leodiensis Episcoporum, Theodorici Cliviæ, V Vilhelmi Juliæ, Adolphi Montium, Adolphi Marchiæ Comitum suppetias ei impetravit. Anno vero 1327. pace inita Tiela cum pagis Sandwichio, Herwerdeno Geldriæ, tractus vero Heusdanus Brabantiæ vicinior, huic accessit.

Idem Reinholdus, vivo adhuc & superstite Patre, prodigalitate & luxu, multùm ditionem suam labefecit: Et quia locum & dignitatis gradum in his angustiis ægrè tueri poterat, consilio Henrici Vierneburgii Archipræsulis Colon. Anno 1325. Florentii Mechlinensis prædivitis mercatoris filiam Sophiam, à magnis Principibus propter amplissimam dotem expetitam, petiit, hac lege, ut parens ejus non tantum debita, quibus sibi obstrictus erat, remitteret, sed etiam pecunia suâ arces & oppida reliqua creditoribus oppignorata redimeret: Huic conditioni pater assensit, ut, si quidem Reinholdus præmoriatur, non relictâ sobole, possessio rerum omnium ad filiam transferatur, & penes eam sit: sin verò

contingat ipsam præmori, ut tum licet aliam illustriori genere natam duxerit, suscepti è conjuge hac liberi in paternam hæreditatem admittantur. Ista cum non displicerent, Sophia Reinholdo nupsit, sed quarto post nuptias anno, Christi verò 1329. 6. Maij, cũ quatuor prius filiabus maritum beasset, è vivis migravit; Filiæ autem hæsunt.

I. Mechtildis, primò Godefrido Lossensi an. 1342. vivente adhuc Patre ejus Theodor. mortuo, deinde Joanni Clivio an. 1368. extincto, demum Ioanni Castilionæo Blesensi Comiti, Anno 1371. nupta; sed ex omnibus tribus maritis nullâ prole relictâ, post ultimum Ioannem Castilionæum, an. 1374. ipsa S. Firmini Schonhoviæ defunctum, ipsa quoque Hussenæ Batavicæ in dote Clivia, ad vitam concessa, anno 1388. exspiravit.

II. Maria Vilhelmi 2, Juliæ Ducis uxor.

III. Margaretha an 1344. ipso Franciscí in cœlibatu defuncta.

IV. Isabella Vallis Comitis Abbatissa tertia, quæ anno 1376. in præsulatu mortua, ibidemque condita est.

Uxore autem primâ defunctâ Reinholdus secundam superinduxit Eleonoram, Eduardi Regis Angliæ filiam, quam ei Isabella Philippi Pulchri Galliæ Regis filia genuerat, quæ etsi ei Reinholdum ipso S. Servatii, anno 1333. & Eduardum ipso S. Georgii an. 1337. cum filia Ioanna edidisset, ab illo tamen ob lepræ prætextum repudiata est, quæ propterea maritum in convivio, multis equestris dignitatis viris præsentibus in arce Falconiâ Neomagâ apparato, infulâ lineâ, cui nigra toga inducta erat, induta, utroque filio stipata accessit, & de lepra coram Deo, & toto mundo, oculari etiam inspectione oblata, se excusavit, addiditq; sin minus hæc ipsius innocentia apud Reinholdum locum invenire posset, illius stirpem, ob filialem, patre incarcerato, & matrimonialẽ se repudiatâ, fidem violatam, brevi interituram, quod etiam post utrumque filium sine hæredibus defunctum non diu post ita contigit: in eos enim cum perpetuæ semper discordiæ essent, non tam in liberis quã bellis suscitandis occupatis, ambobus anno 1371. mortuis, Geldrica Provincia primum Iuliæ Ducibus, deinde Egmundanis, demum Burgundicæ domui regiæ, accessit.

Anno 1327. ob damnum à sorore Margaretha conjuge Theodorici Clivii perpessum, ad 400. marcas æstimatum, ejus refusionem Reinholdus promisit.

Privilegia & status Politicus.

Anno 1328. cum conjuge Sophia jus inter Mosam & Vahalim provinciale definivit. Eodem anno subditis ex utraque Mosæ & Niersæ ripâ habitantibus, Montforto tantum & Herculena exceptis, de prætoribus, scabinis, & bonis, privilegia, matre Margaretha, conjuge Sophia, Isabella & Philippina sororibus, Gwalthero Keppelio, Joanne Bilandico, Ottone Haltio Equestris dignitatis viris præsentibus, ipsa trium Regum, Venlonæ concessit: Anno 1333. vesperi post Bonifacii Emmericensi collegiatæ Ecclesiæ & Reipublicæ, præsentibus Gwalthero Keppelio, Ottone Haltio, Eberhardo

hardo Ulftano & Joanne Brynio viris Equeſtris dignitatis, privilegia confirmavit.

Quoad res ejusgeſtas an. 1328. Adolpho Marcano Epiſcopo Leodienſi, cum Adolpho Montium Comite, contra rebelles cives auxilia adduxit, eorumq; ad novẽ millia occiſis & devictis maximas ex illa victoria opes acquiſivit: ob quas ſicut etiam fœlix conjugium omnium Principum, qui illis temporibus vixerunt, opulentiſſimus æſtimatus eſt. *Res geſtæ.*

Anno 1332. Eduardo ſocero Anglorum regi adverſus Philippum Gallorum regem ſuppetias tulit, Dux Belli decretus.

Anno 1335. Tielam expugnavit & munivit. *Acquiſitæ.*

Anno 1336. Bello Friſonibus indicto eorum ad duo millia occidit reliquos prælio vicit fugavitque.

Anno 1330. à Ioanne Dieſtio Trajectenſi Epiſcopo, caſtra Vollenhoevium, & Vredelandium in pignus accepit.

Anno 1331. tres ſylvæ Kelckianæ partes ab affine Comite Clivenſi Theodorico emit.

Anno 1336. Theodorico 3. Heinſbergæ & Blanckenbergæ Dynaſtæ, cum pro Comitatu Loſſenſi obtinendo bellum gereret, & pecuniæ indigus eſſet, 24. mille ſcutatos pro Heinsbergæ eique locorum ſubjectorum Gangoltæ, Millæ & Fuichtæ pignore conceſſit, ſed Friderico Comiti Morſenſi filius ejus Eduwardus viciſſim hæc oppignoravit: qui cum videret hunc eo redactum ut redimere non poſſet, Wenceſlao Duci Brabant. loca hæc vendidit, ob quam cauſam acre inter Wenceſlai viduam Johannam & Wilhelmum Iuliæ & Geldriæ Ducem, ut ſupra diximus, Anno 1371, & deinceps, bellum geſtum eſt.

Idem Reinholdus noſter Dynaſtias Keſſeliam & Krieckenbeciam anno 1343. Geldriæ ſuæ adjecit: Eodemque tempore Venlonam locum in Moſæ ripa ſitum & Blariaco objectum, ne tutela nova ditio careret, munivit.

Cum V Vilhelmi Comitis Hollandi Baptiſmi teſtis eſſet, necem illi prædixit, quæ anno 1345. quoque contigit. Et quia ejus non ſolum virtus ſed etiam Potentia vicinis regionibus formidabilis erat, ac fama Pietatis, Iuſtitiæ, & fidelitatis erga Romanum imperium inclareſcebat, Francofurti, ut diximus, in comitiis, anno 1339. à Ludovico Bavaro Imp. Philippo Galliæ & Eduardo Angliæ regibus, avunculo, & ſocero, Electoribus etiam imperii Henrico Vierneburgio Moguntino, Balduino Lutzenb. Treviro Archiepiſcopis, Ioanne rege Bohemiæ, Ludovico Palatino Rheni, & Ludovico Brandenburgico, Ludovici Cæſaris filio, præſentibus, poſt ſuſceptum regimen tertio & decimo, poſt Wichardum vero primum Geldriæ præfectum 469. annis, primus Geldriæ Dux ſalutatus, inſignia quoque Geldrica à Naſſaviis derivata immutavit, & flavis apicibus omiſſis, in ſolo cæruleo aureo leone uſus eſt. *Inauguratio Ducatus.*

In iiſdem comitiis Wilhelmus Juliacenſis ex Comite Imperii

Marchio factus est: qui postmodum Anno scilicet Christi 1356. Juliæ quoque Dux inauguratus, per filium VVilhelmum cognominē, Reinholdi hujus filiæ Mariæ copulatum, Geldriam Juliæ addidit: unde hodieque in insignibus Geldricis Niger inaurato Leoni conjunctus apparet.

In inauguratione Ducali Reinholdi nostri Jacobus à **Wirlaer** aulæ præfecturam, Eberhardus à **Vellep** Mareschalci, VVilhelmus à **Buichusen** Camerarii, & Theodoricus à **Linden** Pincernæ dignitates, obivere.

Opera Ecclesiastica Reinholdi primi Geldriæ Ducis,

Ex operibus Ecclesiasticis Reinholdus claustra Monachis Carmelitis Geldriæ, & Carthusianis prope Arnheimium Monchusiū, & hoc quidem anno 1340. ædificavit. Uxor Eleonora ordini Franciscano dedita, duo eidem Monasteria, unum Harderwici, Daventriæ alterum, consecravit.

Ætate ingravescente Adolphus Marcanus, qui Margaretham Clivensem, Theodorici noni filiam & hæredem duxit, & per eam in illa Provincia successionem filio cognomini Adolpho procuravit, ejus vice Geldriam administravit, in illa an. 1347. ante festum Severini mortuus, indeque Frundebergam delatus, apud majores inhumatus est.

Ipse vero Reinholdus eum quatuor annis præcessit Anno Christi 1333. 12. Octob. mortuus, quem uxor Eleonora Anglicana 1. Maij an. 1355. secuta, ambo in Valle Comitum conditi sunt.

Post ejus fata, primum filii Reinholdus & Eduardus, sed loco eorum adhuc minorennium mater & ordines, Post illorum vero breve ac acerbum, in mutua sæviens viscera, imperium sorores, Mechtildis & Maria, Inprimis hujus filii VVilhelmus & Reinholdus Juliæ & Geldriæ Duces, iisq; etiam extinctis Egmundani Arnholdus, Adolphus, & Carolus, pater, filius, & nepos partim cum Iuliæ ac Montium Ducibus, partim cum Carolo Burgundo de Geldria contenderunt.

Reinholdus nominis 3. secundus Geldriæ Dux, filiorum primogenitus, Reinholdus dictus Pinguis, an. 1333. natus, cum vix decem ætatis annos compleviset, Patri, sub Carolo 4. Imp. an. 1343. succedens, summâ rerum Geldricarum potitus est quadriennio, post ætatis decimoquarto, sic volentibus & urgentibus Ordinibus, uxorem duxit Mariam Brabātinam, Ioannis tertii filiam, Iohannæ sororem sed sterilē, quæ castrum Oyum, prope Sylvam Ducis situm, tempore custodię mariti, à fratre Eduardo, ut dicemus, incarcerato struxit, illudq; inhabitavit. An. 1346. ipse & frater Eduardus adhuc concordes assentientibus ordinib. de fossis in utraq; Nierſæ ripa, in **Twetstedenbelde**/ & **Vliederlaelt**/ usque ad fossam Ottonianam & septē sylvanos cum Georgio à Middeler, Schenckio à Nydecken, VVilh. à Baer, & Theod. **vonder Straeten** Equestris ordinis viris, trāsegerūt.

Factiones Brunchorstanorum & Heckerensium excitatæ.

Sicut autem in Hollandia factio Asellata & Hamata extitit, sic in Geldria Brunchorstanorum & Heckerensium an. 1351. pullulare cœpit; Ex quibus illi Eduardi secundogeniti, hi Reinholdi primogeniti

geniti partibus adhæsere. Ab his Ioannes Comes Clivensis, hujus prosapiæ ultimus, affinis, Ioannes Dux Brabantinus socer, cum Adolpho Marcano Monast. & Col. Episcopo, & Arnholdo Herculeo, aliisque viris nobilissimis, stetere. Ob quam fidelitatem Reinholdus, Ioanni Clivensi Emmericam pro 2107. scutatis an. 1355. obligavit, Eduardo Engelbertus Marcanus, Adolphi frater, Wilhelmus Bronchorstanus Dynasta Baerensis, aliique adfuêre. Ex civitatibus Neomagum cum potioribus eidem Eduardo, reliquæ Reinholdo, adhæserunt. Quarum, sicut & Hecketensium auxilio, hic Arnheimium, Tielam, Doesburgum, Venlonam, Emmericam, & castrum Lobithanum expugnavit: Eberwienum etiam à Druiten ejusque sequaces, qui à partibus Eduardi, ipsa solēnitate Paschali, ad summū licet altare fugientem, interemerunt. Contra Eduardus castra, Lenthium, Bemmelium, Zuylenium, Avesatium, Tuylium, Appeldornium, Loenense, Dornicium, Synderium, & Balverense, fratri Reinholdo eorundem Dominis faventibus, diruit.

Hinc igitur civile & cruentū bellū exortum in prælium publicū tandem desiit: In quo Eduardus Neomagum possidens Reinholdum fratrem prope Tielam ipsâ Urbani an. 1361. ætatis 28. Ducatus decimo octavo, captum, decem annis, quinque in castro Rosendalio, & totidem in Nienbeccensi, libera quidem ambulatione cōcessâ, portis tamen omnibus, & fenestris arctè occlusis atque custoditis, detinuit. Sed postquam ille 22. Sextilis sive Augusti an. 1371. in bello Brabantino post conflictum Baeswieleranum transfixus esset, Reinholdus carcere liberatus, tres tantum menses, totidemque dies iterum præfuit, quibus exactis, ipsa S. Barbaræ seu 5. Dec. anno 1371. vel ut Merula vult (cui inscriptio Tumbæ calculum addit) anno 1372. mortuus & in valle Comitum tumulatus est: uxor vero Maria Brabantina An. 1398. Bruxellis excessit, ibidemque apud Patrem in æde Carmelitarum condita est: prius tamen Canonicorum secularium Turnhouti in patria, & regularium Kyrsdoncensium fundatrix. Sub Reinholdi imperio an. 1354. Arnheimium conflagravit.

Idem Reinholdus ipsa Victoris an. 1371. Neomagensibus, itemq; Gochensibus, & reliquarum urbium, quæ Eduardi fratris partes secuti fuerant, civibus, culpâ defectionis remissâ, omnia eorum, de arrestis, Judiciis & Teloniis, privilegia, confirmavit.

EDVARDVS,

tertius Geldriæ Dux.

EDuardus secundogenitus ipsa Gregorii, anno 1337. natus, cum fratre Reinholdo aliquandiu suorum auxiliis de imperio contendit, donec ipsi victo, & custodiæ tradito, cum annorum esset 24, vel circiter, successit anno 1361. quo eodem anno Engelberto Marcano pro fideli in hoc bello sibi præstitâ opera Limersiam in pignus tradidit.

Gochiæ quoque 15. Iulii ejusdem anni 1361 inauguratus civibus privilegia confirmavit.

Idem ob fratri Reinholdo à Ioanne Clivorum Comite præstitam operam, inprimis ob uxoris suæ sororis Mechtildis dotem petitam, eundem ex Gochia Anno 1362. aggressus in Clivensi agro VVisselium, Tyllium alioque circa Calcariam & Griethan pagos atque villas vastavit: Cum quo tamen anno 1363. bonitate ejus permotus, composuit,

Anno 1362. Alberto Hollandiæ Comiti bellum indixit, sed paulo post facti pœnitudine ductus remisit. Albertus nihilominus irritatus perrexit, & Geldriam depopulatus est.

Anno 1364. ipsa Odulphi de aggeribus Duiffliæ leges tulit.

Anno 1366. die Iovis post Pentecosten, Gochensibus facultatem fodiendi cespites, & ligna in Tiethelbzugh incidendi ad lateres pro civitate ulterius munienda excoquendos, indulsit. Et privilegium de civium bonis in præfectura non arrestandis addidit.

Anno 1367. vespera Paschali largitionem sororis Isabellæ Abbatissæ vallis Comitis, de Molis Aquatili, ventosa, & fulloniâ, Gochensibus pro 50. marcis antea oppignoratis, nunc vero pro modiis siliginis 200. hordei 100. & macerati frumenti mixti totidem, tritici verò 50. factam, ratificavit, Gruitam vero pro 100. marcarum pignore tradidit, & hoc anno 1370. die Elisabethæ ratum habuit. Controversiam vero ejusdem sororis Isabellæ, quam cum Nicolao & Ioanne à Druitten, VVilhelmi filiis, ob dominium Afferdenum habuit, vespera Laurentii, anno 1368. cum Ioanne à Buichusen Domino in VVickraedt, & Gwalthero ab Isendozn Equite, ex parte sororis arbitris: Ex parte Nicolai & Ioannis à Druiten, Nicolai filio, & VVernhero à Dufflich: Inspectore Ioanne à Wuerts Equite constitutis, composuit.

Idem Iohannem Brabantinum contra Leodienses fortiter adiuvit: sed in bello Juliacensi, quod VVilhelmus contra VVenceslaum Brabantiæ Ducem Anno 1371. gessit, affini suppetias tulit; eundemque in Baesweiler / loco inter Rhenum & Mosam sito devicit, & cœpit, ipse verò in eo occubuit, cujus quidē belli & causam, & alia circa id gesta, in historiâ VVilhelmi 2. Iuliæ Ducis latius commemoravimus.

Anno 1371. nuptiis Hollandinis, Hagæ-Comitis operam dedit. Catharina enim Alberti Bavariæ Ducis, Hollandiæ atque Seelandiæ Comitis filia ei desponsata fuit. Audiens vero ibidē sororii Wilhelmi Juliæ Ducis periculum, cui ob bellum cum VVenceslao Lutzenburgiæ & Brabantiæ Duce implicatus erat, post habita tantisper sponsa, & fortium militum manu quantocyus collecta affini succurrit, victoriamque ejus insignem adjuvit, ubi ante nuptias consummatas, An. ætatis 36. vel in conflictu, ut Divæus in Brab. existimat, vel ut alii, post pugnam Baesweileranam victoriâ

obtenta

obtentâ, â proprio servo Hermanno Leerſz ex Heeſo pago oriundo, cujus uxore abutebatur, galeâ ob æſtum apertâ transfixus, poſt tres dies ipſa Bartholomæi ſeu 24. Auguſti anno eodem 1371. occubuit, in Comitum valle apud Majores humatus: ideoque Catharina Hollandica hos verſus acu pictos in veſtibus circumtulit:

Hei mihi quod rapto lethali vulnere ſponſo
In viduo degam virgo pudica thoro.

Hæc autem poſteà Wilhelmo ſponſi ſui Eduardi ſororio, 3. Juliæ, ac 4. Geldriæ Duci nupſit, qui utrumque Ducatum poſt utriuſque avunculi Reinholdi & Eduardi ſine hæredibus excedentium mortem, acquiſivit, & ad filios binos VVilhelmum 3. & Reinholdum 3. tranſmiſit, de quibus duobus Geldriæ Ducibus ſupra in Ducibus Iuliis actum eſt.

Sequuntur ergo Arnholdus, Adolphus, & Carolus Egmundani, pater, filius, & nepos, qui ad VVilhelmum uſque Clivium in Ducatu Geldrio ſucceſſerunt.

Factiones Geldricæ, Bronchorſtanorum, & Heeckerenſium reſuſcitatæ.

MOrtuo Reinholdo Iuliæ & Geldriæ Duce, factio Bronckhorſtiorum & Heeckerenſium aliquamdiu ſopita, iterum recruduit. Illa enim cum tetrarchiâ Neomagenſi Wilhelmum Iulium, VVilhelmi ex Mariâ Geldrâ filium ſucceſſorem, patrem vero Ducatus adminiſtratorem, & filii tutorem nominavit: hæc Mechtildē primogenitam defunctorum Ducum ſororem adhuc ſuperſtitem proximam hæredem eſſe voluit, quæ poſt Ioannem Comitem Cliviæ, an. 1368. defunctum Ioanni Caſtilionæo Comiti Bleſenſi, Goudæ, Schonhoviæ, Werdenæ, Veteraquinatis, & Goylandiæ totius domino, nupſerat; & quia Adolphum Clivium ob Orſoviā & Linnam adverſum habuit, eum Tielæ & Bommeliæ pignore in ſuas partes, & ille viciſſim Engelbertum & Theodoricum fratres Marcanos, Wilhelmum Montanum, Arnholdum ab Horn Epiſcopum Trajectenſem, Reinerum Brederodium Gennepiæ Dominū, Woltherum à Voyſt, & civitatem Arnhemiam pertraxit, quorum auxilio urbem Geldriam 16. ſeptimanis obſedit, irrito licet conatu. Deinde Rheno trajecto, Vadæ, Niebeccæ & Lobithi præſidia vi expugnavit. Wilhelmus Iulius contra intempeſtæ noctis ſilentio Arnheimium occupavit. Quo tempore etiam Ioannes Bleſenſis ſenio confectus uxori, & Adolpho Clivio atque Arnholdo ab Horn Epiſcopo Ultrajectino belli molē relictâ, Schonhoviæ anno 1374. exceſſit. Circa feſtum Iacobi Goſwinus Varix partes Mechtildis ſecutus Tielam dolo intercepit: ſed longè poſt Mechtilde cum Arnholdo Hornæo, Epiſcopo Ultrajectino aliiſq; ſecurè feſtivitatibus indulgente, VVilhelmus Iulius, Lonone Hornenſi Epiſ. Traj. fratre,

Mechtildis Geldra.

fratre, Giſberto Hardenbroichio, Friderico Zuelephio, Iacobo & Adamo Lochorſtiis, inibi captis, & Neomagum abductis, recuperavit. Adolphus verò Clivius, & Arnholdus Hornæus Epiſcopus Trajectinus, cum Venlonam & Harderwicum ad obedientiâ Mechtildis quoque reduxiſſent, VVilhelmus Iulius, ditione Trajectenſi occupatâ, Amerongum, Doernium, Zeiſtium pagos, & Biltium ſuburbium Trajectenſe vaſtavit: Reinherus verò Brederodius ipſo Paſchatos feſto Tielam iterum ſibi vendicavit.

Quo conflictu Gerhardus Herculeus, & Bruno Hondewichius cecidere: Adolpho vero Clivio in hoc bello civili militantes, Rutgerus à **Boetzelaer**/ Lucas ab **Empell**/ Hermannus **Cill**/ Theodoricus à **Wompter**/ cum equitatu ſelecto Neomagenſium abactis armentis, ex civibus erumpentibus, & liberare ſatagentibus 350. cæpere, ſed viciſſim dimiſere. Tandem VVilhelmus Iuliæ Dux filium primogenitum VVilhelmum Anno 1377. annos 14 natum fautoribus in Ducatu Geldrio ſuis tranſmiſit, & Catharinam Alberti Bavari Hollandiæ & Seelandiæ Comitis filiam, & Eduardi ſponſam, Papâ, quia ab eo tacta non fuerat, diſpenſante, uxorem dedit, quæ nullos ei hæredes procreavit. Hic VVilhelmus Gennepium, Reinheri Brederodii caſtrum, ſtatim obſedit, quam obſidionem ut Woltherus à **Voyſt** ſolveret, adſcitâ ſibi Hekerenſium manu in **Hönepel** caſtra fixit. VVilhelmus ergo obſidione ſolutâ rectâ in hoſtem movet, conſertoque in Caldenhavia villa propè Calcariâ prælio, victoria potitus eſt, Heckeriis omnibus aut occiſis aut fugatis & captis; ex quo tempore res Mechtildis labaſcere cœperunt, ideoque ex compoſitione Adolphi Clivii pecuniâ acceptâ, Anno 1378. integrum Ducatum Geldrum, VVilhelmo Julio nepoti reſignavit. Anno demum 1338. poſt varios motus Huiſſenæ Batavicæ defuncta.

Arnholdus Egmundanus. Arnholdus Egmundanus, ſub Sigiſmundo, VVenceſlai fratre, Caroli 4. filio, Alberto 2. & Friderico 3. Auſtriacis Impp. Anno 1410. patre VVilhelmo Egmundano, & Maria Herculea, Iohannis Herculei, Ioannæ Juliæ filiâ, natus, Dux Geldriæ, Anno 1423. factus, in ordine 6. VVilhel. & Reinholdo defunctis fratribus, Juliæ & Geldriæ Ducibus, matris avunculis ſucceſſit, licet Adolphus Monranus, ejuſque ex fratre Wilhelmo Ravensburgio Comite, nepos Gerhardus Juliæ & Montium Duces vehementer repugnarēt. Hic etiam, ne ſe ſuoſque perderet, Carolo Burgundo Geldriam vendidit.

Conjugium Cum tamen Catharinam Cliviam, Adolphi primi Ducis filiam duceret, pactis ex parte ſua, à Ioanne Egmundano, Ioanne Cuilenburgio, Theodoro VViſchio, Ioanne Werdenburgio, Giſberto Meckerenio, & Giſberto Pieckio: Ex parte Adolphi Clivorum Ducis filiæ, Catharinæ à Præpoſito VViſſelio, VVilhelmo Reeſio, Arnholdo Heſſenio, Rutgero Cuilenburgio, Gerlaco Rosheimio, Elberto Alpenſi, & Henrico Schienckio à **Nyeggen**/ cum omnibus Cliviæ civitatibus initis atq; ſubſcriptis, admiſſus, ipſaq; Remigiana

1423.

1423. privilegiis nobilitati, & urbibus omnibus cõfirmatis, præsentibus Ottone de Hatten / Theodorico de Vlodorff / Gisberto Pierk / & Joanne de Tellet / inauguratus est, & sequenti Anno 1424. Gochensium privilegia combusta renovavit. *Liberi.*

Ex hac Catharina Clivia Adolphum successorem, VVilhelmum in juventute defunctum, Mariam Scotiæ reginam, Anno 1449. Jacobo 2. Scotorum regi copulatam, & magno virorum nobilium Comitatu in Scotiam deductam, atque Mense Iulio in fano S. Crucis ad Edimburgum coronatam, Margaretham Bavariæ Ducem, & Catharinam in Virginitate mortuam, genuit. *Georgb. Buchananus in Historia Scotica.*

Primò in Rudolphum à Diepholt / quod Ahasswerum Cuilenburgium ipsi in Episcopatu Trajectensi præferri mallet, movit, sed ab illo anno 1427. victus fuit; quos anno sequenti Adolphus Clivius socer reconciliavit. *Res gesta Arnholdi Egmundani.*

An. 1423. ope ejusdem soceri & Egmondani atq; Isselsteinii fratrum, Ducatum Iulium ingressus, sed quod Adolphus Montanus ab Imperatore illo Ducatu inauguratus esset, exercitum etiam pestis impeteret, Ioannes Hinsbergius ab Adolpho Montano in partem tituli admissus, ut hic Iuliæ Dux, ille verò ejusdem Dominus, salutarentur, bello se medium interposuit, & decem annorum induciis pactis, decem etiam mille aureis Arnholdo numeratis, Adolphus cum integrum obtinuit; Redux Burenam obsidione cinxit, integro anno, & in deditionem accepit. An. 1434. Mortuo vero anno 1437 Adolpho Montium & Iuliæ Duce Coloniæ, cum ei Gerhardus ex fratre Wilhelmo nepos cõtinuo successisset, Arnholdus Egmundanus iterum Ducatum Juliæ ingressus, ab illo 200. Geldris captis, die S. Huberti an. 1444. inter Hinsbergam & Linnichium propè Aldenhoviam insigni ac memorabili victoria superatus à Gerhardo, induciis petere coactus est, soceroq; Adolpho tabulas nemoris imperialis anno 1327. datas, anno 1436. ob sumptus belli renovavit. Anno 1440. urbem VVachtendoncam pro 18000. aureis, & Anno 1445. & 49. Duiffliam oppignoravit.

An. 1438. Martis post Palmarũ Gochensibus de fullonia, præsentibus Ioan. de Ghemen / & Udone Tacholt nova privilegia dedit.

An. cladẽ Iuliã Insequente, nempe 1445. Adolpho socero ejusq; filio Ioanni Ducibus Cliviis, adversus Theodoricum Archiepiscopũ Colonienſem, quia ei confœderatus erat, occultas suppetias tulit.

Anno 1447. dissidium inter ipsum & Adolphum Clivium soccrum exortum, per utriusque provinciæ viros nobiles, VVilhelmum Montis & Bilandiæ Dominum, Theodorum Bronckhorstium & Batenburgium, Anholtæ Dynastam, Ioannem Brochusium, Henricum Meerium, Ioannem Arendalium, Gerhardum Vellepium, Ioannem Budtbergium hæreditarium Geldriæ Mareschalcum, VValramum Hafftonium, & VVilhelmum Holthusium, compositum est.

Eodem anno 1447. bellum ob Drielensis pagi rusticos, quorum incuriâ aggere perforato, vicinorum agri submersi erant, exortum

exortum est. Hos enim cum ex proceribus Geldris plerique, Vincentii Morsani, & Theodorici Batenburgii suffragiis subnixi, in bonis tantum puniendos existimarent, Arnholdus Egmundanus illorum accessit sententiæ, qui in ære & corpore simul castigandos ducebant, ideoque apprehensos utroque modo punivit. Proceres igitur assentientibus Catharina conjuge, & Adolpho filio, Ducatum integrum, solâ demptâ Graviâ, ad se pertraxerunt, donec An. 1450. pace, vigente Romæ Iubilæo, initâ, Arnholdus Hierosolymis tanum iter ingressus est.

Virtutes Arnholdi Egmundani.

Eruditio Principis.

Porro hic Princeps, ex bonarum literarum & eruditæ doctrinæ cultu, summis effulsit honoribus, quippe qui cum non tantum in sedem vacantis Ducatus Geldriæ, & Comitatus Zutphaniæ, jure accedente materno, collocarunt, sed etiam ad conjugium auspicatum cum Catharinâ Adolphi primi Ducis Clivii filiâ, promoverunt. Inprimis vero cum veterum quorundam Christianorum consuetudinem observando, multis heroibus ac aliis Ducibus, præsertim fratre Guilielmo, Domino Egmundano, & Henrico Swartzenburgio comitatus, anno, quo diximus, 1456. Hierosolymam iter instituerent, solus ob eruditionem magno passim honore fuit affectus: at frater Guilielmus, & reliqui, quoniam rudes literarum erant, vulgus indoctum, homines illaudati, & ad pocula Germani fratres judicati. Eidem Româ venienti magnificum honorem exhibuit Pontifex maximus Paulus II. latinam enim illius confessionē, & eruditam colloquii facundiam exosculatus, tam expolitum ante omnes hospitem regaliter tractavit, cæterisque omnibus Germaniæ principibus prætulit, subindè prædicando solum Arnholdum Principem esse dignum, qui liberis populis imperaret, cum ita benè, ut qui didicerat, principatum gerere posset. Hæc Guilielmi fratris animum, ignorantiæ suæ sibi conscium, occulto verbere pupugerunt: unde reversus in patriam, filios omnes suos, bonis literis imbuendos curavit, & Lutetiam missos non ante in patriam redire passus est, quam in Magistros, ut vocant, artium, evasissent. Fratris exemplo bonus princeps licet sero didicit, quanti studiorum gloria laus & honor esse soleat. Quare omnes nervos intendit, ut divinis, quæ neglexisset ipse, literarum insignibus exornati liberi, & suis & patriæ summo esse possent ornamento.

Humilitas & simplicitas Principis.

Idem Arnholdus nimios aulæ strepitus odio prosecutus, nunquam sericam vestem induit. Tandem sericam villosam à Philippo Duce Burgundiæ, patre Caroli, Anno 1467. mortuo, dono missam, nactus, eam nihil admiratus, cum semel atque iterum toro induisset anno, sese minimè suspexit, nusquam ostentavit, sed potius ludibrio se, quasi dissimilem sibi redditum, solitus est habere.

Anno 1455. ipsâ assumptionis Mariæ, monialibus Gochensibus leges tulit.

Eodem anno collegium Elstense in Batavia vetustum Canonicorum

corum locupletavit. An. 1458. de successione civium Gochiensium ratione præscripsit, ijsdemq; 100. jugera Hollādica ericeti donavit.

Anno 1459. censum à Nobilitate & civitatibus exigit, quem denegantibus filius Adolphus cum matre adhæsit, & licet Ruremunda, Venlona, Geldria, Gravia à partibus Arnholdi essent, Neomagensibus tamen utpotè potentioribus, quos privilegiorum de vini porticu, venditione Dordracensibus facta Arnholdus quoque offenderat, adiutus, primum an. 1462. ex urbe Venlonensi patrem Arnholdum & Ruremundanos deficere nolentes oppugnavit: sed ibidem filius à patre obsessus operâ patrui Gulielmi Egmondæ reguli pace factâ, in gratiam receptus est, urbemq; Neomagensem dono accepit, cujus ope carcerem patri posteà molitus est, anno 1465. quo Graviæ eum cœpit, anniſq; octo Lobithis & Burenæ captum detinuit, dum Caroli Burgundi, & Joannis Clivij armis cōpulsus libertati eum restitueret, quâ de re, ut supra quædam annotavimus, ita in historiâ filij Adolphi sequente, ea quæ huc faciunt, ulterius in medium adferemus. Hoc tantum hîc addentes, quod ex septennalibus filij compedibus liberatus, cum rogaretur pius & sanctus Princeps: quidnam toto hoc captivitatis tempore intolerabilius sibi visum, respondit. Nihil quàm pravum proprii filij facinus. Alioquin, inquit, ad solum Deum omne periculū omnemq; injuriam remittebam, animo consistens inconcusso, minimeque ignorans, magnos Principes majoribus semper calamitatibus objectos esse, Arnh. Heymericius in Sophiol. lib. 1. c. 3. de fortitudine. *Captivitas.*

Anno 1472. pridiè Nativitatis Mariæ, Ioanne Clivorum Duce dicto Bellicoso affine, Wilhelmo Egmundano fratre alijsq; multis viris nobilissimis præsentib. Carolo Audaci Burgundiæ Duci Ducatum Geldricum & Comitatum Zuitphænium pro 92. mille aureis cessit: Cui etiam Gerhardus Iuliæ & Montium Dux circa 12. Cal. Iul. an. sequenti 1473. cū filijs Wilhelmo & Adolpho ad ipsum profectus, in eaſdē Provincias suum jus pro 80. mille flor. vendidit.

Hinc Carolus Ducatum Geldricum emptionis titulo jure sibi debitum existimans, cum ordines, quibus insciis contractus initus, reluctarentur, eumque in filium Arnholdi Adolphum, & nepotem Carolum transferre satagerent, Carolus Burgundus an. 1473. armatâ manu Ducatum occupavit & sui juris fecit. Nam Trajectum Mosæ progressus maximoque ad domandam Geldriam exercitu coacto, primum Ruremundam, Kesseliam & Cuickiam in deditionem accepit. Deinde feriâ 4. post Pentecosten, Sittardum, Suesterenam, Echtam quæ oppida Vincentius Comes Morsensis à Reinholdo Geldriæ Duce in pignus, cum in ijs subjectis locis accepta adhuc possidebat, fugientibus præsidiarijs, quos imposuerat, occupavit: Circa festum sacramenti Velona obsessa, & crebris tormentorū ictibus verberata, ad 12. Cal. Iul. expugnata est. Non longè post Locheimia, Gochia, Stralena, Herculena, Geldria, Wachtendoncia, Gravia, Tiela, Bomelia, Burena ultro in potestatem ejus venêre: Quinto non. Iulij Neomagum, cujus præsidium

Reinherus Bruchusius vir ordinis Equestris præcipuus tenebatur, filiumque Adolphi, Carolum puerum octennem, equo impositum in muris circumducebat, obsidione cinxit. Et pridie Iacobi in deditionem accepto, liberisque Adolphi Carolo & Philippina osculatis & ad uxorem Margaretham Gandavum missis, Lobithum ad divortium Rheni & Vahalis inde Drusiburgum & Zutphænam perrexit, totamque Provinciam in potestatem suam redegit: VVilhelmo Egmundano Isseisteinii regulo præfecto, & Adolpho Marcano Ioannis Clivorum Ducis patruele notho, Jcto, Consiliario constitutis: Tandemque 4. Cal. Octob. ingenti fastu Augustam Trevirorum ad Cæsarem Fridericum 3. Imp. profectus, ditioneq; Geldrica ab illo inauguratus, Mariam filiam, tot Provinciarum hæredem genero suo Maximo-Æmiliano hac conditione in matrimonium promisit, ut ante traditionem Rex Burgundiæ & Imperij Romani Vicarius à Cæsare Friderico patre Maximiliani salutaretur, quod postremum tamen non obtinuit.

Arnholdus verò Egmundanus de quo agimus 24. Feb. an. 1472. apoplexia Graviæ correptus, ibidemque pridiè Matthiæ mortuus cum fratre Wilhelmo Egmundano Isselsteinij Dynasta conditus est, ut versus habet memorialis.

Pridie Matthiæ obiit Arnholdus Geldriæ Dux uxor ejus Catharina Clivensis post 4. annos 10. Feb. anno 1476. Lobithi exspiravit, in Insula Mariana Carthusianorum propè Vesaliam apud parentes tumulata.

Adolphus Egmundanus septimum Geldriæ Ducē, reclamante tamen Carolo Burgundo se dixit; Et patre adhuc diu superstite, Provinciæ gubernaculis raptis, Margaretham Borboniam uxorem duxit, ex eaque filium Carolum & Philippinam filiam Renato Lotharingiæ Duci nuptam sustulit.

Omnem ætatem in armis contrivit: Patri bis ob duplicem prætextum obstrepuit: Drielenses rusticos seu censum subditorum, in primis ob VVennemerum & Arnholdum Prangios capite mulctatos, & Burenum deniq; ac Bosincheimium Dominia Friderico Isselsteinio ex fratre nepote Gerhardi Cuilenburgii filiæ unicæ & hæredi copulato attributa, revera autem quia imperium Provinciæ sibi à Patre tradi perquam desideraret, cum matre Catharina Clivensi conspirans, donec tandem 9. Jan. an. 1465. Graviæ captum octennium carceri manciparet.

Quod Iustus Lipsius in monitis politicis ita recenset: Arnholdus Egmundanus senuerat, filius adoleverat, qui patris diuturnum imperium ægrè ferens per factiones quosdam è popularibus suis in arma trahit, & patri bellum palam facit; Sed pater viribus & causâ melior obsessum in oppido Venlonâ tenet, ac denique principum vicinorum interventu pax coit, hac lege, ut juvenis urbem Noviomagensem sibi accipiat, teneatque, in qua liberè & solus dominetur: sed exigua hæc ei portiuncula visa, resilit mox à fœdere, familiares quosdā patris in ejus cōtume-

liam

liam laqueo enecat, & cum videt à se vim frustra tentari, ad alienam potentiam confugiens, Philippum Bonum Bruxellis adit, patrem accusat, sese approbat, promittit multa, sed apud verè Boni principis surdas aures. Desperatis igitur auxilijs, ne patrem videat, Hierosolymam properat, homo sacer scil. ad terram sacram: paulò post redit, omnium inops, quo, nisi ad patrem? recipitur amicè, & ipse pœnitentiam & amorem simulat, sed vultu, non animo bonus: nam fraudem & insidias patri statim ita struit. Erat senex Graviæ ditionis suæ tunc oppido cum uxore; venit quasi per officium filius: more gentis epulantur & bibunt largius, saltant etiam in multam noctem, ipso sene Duce sustentante, & in filij gratiam præter vires & morem lætiore. Tandem cubitum se confert: vix fecerat, cum adsunt à Noviomago, (ij juveni parebant) cives armati, & ab Adolpho clam intromilli, rectà ad cubiculum Ducis, duce filio tendunt: pulsant fores: ille è lecto, jocos & choreas etiam tunc cogitans, negat id noctis saltare ultrà ferre posse, juvenes facessant & abeant. At illi effractis jam foribus adstant, jubent surgere, & se consequi. Quo autem? ait senex, & ubi filius? miser, ubi auxilium putat, exitium est: Et ille improbus, pater, inquit, necessitati parendum est, agè, sequere: nec tantillū exspectant, ut tuniculam interiorem aptet, atque induat, nec tibialia quidem sumat: sed pater equitantem filium nudis pedibus & corpore ita sequitur Buram usque, ibi tetro carceri includitur, & sex annos totos (non illius, sed popularium impietatem culpo:) sex inquam annos detinetur. Tandē improbitas querelas vulgi excitat, sed & minas principum vicinorum; è quibus Ioannes Cliviæ Dux ipsius Adolphi avunculus arma etiam sumit: qui tamen à se parum validus, auctoritatem, vel auxilium à Pontifice Paulo 2. & Friderico 3. Imperatore petit: Illi statim annuunt, ad Adolphum acres minacesque literas scribunt, & ut patrem luci & libertati reddat, jubent, nihil fit, ridet. Itaque ijdem Carolo Audaci Burgundiæ Duci valido Principi totam rem committunt, liberet senem, reconciliet filium, denique faciat, quod ex æquo & usu videretur. Ille utrumque coram se sistere jubet, qui in Galliæ finibus Dorlani tunc erat. Adolphus haud spernendam iram & jussa tam potentis vicini ratus, patrem secum eò ducit, accusat, in consilio fœda & falsa in eum ingerit; quorum facilè purgatus senex bonorum & illustrium virorum testimonijs, tandem impatientiâ & fiducia eò prorumpit, ut filium ad singulare certamen provocaret, ferro & Deo judicibus innocentiam suam asserturus: mos tunc satis crebet in martiali isto populo erat: sed Audax tamen abnuit, fœditatem rei proponens & insolentiam, & simul in eventu incerto certum scelus, utercunque vicisset. Itaque re cum suis deliberatâ pro sententiâ dixit: Arnholdus pater solus titulo Ducis utatur, sed filio oppida ariesque totius Geldriæ cedant, solâ Graviâ sibi exceptâ, accipiat etiam in alimoniam de manu filij tria quotannis aurcorum millia,

Hæ conditiones? Quis abneget? imò quis non miretur filio tam bonas? sed non silent historici, Carolum nescio qua occulta causa an pacto in filium proniorem. Quid tamen deinde? Refertur ad filium & quidem à viris primariis & gravibus, inter quos Philippus ille Cominæus erat, qui hæc scripsit. At illis respondet in ipsa verba: malle se præcipitem dare parentem in puteum, se deindè superjicere, quàm ut in has conditiones paciscatur; quid malum? inquit, pater alibi imperet, qui totos 40. annos omnibus præfuit; æquum est, ut nostræ quoque jam vices sint, nec aliud admisero quam de pensione trium millium, sic quoque ut pater totâ Geldriâ cedat, atque adeò excedat, nec unquam pedem in eam referat. En responsum non tam impium (& ita tunc omnibus visum) quàm insanum! Igitur Carolus cui aliæ res prævertendæ, cum idipsum temporis Ambianum Galliæ Rex intercepisset, dilatâ hac cognitione expeditioni se parat. Juvenis suspicatus detentum se iri aversione animorum cogitatâ, fugam cum duobus comitibus Gallicâ veste ad suos capit, omnia in reditu vi & armis occupaturus aut turbaturus. Sed ecce Namuri dum Mosam flumen cymbâ transmittit, agnitus, ab uno alteroque vectorum mox à pluribus capitur, & ad Audacem reducitur, qui Vilvordiam atque indè Cortracum duci, & in honestâ custodiâ asservari jussit. Mansit ad Audacis ipsius mortem, quæ an. 1477. contigit: Tunc Gandavenses pro suo tunc more turbas daturi, hunc idoneum Ducem arbitrati, cum solvunt, & bello in Tornacenses præficiunt, quod tunc Galli habebant. Ivit, cum manu aliquâ adequitat mœnibus, erumpunt præsidiarij, & miser inter primos cecidit, mortuus, velut pecus mactatum, jumento ex transverso impositus & in Ecclesiâ majore conditus. Quid tu nunc pater? Vindictam, ex lege primâ promissionem habente violatâ, & talionem aliquâ parte à justo judice vides. Carcere te punivit, ipse sustinuit; mortem machinatus est, ipse subivit. Nec sanguis hic multus fusus, aut violenta cædes, fateor, ut in prioribus; mihi tamen libranti, impiæ impietatis exemplum visum est, & supra omnia inferæ & obstinatæ, Nero, Tullia, aut alius aliquis impetu peccaverint & calore; hic meditatum, hic diuturnum scelus est, nec adhæsit animo, sed insedit. Hæc Lipsius, &c.

Ob hoc facinus nefandum à Paulo 2. Papa, Friderico 3. Cæsare, Philippo Burgundo & Ioanne Clivio (uti ex Lipsio quoque adduximus) literis monitus, cum impio hoc proposito avelli non poterat, primum Ioannes Clivius suis & Gulielmi atque Gisonis Lusci, filiorumque Gulielmi Ioannis & Friderici Egmundanorum, Gerhardi Cuilenburgii & Henrici Bochovij armis bellum ei indixit, & Ducatum Geldriæ ingressus intra octo mensium spatium centum florenorum millia à Bataviæ & Velaviæ Colonis extorsit: propugnaculo quoque è regione Gennepæ constructo Cuijckium & Kesseliam infestavit, in reditu etiam Gochiam tentavit, sed amisso Arnholdo Benthemio, obsidionem solvit:

Neoma-

Neomagenſes etiam atque Dotinchumios ex Embrica doliorum ſtratagemate fudit. Et cum Arnholdus Vuijenus cum civibus Neomagenſibus Hagam invaderet, 55. ex ijs à Tutore Hollandiæ capti, & decollati ſunt: molam etiam in Dufflià erectam Dux Ioannes evertit, ubi Arnholdus Portman/ Adolphi Geldri Conſiliarius fideliſſimus à Ioanne Horſtio Ducis Ioannis Clivii genero notho occiſus eſt.

Poſtcà Adolphi Naſſovii Moguntini, Ioannis Badenſis Treviri, & Roberti Bavari Colonienſis Archiepiſcoporum operâ à feſto Cæciliæ uſque ad feſtum Cathedræ Petri an. 1467. induciæ conſtitutæ, quæ in loco Buſculo propè Craneburgum ab ipſis Ducibus Ioanne & Adolpho confirmatæ, hac lege, ut Friderico Iſſelſteinio & patre Arnholdo in Spuyâ Rheni ripâ ab Adolpho reſtitutis, Ioannes Dufflam oppignoratam, 5. floren. millibus receptis, traderet: Sed Adolphus ad viſum tantùm parente exhibito, conditionem acceptam eluſit. Ioannes igitur Clivius ſubſidio Egmondenſium Ducatum Geldriæ pervagatur, per Fridericum Iſſelſteinium Vadam intercepit, ſpoliatam incendit, & veteris & novæ Eccleſiæ pagos in præfecturâ Geldricâ vaſtavit. Anno etiam 1468. oppidum Druſiburgum Ioanne & Petro à Beck tradentibus aſtu intercepit, ubi Ioannes Egmondanus mero onuſtus in luſtratione vigiliarum crurifragium paſſus, Ioannes Kell Zutphanienſium capitaneus cum multis alijs nobilibus captus, & 300. cives partim Arnheimium, partim Sevenariam, maximo uxorum & liberorum planctu comitante, abducti ſunt, inque urbe Theodoricus ab Eickel Marcanus adminiſtrator conſtitutus, Aleiden Lorrenam vetulam cum civibus 14. contra Clivenſes denuò conſpirantem, capite plecti juſſit: Traditores tamen Ioannes & Petrus à Beeck à Zutphanienſibus intercepti in rotam acti ſunt. Ex quo tempore fortuna Clivenſium inclinavit. Cum enim anno 1468. Adolphus Egmundanus Wachtendoncam obſidione cinxiſſet, & Dux Ioannes commeatum obſeſſis intuliſſet, quia in propugnaculo provinciali præſidium non collocarat, ex eo Adolphus Ioannem per inſidias adortus, ſagittâ licet ipſo in crure vulnerato, & Matthiâ ab Eill/ Scheiffardo a Bornheim/ & Ioanne Rickio conſule Neomagenſi, vexilliferis ejus occiſis, Coloniam uſque fugavit, ubi prius ex ipſius exercitu Gumpertus Novaquilanus Comes, Theodoricus Limburgius cum tribus fratribus periiſſent. Coloniæ Ioannes Clivius à Republ. & à Sophiâ Montana Duſſeldorpii exceptus, auxilio eorum in patriam reductus, & moderatione Vincentii Moerſani pax ſtabilita eſt, hac conditione, ut Arnheimio, Druſiburgo, Vada, & Wachtendonca ejuſque pignoris 14. floren. millibus renunciatione, reſtitutis, Clivenſibus & Egmondanis ſua quoque redderentur, & Robertus Colonienſis Archiepiſcopus à cenſuris Papæ per Epiſcopum Wormatienſem ejus Commiſſarium latis, Ioannem Clivium etiam abſolveret. Nihilominus tamen Adolphus Egmondanus peſſimis

usus consultoribus, rupto hoc fœdere, cum Ludovico Rege Galliæ, Roberto Archiepiscopo Colonienſi, contra Carolum Burgundiæ Ducem & Ioannem Clivium conspiravit, cujus conspirationis literas Adolphi manu signatas Clivia quædam nobilissa Neomagi repertas Joanni & hic vicissim Carolo Burgundo transmisit; qui Adolpho & Joanne Ducibus per Joannem de Bergis citatis, violatæ pacis causam vêtulavit, & Adolphum propriæ manus testimonio convictum, Pauli 2. & Sixti 4. Pontificum calculo accedente 6. annis uno Vilvordiæ, & quinque Celtraci in vincula conjecit, divina ipsum vindictâ meritò persequente, qui parentem contra præceptum DEI expressum, tam diris modis ante tractaverat. Sic dimissus pater ejus Arnholdus Egmondanus, & in Geldriâ suâ totâ, Anno 1470. solo Neomago excepto, admissus est, & quia subditos pleroſque omnes adhuc refractarios habebat, Anno 1472. Ducatum Carolo Burgundo pro 300. floren. millibus vendidit, quo totum Ducatum occupante, ipse anno insequente Graviæ obiit, ibidem quoque, ut diximus, tumulatus.

Et cum hoc modo Adolphus Geldrus propè Stralam an. 1468. Joannem Clivium vicisset, Carolus Burgundus venditum sibi intereà à patre Arnholdo Geldriæ Ducatum Normannorum & Batavorum copiis collectis invasit, & post urbes multas occupatas, Adolpho tandem cum filio Carolo, cujus Tutor erat Vincentius Morsanus, Neomagi captis & in Burgundiam abductis investituram Ducatus anno 1473. à Friderico 3. Imperatore Treviris impetravit, sed cum non longè post nempè anno 1477. ad Nanceam occubuisset, Adolphus à Mariâ filiâ & hærede Caroli è custodiâ dimissus, copiisque Burgundicis præfectus in congressu cum Gallis ante Tornacum in septem dormientium, quos vocant, festo, hastâ transfixus, atque in majori urbis templo ibidem spectabili funeris Mausolæo in sacello S. Ludovici eodem anno conditus est. Uxor verò Catharina Borbonia ex conceptis animi doloribus anno 14.. occumbens in Neomagensi Ecclesiâ humata est. Sicuti hæc omnia in Joannis Bellicosi Ducis Clivensis historia, supra quoque prolixè enarravimus.

Carolus Adolphi filius ætatis sexto sub Frider. 3. Max. 1. & Carolo 5. Impp. anno Christi 1487, horâ nona Novemb. 10 antemerid. Graviæ natus à Carolo Burgundo anno 1373. abductus, sed anno captivitatis 4. à Maximiliano Cæsare ejus genero liberatus coronationi ipsius Aquisgrani cum aliis Germaniæ proceribus interfuit; & in bello quod Maximilianus cum Carolo 8. Galliæ Rege ob filiæ suæ Margarethæ abdicationem gessit, iterum anno 1491. captus est. Sorot igitur Adolphi Caroli patris Catharina Anno 1477 Carolo Burgundo & fratre Adolpho cæsis, nepote verò hoc Caroli capto, imperium affectavit, & à Statibus accepta, illud annis plus minus quindecim administravit.

Et cum Wilhelmus Egmundanus Arnhemium occupasset, illud duobus mensibus obsedit. Deinde vocato an. 1478 in societatem

tatem imperii Friderico Brunswicensi, conjugium cum ipso ab ijsdem Statibus propositum, renuit; Et cum idem Herderwici in insaniam versus esset Henricus Schwartzenburgius Episcopus Monasteriensis, in Geldria moderanda successit. Sed anno 1492. Carolus Egmundanus Adolphi filius ope Vincentij Mocchani post Henricum Episcopum Monasteriensem Geldriæ Gubernatoris filio Bernhardo loco illius obside constituto, subditorum provinciæ sumptibus redemptus, & à Carolo Galliæ Rege dimissus in imperio successit, Maximiliano tamen & Joanni Clivio omni vitæ tempore admodum infestus mansit. Nam cum contra Maximilianum, Geldriam, quamprimum vinculis liberatus esset, usurpasset, Maximilianus quidem uxoris Mariæ Burgundæ intercessione expeditionem primam in ipsum distulit. Sed cum iterùm turbas moveret, Trajecti ad Mosam per Electores imperij, an ad se, an verò Carolum Geldria pertineret, decerni jussit, qui cum pro ipso pronunciarent, auxilijs Johannis 2. Clivij & Wilhelmi Iulij Albertum Saxonem Geldriæ immisit, qui urbes Batenburgiam, Stralenam, Wachtendoncam, Herculeriam, Echtiam, & Neostadiam expugnavit, & ipsius an. 1408 cõpositis Helvetiorũ motibus, Emmericam, ut ex eâ Carolum Dorinchomij versantem adoriretur, accessit, sed 18. Decembr. Cliviæ & Iuliæ Ducibus in periculo relictis, iterum retrocessit: Quapropter Geldri Dominio Hinsbergio invaso Echtiam recuperarunt, & cum Ioannes Clivius 1500. cives Noviomagos in Molwich prostrasset, Geldri Craeneburgum sagittis igneis incenderunt, pagumque Kellenium cum arce Smithusiâ exusserunt, unâ in Bedbergio Monasterio nocte commorantes: Extincto verò anno 1500. Vincentio Moersano Comite Geldriæ administratore, Carolus corpus ejus aromatibus delibutum, Moersam, oppidi in deditionem accipiendi spe, destinavit, Ioannes autem Sarwerdensis Comes ope Clivensium, dominorum feudi, prævenit, ideoque juxta parentes in Abbatiâ Pantaleonæ Coloniæ conditum est.

Eodem anno 1500. Carolus Egmundanus à Maximiliano pulsus, ut paternam ditionem iterùm recuperaret, cum Maximilianus alijs negotijs involveretur, & exercitui stipendia non solverentur, eo ad se traducto Iuliacenses ac Clivenses crudelissimè depræda-tus est; qui idcircõ de pace & tranquillitate solliciti Ludovicum Galliæ Regem arbitrum capiunt, hujus ergo sententiâ Carolus in possessionem Geldriæ redit. Verùm cum induciæ minus sanctè colerentur anno 1505. Philippus Belgij totius princeps à patre Maximiliano Imperatore auxilijs acceptis Geldriam intravit, & Arenacum obsedit, sed Isabella Hispanicâ defunctâ, cum sibi necessariò in Hispaniam abeundum esset, dato Carolo salvo conductu & in castra evocato controversiam ità digerit, ut illi Geldriâ ad vitam concessâ, jus Philippo in Geldriam integrum maneret, cumque Carolus in Hispaniam cum equitatu comitaretur, verum quia profectio in sequentem annum dilata, hæc omissa est.

Anno 1502. Carolus Egmondanus sub prætextu Jacobum Batenburgium vasallum invadendi, Anholtinamque ejus urbem obsidendi Hetteriam vastavit, & oppidum Huissense vallavit, sed à Clivensibus, omnibus impedimentis & pretiosissimâ suppellectile relictis, fugatus est: Zutphanienses etiam, Neomagenses & Arnhemij in Arppel/& Drusiburgij in Sevenar / victi, de quo suprà prolixius dictum est.

Anno 1506. ad Maximilianum Cæsarem Batenburgio, Bronchorstio, Wischio, & Hoemerico Baronibus deficientibus, is suppetiis Johannis Clivij & Wilhelmi Iulij Arnhemium obsedit, Tiela, quoque, Bommelia, Hardewicum, Lochemium, Grolla, Hattemium, Duisburgum ei accesserunt. imò totum Geldriæ Ducatum occupasset, nî Carolus Egmundanus Cæsarem Maximilianum in castris accedēs humilitèr deprecatus esset, sed Philippo filio mortuo, & Maximiliano Helvetiorum negotijs impedito, Carolus fide posthabita Brabantiam iterùm infestavit. Burgundi & Clivij contrà, Vadam urbem & castrum Peroijum insederunt, & tria equitum millia à Gallorū Rege Carolo submissa in ripa Rheni Spoija, ne saltum Clivium ingrederentur, repressērunt, quos Galliam repetentes oppido Tienensi capto Burgundi profligarunt & fermè extinxerunt, indeque Goijam adorientes, 200. in Hengell rusticos viarum obsides trucidarunt, & propugnaculum Anti-Wildeburgium everterunt. Contra Geldri ex Gochia anno 1507. erumpentes, equites Clivios quinque, nobilibus Dominis captis prostraverunt, quo eodem anno pax utrimque stabilita est.

Bello hoc finito cum Friderico Badeno Episcopo Ultrajectino, ob Iohannem ab Essen Capitaneum à Campensibus decollatum aliud Carolus noster gessit, illo quidem Tubantiam, contra Episcopo Velaviam & Goijam vastantibus. Idem Carolus oppidum Veterocellense anno 1510. in deditionem accepit, oppidumque Friderici Egmundani Isselsteinium, urbs Trajectensis sibi, amica, obsedit, sed Carolo ad Monfortium fugiente, obsidio soluta. Anno verò 1515, militibus habitu muliebri indutis, alia ejusdem expugnatio, sed frustrà tentata est.

Anno 1511. Carolus Egmundanus rupto cum Burgundis fœdere inito, Francofurto redeuntes mercatores Brabantinos exuit, Venlonam obsidione cinxit, Buscoducenses tumultuariè egressos ante urbis portam contrivit, omnes denique Geldriæ urbes. Anno 1512. (qui memorialibus literis, iLLe CrVCeM ChrIstI, continetur) recuperavit, Hollandiæ urbibus Lugduno, Goudæ, Schonhoviæ, & Veteraquinati multa damna intulit. Ioannem Wassenarium apud Werdanam occupavit, deindè Anholtinum oppidum ex igne & peste habitatoribus nudum, armis doloque cœpit. Et Ultrajectinis contra Flor. Egmundanum Isselsteinii Dynastam patrocinatus illud obsedit. Inde iterum pax Trajecti constituta est.

Anno 1514. à Comite Embdano Ennone Frisio & civitate Groningana

ningana contra Georgium Saxonem defensor vocatus, Saxonibus pulsis ac superatis Groningam obsidione, & Frisiam hostibus liberavit, totamque ditionem Leowerdiâ, Franequera & Harlingâ maris portu exceptis, occupavit. Georgius autem Saxo viribus resumptis Frisiam Groningâ & Snecâ demptis, recuperavit, sed cum tertiò Frisij rebellarent, jus suum Burgundis vendidit.

Anno 1517. nobiles quidam Geldri novum portum è regione Schonhoviæ occuparunt, sed Burgundis mox adventantibus ex Geldris captis tres Dynastæ decollati sunt.

Eodem anno Carolo Burgundo Hispaniam petente, Carolus Geldrus Dochumium cœpit, Slotam munivit, Alcmariam diripuit, & Amstelodamenses stravit, sed Asperensi oppido obsesso ad pontem Daventriensem usque fugatus est: Mortuo verò anno 1519. Max. Imp. ejus ex filio Philippo nepos Carolus hic Burgundus successit Anno 1520. imperii Romani coronâ aquis redimitus.

Anno 1519. idem Carolus Geldrus Embricam dolo intercipere tentans, clamore rustici Welensis, itemque eodem anno in Reesæ & Cranenburgi, & anno 1521. iterùm Embricæ obruendæ stratagemate prohibitus est.

Atque hæc omnia ante cõjugium gessit Carolus Egmondanus. Is anno ætatis 52. Christi verò 1519. cum Annam Cliviam frustrà exspectaret, Elisabetham Luneburgicam Henrici filiam duxit: cujus socer tam bellicoso genero fretus, Ducum Brunswicensium Henrici & Erici fratri, Mindensi Episcopatu pulso, filium surrogare voluit; & bello inito Ericum Ducem cum Wilhelmo Henrici filio cœpit: sed Henricus ope Carboli Regis Galliæ & Joannis Clivij pugnâ redintegratâ fratrem filiumque anno 1520. iterum asseruit.

Deinde an. 1521. Carolus Egmondanus ipse Emmericam Reesam & Cranenburgum urbes Cliviæ, imprimis Emmericam, quod Saxones ad occupandam Frisiam Rhenum ibidem trajecerant, tentavit, sed non expugnavit, Emmericensibus Annum & diem liberationis suæ effatis Apostolicis enuntiantibus: ECCe peCCatores perIbVnt In æternVM. SI DeVs pro nobIs qVIs contra nos. Deinde quod Campis magis deditus Episcopus Ultrajectinus David Burgundus, Swollam ad Carolum defecit. Hasselium verò obsedit, sed non cœpit, Rudolphum tamen ab Ittersum superavit, & cum centum aliis occidit. Daventrienses in suos Hasseliensem obsidionem solventes irruentes profligavit, ex suis Aswichio & Hermanno à Velen desideratis die Matthæi Apostoli anno 1522. Daventriam obsedit intestinis dissidiis laborantem, & pontem ejus Trajectulani exustâ tortalitiisque utrinque positis dejectis, Hattemium expugnavit. Contra Gliverenses die natali Domini Schuconi Dynastæ Pontem Zuitphænum succenderunt, 20. Equites Goræ prostravere. Burgundorũ autẽ 2000. Daventrienſib. in subsidium submissi propugnaculũ Gelmoedanũ propẽ Hasselium adorti, cũ

Carolus

Carolus profligare ab eodem niteretur, in diebus rogationum anno 1522. ſuis partim captis partim occiſis retroceſſit: Caſtra tamé Coeverdenũ & Diepenheimium expugnata ſui juris fecit. Swollenſes denique cives Magiſtratui in ſumptibus belli conferendis refractarios compeſcuit: Eodem anno Lingam à Comite Tecklenburgio & Bredevordam cum Alteno & Winterwijckio pagis, à Comite Steinfurtenſi magno ære Trajectenſi diœceſi extorta, redempta ſibi comparavit.

Anno 1524. Friſia exutus eſt. Cum enim ejus pars Burgundis pars verò Geldris pareret, & multæ naves onerariæ diverſarum nationum à I. Goldtſteinio præfecto Geldro Doccumienſi ſpoliatæ eſſent, Burgundi Duce Joanne Waſſenario, Doccumenium cum propugnaculo à Geldris conſtructo cœperunt, Sneecanos expulſo Comite Moerſano in deditionem acceperunt, Slotenſem denique portum, vulnerato in obſidione ejus in brachio, Waſſenario, & ex vulnere anno 1525. mortuo, & Hagæ Comitis apud Prædicatores condito, cum Groninganis & reliquis Friſonibus Sylvanis obtinuerunt. Quâ Waſſenarij injuria Carolus provocatus Friſiam orientalem infeſtavit, victoque Ennone Comiti inter alias etiam de religione, quam reformatam amplexus erat, abroganda, legem anno 1533. præſcripſit. Ab eodem Carolo Egmondano ob tributum exactum omnes ferè Geldriæ urbes defecerunt, adtò ut à populo paſſim tumultuante excluſus, vix unum alterumque oppidum, quò perfugeret, retinuerit; Idcirco Cliviis confœderatus non tantum Annam Cliviam pro Renati Lotharingiæ Ducis filio Franciſco exambivit, ſed etiam partibus Geldricis, Limarſiæ, Duiffliæ, Lobitho, & nemori imperiali reſignavit.

In diſſidio Trajectenſis Epiſcopi Henrici Bavari, qui anno 1525. Philippo Burgundo ſucceſſit, quemque conſules ſuſceperant, cives verò repudiabant, ab his in Ducem aſſumptus ſubſidio venit, & Haſſeliam odio Swollenſium occupavit: Epiſcopus contrà Bataviam invaſit, Rhenam expugnavit & in Winſen propugnaculum conſtituit: Trans-Iſſulanæ autem urbes, Campi, Daventria, Swollæ ad Carolum Cæſarem Hiſpaniæ Regem Anno 1528. defecerunt, quando Georgius Schienckius Cæſaris in Friſiâ vicarius Coverdiam quoque obſedit & cœpit. Carolus verò Brabantiam & Hollandiam ingreſſus, omniaque depopulatus, ſed in VVichenio pago ab Epiſcopo Henrico Bavaro repreſſus eſt. Martinus verò Roſſemius Hoeſdæ hunc viciſſim debellavit: Hackfortius autem & Goldtſteinius Haſſeliæ præſidiarij, nullis ſuppetijs à Carolo ſubmiſſis, inediâ compulſi, Schenckio urbem ipſa Aſcenſionis Domini dediderunt, Ioachimus etiam VViſchius in Peelandiâ à Clivijs cæſus, Hattumiâ, Elburgo, Harderwico in deditionem acceptis. Henricus verò Epiſcopus occupato clam Trajecto Geldros viciſſim expulit, & duodecim, inter quos duo quoque Eccleſiaſtici, decollari juſſit, propugnaculo ſeu arce ante portam Catharinæ conſtituto, Tielam in Vahalis ripâ obſedit, quam oppida-

ni ani-

hi animosè defenderunt. Georgius Schienckius etiam ad Amesfordiam castrametatus Geldros fudit, qui Megâ tandem clam interceptâ, Worcumij Carolo Cæsari reconciliati sunt.

Anno 1528. Carolus Geldrus ingenio inquietus in Hollandiam irruit, Hagam sedem Comitis capit, & deprædatur, inde Belgæ Florentium Comitem Burensem Caroli Cæsaris exercitus Ducem assumunt, Carolo bellum inferunt & multas ipsi urbes eripiunt: Inde per Intercessores Principes iterum Pax fit, hac lege, ut omnes suas ditiones, si masculo hærede destitueretur, Imperatori ejusque successoribus traderet.

Anno 1529. Neomagenses inobedientes correxit.

Anno 1530. Geldria conflagravit.

Cum verò inter Ioachimum VVischium, & Oswaldum ejus nominis 2. Montium Comitem, ob arcem & dominium Hoemoetium prope Arenacum, quod VVischius per Meinhardum ab Hamm exusserat, dissidium anno 1523. suboriretur, Carolus anno 1529. primum inducias inter ipsos constituit, sed ubi anno 1530. VVischium Arenaci capi per suos juberet, hic cistæ rusticanæ inclusus, ac ita elapsus, Huissenam pervenit, indeque Recsam à Cliviis perductus est. Quod audiens, Oswaldo Suffragatus, VVischium, Hoemoetium castrum instaurare jussit: quo ab ipso negato, arcem eodem anno 1530. solo æquavit.

Anno 1537 ipsa Huberti Episcopi Neomagensibus castrum Falckenburgium invadentibus, ipse tota hac Tetrarchia cum Ruremundana & Suitphana fuisset à proceribus exactus, solam Arnheimiam retinuit, ad integram Provinciam non nisi certis cum conditionibus iterum admissus est.

Controversiâ verò inter Carolum 5. Cæsarem & ipsum tractatus Gorcumii anno 1529. Graviæ anno 1536. hac lege, ut diximus compositâ, ut deficientibus legitimis hæredibus, ditio integra ex veteri jure ad Cæsarem reverteretur, hanc conditionem non diu servavit.

Nam anno 1538. quod per omnem vitam partium Gallicanarum, Burgundionibus admodum infestus, ipso adhuc superstite & consentiente VVilhelmus Clivium, Juliæ, Montium Dux, qui in Geldriam quoq; jus ob matrem Mariam Iuliacam prætendebat, ab ordinibus adscitus & inauguratus fuit, & deinde Cal. Augusti anno 1539. mortuo successit, maximâ cum Caroli Cæsaris indignatione: uti in Historia ipsius explicavimus.

Prima inter Carolum Egmundanum & Ioannem 3. Clivorum Ducem in ordine 4. VVilhelmi patrem unio 27. Ian. anno 1518. facta est: Cui ex Baronibus subscripsere Iodocus Comes Brunchorstanus Borkeloæ Dynasta: Oswaldus Comes Montium, Dynasta Bilandicus, & Hermannus Comes Brunchorstanus, Dynasta Batenburgicus.

Ex nobilitate in Tetrarchiâ Neomagensi Walramus ab Erckell VVerdenburgius Ioannes à Rossum Bruichusius, VVilhelmus à

Rossum

Rossum, Suilenus, Joannes à Boynenburch dictus Honstein Ubbergius: Lillhardus Oyæus, Iacobus Pieck Isendornius, Casparus à Linden Hoemenius, VVilhelmus à Genth, Loenius Dynastæ: Walramus a Genth, Reinherus ab Aswyn, VValramus ab Hafften, VValramus Pieck, Eustathius ab Hemerth. Casparus à VVyke, Gibbortus à Poll. Henricus Pieck & Adrianus à Baweren: In Ruræmundanâ Tetrarchia unionem hanc ratum habuere Gerhardus à Flodorph Archipræfectus Ruræmundanus, Cornelius à Budbergen Archimareschalcus Geldricus. Christ. Schenck à Niedeck Hellenradii Dominus, Theodoricus à Lipp dictus Hoen Grebenforstanus & Afferdenus, Adrianus à Biland VVellius VVilhelmus Kesselius Dynastæ, Albertus à Goer & Arnholdus à VVachtendunck.

In Suitphæna Tetrarchiâ illum adprobarunt Theodoricus Comes Brunchorstanus, Baro Batenburgicus & Anholtinus: Ioannes à Palandt, Vorstius & Keppelius Dynasta: Eberhardus ab Heckeren, VVilhelmus à Baer Christophorus Munster, Eberhardus á Linteloe & Vitus â Munster.

In Arnheimiensi denique tetrarchia manuum testimonio unionem hanc confirmarunt: Segerus ab Arnheim, Henricus à Middachten, Arnh. à Bockop. & Reinherus ab Appeldorn, cum omnibus urbibus tetrarchicis, illisque subjectis oppidis.

Quoad religionem, Carolus Egmundanus doctrinam Pontificiam magno studio defendit, nec à supplicijs etiam abstinuit: Ob doctrinam Evangelicam Neomagis infestus, Arnheimii quoque sacellanum cum alijs viris & fœminis religiosis capi, examinari, quosdam submergi, quosdam decollari, alios verò relegari, libros denique Evangelicorum cremari jussit.

Imo Ennoni Frisiæ Comiti anno 1533. victo inter alias Pacificationis leges, & hanc uti supra diximus, præscripsit, ut ritibus Ecclesiasticis cum alijs reformatis conformibus usque ad Concilium generale in ditionibus suis tantum utatur, quod nisi intra anni spatium celebretur, ut se de salutaribus remedijs audiat, injunxit.

Obijt, ut jam indigetavimus, ultima Iunij horâ 11. nocturna anno 1538. Arenaci Geldrorum, ibidemque in summo templo inhumatus.

Conjunx ejus Elisabetha Brunswicensis & Luniburgica, cui Geldropolin pro dotalitio usufructu assignaverat, ibidem maritum post annos 33. insecuta anno 1572. decedens condita est.

Controversia autem successionis Geldricæ inter Carolum Cæsarem & VVilhelmum Cliviæ, Iuliæ, Montium Ducem an. 1543. post belli fortunam variam & ancipitem, ita tandem definita est, ut Cæsar victo VVilhelmo, Geldriam acciperet, eamque ad filium Philippum 2. Hispaniarum regẽ derivaret: qui etiam pacatè eam usque ad annum 1570. possedit, & ab anno modo dicto 1543. per Proprincipes Philippum de Lalain Comitem Hochstratanum, Carolum à Brimeu Comitem Meghenium & Florentium de

Barla-

Barlamonte & Lalain Baronem Hiergesium, Anno 1579. in expugnatione Trajecti superioris ad Mosam mortuum administravit: Cancellario addito decem consiliariis ceu præside, qui primus Hadrianus Nicolai Marius fuit: Caroli filius Philippus 2. Anno 1559. Cameram rationum addidit: Vtrumque verò Consilium Arenaci residere voluit. Anno autem dicto 1570. Provincia, abdicato regis Hispaniarum imperio, solius Proprincipis ac senatus Provincialis ordinum suffragiis electi, adeoque ipsorum Ordinum regimen cœpit agnoscere, illudque ad præsens usque sæculum perduxit: Gubernatoribus additis, qui summæ rei belli & pacis tempore præessent.

Quorum primus fuit, Johannes Nassovius, Wilhelmi Principis Aurasionensis frater anno 1578. evocatus. Eique ob necessitatem Provinciarum hæreditariarum anno 1581. iterum domum redeunti suffectus Wilhelmus ejus nominis 4. Montium Comes, illius affinis, qui occupatis Zuitphænia, Drusiburgo, Dotecomo, Lochemio, Gronloâ, in Velaviâ etiam Harderwico, Elburgo, Hartumio: In Provinciâ Ultrajectina, Amersfordiâ, in Transisulanâ, Campis, Swolla, Vetericella, Hasseltio oppidis, eadem ad ordinum obedientiam reduxit. Sed cum postea negligentius rem gereret, imo anno 1583. contra Ordines cum Rege Hispaniarum conspiraret, idemque filiis quoque persuaderet, ipso exauthorato, Adolphus Comes Novariensis & Morsensis ei in Provinciis Geldrica & Ultrajectina administrandis, successit: Cui anno 1589. ex pulvere tormentario negligentiori cura accenso, Arenaci extincto, Mauritius Nassovius, & huic frater Fridericus-Henricus, Principes Aurasionenses suffecti sunt.

De Carolo Egmundano ita Poëta ad tumulum ejus.

Carolus Imperio Dux illustrissimus hujus,
Hic jacet; inceptum siste Viator iter.
Qui septem decies vixit fœliciter annos
Multa domi gestans prœlia plura foris.
Ter tria transiverat superi Sol brachia Cancri,
Cum datur extructo corpus inane rogo.

AD

GELDRIAM TETRARCHIAM

APPENDIX TRIPLEX,

quarum prima est,

De Dominis & Comitibus Montanis,

Secunda,

De

Bronckhorstanis, Batenburgijs, & Anholtinis Dynastis,

Tertia de Baronibus Wischijs.

APPENDIX I.

De Dominis & Comitibus Montanis.

Ad Illustres & Generosissimos viros,

HENRICVM ET ALBERTVM

Montium Comites & Montis Præfecti

Marchiones, &c.

EX Comitibus Zutphanijs illustres Comites Bergenses originem suam trahunt, nam non tantum ijsdem insignibus rubro scilicet Leone, cum ex urgente Leone dimidiato usi sunt, in circumferiâ nummis additis primo 14. deindè 11. sed etiã pro q; Comitatu inter fratres diviso, secundo genito Dynastia Montium cum jure monetario majori cessit, qui proindè tum longè quoq; amplior fuit, & non Hetteriam tantum, atque Aspeliam ditionem cum urbibus Emmerica & Reesâ, sed Limersiam quoque ambitu suo complexa est.

Castrum horum Dynastarum Metropolitanum Heresbergium Eresburgum putat esse tẽpore Caroli Magni celebratum Bernh. Furm. Annal. Fris. lib. 4. sed in loco erravit. Hoc certissimũ in turri templi Diedamensis, quod non longè à fossa Drusi quæ hodie Issala dicitur, situm, corpus Drusi effossum esse, cujus caput hodieque in castro Comitum Metropolitano monstratur.

Primo autem Baronis & Montes Domini facti, postmodum An. 1468. à Friderico 3. Imperatore inter Imperij Comites cooptati sunt,

ti sunt, licet eam dignitatem anteà, ut jam diximus, à Comitibus Zutphænis habuerint.

Primus Montis Dominus, quantum ex Annalibus vetustis colligere licet, fuit Henricus Ottonis Comitis Geldrienſis & Zutphanienſis ejus nominis primi filius ſecundogenitus, qui filio Rabadoni Dynaſtiam Montanam iterum reliquit. *Divers in rerum Brabant. Annalibus.*

Rabadonis hujus, ſecundi Montium Dynaſtæ in fundatione cœnobij Bethlehemij propè Dotecomum tempore Henrici ejus nominis primi, Geldriæ & Zutphaniæ Comitis tertij ejus authoris, nepotis ſui anno 1179. inchoata mentio fit, ubi ejus conſanguineus appellatur, & jus in communem illam Marchiam cœnobio aſſignatam habuiſſe dicitur.

Filius autem Rabadonis Henricus ejus nominis ſecundus, Montium verò tertius dynaſta fuit. Cujus mentio fit an. 1224. in fundatione Parthenonis virginum nobilium Ruræmundanæ à Gerhardo 3. Geldriæ Comite 6. eodem tempore conſtitutæ. Necnon in privilegiis urbis Arnheimienſis an. 1233. 3. Cal. Julij ab Ottone ejus nominis 3. ſeptimo Geldriæ Comite ei conceſſis.

Itemq; in primis urbis Veſalienſis privilegiis à Theodorico ejus nominis quinto Clivorum Comite in ordine 21, anno 1240. datis. Ejus ætate quoq; cum priùs Decanus & Capitulum Emmericenſe Ottoni 3. Gerhardi filio Geldriæ & Zutphaniæ Comiti 7. Tutelam ſeu Advocatiam ſui, & oppidi an. 1233. 2. Cal. Junij, ipſo Aſcenſionis Domini tradidiſſent, iſque murorũ munimentis & legibus illud firmaſſet, idem hic Henricus Montium Dynaſta, jus ſuum reliquum, quod intra foſſam Emmericenam ad ſuum uſq; territorium habebat, præſentibus Ottone Præpoſito Aquenſi & Trajectenſi, Gerhardo Randeradio & Goſwino Millenio cõſanguineis; Gulielmo Hyrnio; Friderico Rhedano cum Goſwino Straleno; Gerhardo dapifero & Johanne Zutphænio in cognatum ſuum eundem Ottonem 3. an. 1237. hac tamen conditione tranſtulit, ut ſubditi Montium nunquam in illam libertatem recipiendi, neque immunitate hac gauderent, neque injuriâ etiam aliquâ ab Emmericenſibus afficerentur.

Henrici 2. filius Adamus ejus nominis primus, & quartus Montium Dynaſta, vixit an. 1259. Et Simoni de **Gehmen** cognato curiam Rasfeldiam, vulgò **Rabbinghoff** dictam vendidit. Sacellum Montanum ut Sedamenſis parochialis, ceu matris filia eſſet, in memoriam Pancratij erexit, eiq; ad alendos duos ſacerdotes & perpetua in eo luminaria aſſervanda, de reditib. neceſſariis proſpexit.

Adamus 1. Fridericum ejus nominis 1. Montium dynaſtam in ordine quintum genuit, qui an. 1278. imperavit, & uxore ductâ Hedwige Oyenſis Domini filia, prima, quam Annales nominant, Montis Domina, *Henricum* 3. ſucceſſorem reliquit. Dominium Etthenium & cum eo jus cudendæ monetæ minoris ab Archiepiſcopo Colonienſi, & Monaſterienſi Epiſcopo acquiſivit. Uxor anno 1293. vivis exceſſit.

Henricus 3. Montium Dynasta in ordine 6. ex uxore Hedwige Randeradiâ Adamum 2. edidit. Cujus idcirco cum filio in confirmatione privilegiorum à Rheinoldo ejus nominis primo, octavo Geldriæ Comite civitati Arnheimiensi anno 1312. facta, mentio: Hedwiegis Randeradia tamen prius nempe ipsâ Huberti anno 1305. ipse verò 19. Cal. Februarij, eodem quo privilegia Arnheimiensia confirmata sunt, Anno 1312. vivis excesserе.

Ante obitum hic quoque Henricus feria secunda post Epiphaniam anno 1304. à Stephano Wilhelmo & Henrico Ulfftenis Stephani filijs medietatem bonorum in Weerbeide sitorum fidejubentibus Stephano primogenito, Alhardo Wobwin & Henrico Frisone Godeschalci filio coëmit, prout VVilhelmus Snipart Theodorus Flinthius & Conrad Hernbergius Scabini Emmericenses diplomate suo testantur. nc

Adamus 2. Friderico 2. successore, & Irmgarde Abbatissa Altinense 26. Julij ipso S. Annæ seu postero Jacobi an. 1365. mortuâ. genitis, ille an. 1312. 19 Cal. Feb. vivis excessit.

Fridericus 2. Montis Dominus in ordine octavus Elisabetham Millensem Grebbenii Dominâ Wilhelmi Millensis VVickradiæ Domini ipso Leonhardi anno 1328. defuncti, filiam uxorem accepit, exque eâ Adamum 3. VVilhelmum 1. & Fridericum filios cum Elisabethâ filiâ anno 1339. Ioanni Lindano desponsatâ, sustulit: A Reinholdo 1. Geldriæ & Zutphaniæ Comite octavo immunitatem à censu & tributo dominij sui Montani tanquam feudi Geldrici anno 1319. impetravit. Obijt autem maturè nempe ipsâ Erasmi an. 1321. Kerckhellæ in ditione Rechlinghusiana mortuus. Eique primogenitus filius Adamus 3. primum successit, & ad annum usque 1354. habenas dominij Montani tenuit. Montium Dynasta in ordine nonus, cujus Mater Elisabetha Millensis an. 1355. vitâ hac defuncta est.

Sibi verò anno præcedente an. 1354. sine hæredibus mortuo, VVilhelmus 1 frater, successit Montium Dynasta in ordine 10. cui uxor Sophia Bilandica dominium illud cum Millingensi Cliviæ feudo, & Pannerdensi Emphyteusi in dotem attulit. Porrò hanc Emphyteusin an. 1240. Theodoricus Bilandicus à Capitulo Emmericensi primum consecutus est: Ex eadem familia nobilissima Joannes Bilandicus literas Reinholdi Comitis Geldriæ octavi de Batavià posteâ Nicolai una cum aliis Dynastis Geldris an. 1327. obsignavit; consensu etiam matris idem Ioannes Venniam & Averdyckiam villas pupillo Schappii filio in feudum concessit, VVilhelmus autem Montium Dynasta anno 1356. hanc Pannerdensem emphyteusin à Decano & Capitulo Emmericensi iterum accepit.

Idem cum Theodorico Ulfftano, ejusq; conjuge Margarethâ, & utriusq; filio Eberhardo Equite, an. 1373. ipsâ Petri ad Cathedram de permutatione castri & dominii Vlfftani, alia ipsis bona assignãdo, transegit. Anno 1379. ipsâ Nativitatis Mariæ memoriâ, urbi

Monta-

Moutanæ privilegia dedit, & ex Sophiâ Bilandicâ Friderico ejus nominis 3. edito, frater ejus secundus Fridericus an. 1381. ferâ quintâ post Martini, ipse an. 1387. vivis excessêre.

Fridericus 3. Montium Dominus in ordine undecimus, uxorem duxit Catharinam Burenam, quibus parentibus Wilhelmo & Sophiâ Bilandica adhuc vivis an. 1377. ipsâ Gregorij Martyris Dynastia Pannerdensis à Decano & Capitulo Emmericensi confirmata est. Frid. Sacellum Montium Pancratianum à Sedamensi Ecclesia separatum in parochialem Ecclesiam an. 1399. crastina Nativitatis Mariæ commutavit, quod Fridericus Blanckenheimius Episcopus Ultrajectinus inauguravit. Uxor ejus Catharina Burena anno 1410. die Pontiani, (sive 14. Junij) Ipse memoria Ewaldorum anno 1416. humanis rebus exempti sunt. Quia verò nullos reliquerant hæredes masculos, filia ipsorum unica Sophia Montis & Bilandiæ Domina successit.

Hæc Ottoni à **Leck** juniori Bredæ filio Domino in **Vedel & Almenstein** nupsit, qui auspicato hoc conjugio Montium Dynasta factus est & cum Hedelia, molarum quoq; volatilium Bredensium reditus Montibus conjunxit. Mortua autem ante patrem Fridericum filia Sophia, an. 1412. ipso Bedæ presbyteri, cum eam maritus illius Otto Leccanus an. 1428. insecutus esset, Wilhelmus 2. ipsorum filius Friderici nepos successit, qui, quia parens insignibus natalitiis tribus Lunis dimidiatis abjectis, alis verò inauratis retentis, arma Montana induerat, ille iisdem quoque cum posteris usus est.

Wilhelmus 2. Montium Dynasta 13. & ultimus ob dominia multa & magna quæ possedit, Dives dictus, anno 1404. Alpeliæ propè Reesam natus, ibidemque baptizatus superstite adhuc parente Ottone Leccano anno 1410. defuncto avo Friderico 3. Montibus imperare cœpit. Vxorem duxit Loccam sive Ludovicam Eberwini Comitis Bentheimii & Steinfurtensis filiam, quæ illi tres filios genuit. Oswaldum successorem primum Montium Comitem, qui ideo undecim nummis inauratis, Ludolphum Hedeliæ dominum, qui decem, & Adamum, qui novem ex iisdem insignibus usi sunt, prout in templi Diedamensis Australi plaga apparet. Eadem Locca tres filias Sophiam, Mechtilden, & Ottoniam quoque edidit, quarum prima & ultima in moniales Durostadil inauguratæ, media Comiti Tecklenburgio desponsata, eique domus dotalis Linga assignata fuit.

Dynastias suas egregiè auxit: Nam Emphyteusin dominii **Pannerden** anno 1430. à Capitulo Emmericensi consecutus est. Beeckium pagum ab Adolpho primo Clivia Duce anno 1447. in pignus pro certa pecuniæ summa accepit. Castra Diedemense, & Vlfftanum emit, & posterius quidem, pro quo Wilhelmus 1. alia bona cognato suo Theodorico Vlfftano anno 1378. dederat, cum Bredenbrochio agro anno 1451. à Friderico Vlfftano sibi comparavit, qui anno post contractum tertio, Christi verò 1454. 10. Aprilis in Montibus mortuus & conditus est. Idem Wilhelmus civitatem

Montium ſuorum muris cinxit,& molas volatiles lapideas Sedheimiæ,Gendringæ,& Diedeimiæ conſtrui juſſit.

In Eccleſiam etiam benignus fuit: nam an. 1447 tres parochiales Eccleſiæ Montanæ choros pulcherrimè conſtructos conſummavit,& an. 1450. inauguravit, non tantum ejus perpetuus patronus & proviſor, ſed etiam an. 1454 die 11. mille virginum memoriam parentum ſacram ſingulis diebus Martis habendam inſtituit. An. eodem & die de perſonarum quoq; profeſſarũ hæreditate leges tulit. Anno 1460. in oppido Montano domum pauperum & Xenodochium ædificavit. Anno denique 1462. à Pio 2. Papâ bullâ pro monaſterio Franciſcano Obſervantium in terris ſui dominij conſtruendo obtentâ, Anno 1463, illud in loco Briemerio dicto propè Emmericã inchoavit, quod poſteà Oſwaldus filius egregiè conſummavit, hodiè deſtructum. Locca Bentheimia 21. Maij an. 1445. Wilhelmus ejus maritus ipsâ Catharinæ ſive 7. Decembr. Anno 1465. obierunt.

Comites Montenſes ſeptem.

Oſwaldus 1. anno 1442. ultima Februarij natus & patrinis Arnholdo Duce Geldriæ, Eberwino Comite Bentheimio, & Maria Burgunda Adolphi primi Cliviæ Ducis conjuge pro eo ſpondentibus baptizatus eſt: Ab Hermanno Haſſo Archiepiſcopo Colonienſi nomine Cæſaris Friderici 3. an. 1486. primùm Imperij Comes ſaluratus eſt. Uxorem habuit Eliſabetham Vincentii Comitis Morſenſis,& Annæ & Palatinæ filiam, ex quâ duos filios Wilhelmum & Fridericum Hedeliæ Dominum: quatuor itidem filias Annam Joanni Comiti Saerwerdano & Morſenſi, Mettam Friderico Comiti Bronchorſtano & Limburgio, Walburgim Ioanni Wiſchio,& quartam Coloniæ veſtalem ſuſtulit. Hic cum Decano & Capitulo Emmericenſi de Pannerdenſi dynaſtia controverſiam longam habuit, quæ tandem hac lege compoſita eſt, ut præter antiquum cenſum annuum quotannis 135. flor. (pro unoquoq; 24. alb. computatis) Capitulo ipſe poſterique exſolverent. Dominiorum Hoemoetii & Wiſchii (ad quod Varſeveldius pagus olim pertinuit) medietatem ære ſuo comparatam Montibus adjecit. Cum Ioanne ejus nominis 1. Duce Cliviæ 2. an. 1476. pactus. Anno verò 1484. Cracovia in Comitatu Morſano ob dotem uxoris ipſi oppignorata eſt. Inter filios Wilhelmum & Fridericum ipſa Luciæ an. 1502. diviſionem inſtituit; quorum hic Fridericus ſub Burgundo militans 7. Novembr. Anno 1511. ante Venlonam teſtamento militari condito, cum Emmericæ octava Stephani, an. ætatis 38. Chriſti 1513. vitâ hac defunctus eſſet, ex fratre nepotem Oſwaldum 2. hæredem inſtituit, quam inſtitutionem Carolus Egmondanus Geldriæ Dux, die Lunæ dominicam Miſericordiæ Domini inſequente, an. 1511. ratam habuit. Uxor Coloniæ mortua,& in monaſterio Prædicatorum condita, ipſe anno 1506. vivis exceſſit.

Wilhelmus ejus nominis tertius, Montium verò Comes in ordine 2. Annam Egmondanam uxorem, & cum eâ Boxmarinunt, Haipsium, Stephaninsulanum, & Spalbeccense dominia in dotem accepit. Ex hac natus Oswaldus 2. tertius Montium Comes: Ipse in motibus Geldricis cum fratre Friderico Burgundorum partes secutus, filio Oswaldo vix trimulo, Bommeliæ an. 1511. obijt, Hedeliæ conditus. Post cujus mortem Anna Egmondana an. 1514. ad secundas nuptias cum Philippo Comite Vierneburgio & Novariense transijt, qui ex eâ filium anno 1517. ipso decollationis S. Joannis Baptistæ natum sustulit.

Oswaldus ejus nominis 2. tertius verò Montium Comes, Annò 1508. natus, trimulus patrem, ut diximus, amisit, & post biennium pâtruum Fridericum, Anno 1513. octavâ Stephani, sive 2. Januarij Emmericæ mortuum, ob cujus hæreditatem magna illi cum Wischijs Dominis controversia fuit, illis domũ Montano-VVischiam Borghæ occupantibus, his dominum feudi Carolum Egmondanũ Geldriæ Ducem, prout in historiâ ejusdem quoque narratum, invocantibus. Anno 1523 cum Joanne ejus nominis 3. Duce Clivio, de terminis Emmericens. & Montanis convenit. Uxorem duxit Elisabetham à Dorth ex prosapiâ, quæ in Hollandiâ & Geldriâ familias quasque nobilissimas attingit, ortam, Ioannis Horstii viduam, Anno 1545 in Decembri mortuam, ob quam eodem anno cum Gerhardo à Flodorph Archipræfecto Ruremundano de Archipræfecturâ aulæ Geldricæ controversiam habuit. An. 1546. 9. Maij Zutphaniæ, uxorem secutus in Montanâ Ecclesiâ humatus est. Ex uxore Elisabetha à Dorth ab ipso VVilhelmus, Oswaldus, & Fridericus filii, & Anna filia geniti sunt, quorum primogenitus solus relíquis in cœlibatu manentibus, familiam illustrem fœcundè admodum propagavit.

VVilhelmus ejus nominis, & Montium quoque Comes in ordine quartus uxorem duxit Mariam Nassoviam anno 1539. Patre VVilhelmo Divite Henrici fratre natam, quæ illi Tielenburgi 13. Septembris, An. 1556. promissa, & 11. Novemb. Morsæ convivium nuptiale splendidum Hermanno Novariense & Mörsano Comite, qui ejus sororem Magdalenam sibi antea desponsarat, apparante, ducta, & 28. Februarii an. 1557. in Montanam Metropolin introducta est. Ex eâ octo filios, & totidem filias genuit;

Magdalena filia primogenita 1. Augusti an. 1557. nata testibus fratre Patris Oswaldo, Iodoco Comite Styrumio, Comitissa VViedana Abbatissa Elnonensi, & Magdalena Nassovia Comitissa Novariense & Moersensi baptizata, cœlebs in arce Montanâ anno 1579. denata est.

Hermannus primogenitus filius 2. Augusti die Martis an. 1558. in Montanâ arce in lucem editus, ἀναθήματα sacros habuit Ioannem Nassovium, Hermannum Novariensem & Moersensem Amœnam Falckensteiniam Gumprechti Novariensis & Limburgici conjugem Mariam Brederodiam Godhardi Milendonci uxorem; obijt 12

Augusti

Augusti die veneris stylo novo inter 3. & 4. matutinam an. 1611. ad intersignia Leonis deaurati in Aquis Spadanis, corpus Brandeloæ, cor Spadæ condita sunt. Ex uxore Maria Mancià Marchionissâ Bergæ ad Zomam ipsa Bartholomæi anno 1610. Maria Elisabeth nata, Alberto ex patruo Friderico nepoti copulata, post abortum duplicem anno 1633. in arce Boxmarinâ vivis excessit.

Porrò Maria Mancia Marchionatum integrum Montanũ Hermanno in dotem attulit, quem Carolus 5. Imper. primùm in Anthonium contulerat, sed lineâ in Joanne ejus filio an. 1566. uña cũ Florentio Momerántio Barone Montignio, Phippi Comitis Hornani fratre, in Hispaniam legatis missis, illo quidem 21. Maij anno 1567. socio verò anno 1579. initio Octobris, extinctis, deletâ, ejus ex sorore neptis post pacificationem Gandavensem anno 1576. Marchionatum adepta est, quæ Gasbecano filio Berselæ Domino nupta, tres filias edidit, ex quibus Maria Hermanno, & Margaretha Henrico Comitibus Montanis conjugatæ, tertia Ernestina Baroni Bellovacensi nupsit.

Fridericus secundus filius in Ulfftanâ arce in lucem ptodiit 18. Augusti itidem die Veneris an. 1559. cujus patrini fuerunt, Fridericus Weedanus, Præpositus summi templi Colonienſis & postmodum an. 1502. Episcopus Eberwinus Bentheimius, & Maria Styrumiensis. Uxorem habuit Franciscam Ratingiam, ex quâ Albertus, Leonora, & Anna Maria, nati. Hic Gubernator Geldriæ à Rege Hispano constitutus est, cui 3. Septembr. horâ primâ nocturnâ an. 1618. in arce Boxmarinâ defuncto frater Henricus successit.

Oswaldus tertius filius 16. Iunij an. 1561. natus, pro quo baptizando Cornelius à Oetlen Præfectus provincialis Montanus, Alexander à Tellicht præfectus Ulfftanus, Anna Montium & alia Styrumiensis Comitissæ fidejusserunt. Hic in Frisia in conflictu Boxumano an. 1585. interijt. Inter fidejussores ejus sacros Alexander à Tellicht unioni Belgiæ pressiori Ultrajecti an. 1579. initæ inter primos subscripsit: Ipse Oswaldus an. 1585. in Frisia occubuit.

Wilhelma secunda filia septimâ Iulii anno 1562. nata ejus in baptismo sponsores fuere V Vilhelmus Cliviæ Juliæ Mõtium Dux, Carolus à Brimeu Comes Meghenius, Geldriæ gubernator, Ducissa Geldriæ Elisabetha Luneburgia, & Maria Comitissa Bronchorstana nata Hoyensis. Hæc anno 1591. in fine Novembr. Aquis non longè ab arce Vlfftana cum Juliana sorore perijt.

Elisabetha filia tertia, ultima Decembr. die Veneris, vespera novi anni 1563. nata, & testibus, patris altero fratre Friderico, Theodorico à Loe præposito Emmericensi, Manderscheidia & Seinensi Comitissis, Eltenis vestalibus baptizata, in pubertate vitam finijt Coloniæ.

Iodocus filius quartus 24. Ianuarij die Iovis hora 5. matutina an. 1565. natus, & pro ipso spondentibus Iodoco Schowenburgio Comite, Iodoco Batenburgio Honnepeliæ Domino, & præfecta provinciali Deelenia baptismo initiatus, in arce Montana denatus est.

Ludo-

Ludovicus filius quintus, natus.
Hic cœlebs in obsidione urbis Steinwichianæ 9. Junij. Anno 1592. perijt.
Henricus filius sextus, natus Anno 1573.
Fratris Hermanni conjugis sororem duxit, Margaretham Manciam Montis prætexti Marchionem.
Ex qua nata Maria quæ Principi Zollerio nupsit.
Hac mortua Anno 10.. alteram superinduxit.
Adamus filius septimus, natus Anno 157.
Hic Groninghæ peste extinctus.
Adolphus filius octavus, & ultimus natus Anno ...
Hic sylvæ Ducis obijt.
Catharina in ordine filiarum quarta, nata.
Hæc Anno 1601. Dominicâ quadragesimali Florentio Palando Cuilenburgij Comiti nupsit.
Anna.
Juliana nata Anno..
Anno 1591. in fine Novemb. cum Wilhelma sorore submersa.
Elisabetha..
Charlotta..

Pater horum liberorum Wilhelmus Montium Comes in bello Belgico primò ordinum confœderatorum partes secutus, cum aliis ordinibus supplicem libellũ Parmensi Belgij gubernatrici, Anno 1566. exhibuit. Integrum etiam Comitatum Zutphanien sem occupavit, Geldriæ totius An. 1581. gubernator constitutus, in que locum Joannis Nassovii affinis An. 1578. ab ordinibus evocati domum abeuntis suffectus, sed Anno 1583. ab ordinibus ad Hispanum, cum filiis suis, quibus idem persuasit, defecit, qui etiam cum patre, invitâ licet matre, ad finem usque vitæ in hoc proposito perseveraverunt; Anno verò 1632. fratrum ultimus Henricus adhuc superstes, vel Hispanorum ambitione irritatus, vel potius amore patriæ ductus, partibus Hispanis abdicatis, ordinum causam amplexus est.

Obiit Wilhelmus Anno 1586. in Novembri in arce Ulfftanâ, quo mortuo, ex ejus dispositione Maria Nassovia conjunx ab Anno prædicto 1586. usque ad annum 1599. consentientibus filijs habenas imperij administravit: ipsâ verò etiam rebus humanis exemptâ Anno 1599. filius primogenitus Hermannus successit; quo Anno 1611. defuncto fratres ejus Fridericus & Henricus gnatæ suæ Mariæ Elisabethæ tutelam gesserunt. Friderico autem Anno 1618. excedenti, Florentius Comes Cuilenburgius in tutelâ surrogatus est; donec Maria Elisabetha Alberti Friderici filio nepoti suo copulata, eidem Comitatum & Marchionatum Montium, in dotem attulit: Utrumque verò post abortum duplicem Anno 1633 ipsa Epiphaneias, iterum reliquit: Anno 1637. post controversiam multam cum Alberto agitatam ex naturâ feudorum Suit-

phæn. &c. Patruo Henrico unico Wilhelmi filio superstiti à Dominis feudi in aula Suitphanio-Geldrica adjudicatum.

GELDRIÆ TETRARCHIÆ,

Appendix II.

De Dynastis Brunchorstanis, Anholtinis & Batenburgijs.

Ad Illustres & Generosissimos viros,

Theodoricum, Maximilianum, & Jodocum Maximil. ejusque fratrem Ottonem Wilhelmum, Comites Brunchorstanos, Barones Anholtinos, Batenburgicos, Gronsfeldicos, Rimburgios, Mulenduncios, Baerenses, Latumios, Drachenfelsios, Meidericenses, Steinios, Biechtios, Westberendrechtanos, Morkirchenses, Frecheimios, Alpenses, Honnepelios, Eylios, &c:

Hermannus Hamelmannus in Antiqua sua Westphalia ejusque Comitibus & Ducibus.

DYnastia Brunchorstana antiquissima, à splendore, vel elegantia (Germani Bruncken dicunt) appellata initium suum & incrementum ad Romani imperij Augustos in primis Henricum 7. Lutzenb. Anno 1308. ad Imperiale axioma ejusque filium Joannem ad diadema regni Bohemici, Anno 1311. evectos refert: à quibus, sicut etiam diu ante ab eorum antecessoribus Romanis item columnensibus non tantum descendunt, sed etiam arcem ad Issalam condendi (à qua Comitatui nomen) potestatem, simulque Leonem album in rubro solo incedentem cum jure monetæ majoris accepit, eumque postmodum Limburgico conjunxit. Ex Dynastis Brunchorstanis, Giesberti Anno 1233. in primo urbis Arnheimiensis privilegio mentio, Joannes Episcopus fuit Trajectensis in ordine 45. Anno Christi 1275. Gisbertus Episcopus Bremensis, cujus frater Florentius ex Herculea Ottonem, cujus in unione Suitphænia Anno 1436. mentio. Iste ex Nevenarica Hedwiegem, Fridericum & Giesberthum: Hic ex Egmundana, Fridericum Walpurgem Simonis Lippiensis & Hedwiegem Ottonis Diepholdis comitum uxores, genuerunt: conjugio verò postremo Dynastia Baerensis & Latumia familiæ huic obvenit.

Fridericus ex Metta Montana Oswaldi primi Montium Comitis filia edidit Jodocum Comitem Brunchorstanum, Dynastam Borckeloensem, quod dominium post obitum Gerhardi ultimi possesso-

possessoris An. 1385. nomine dotis Brunchorstanis Comitibus per Giesbertum accessit. Peculiariter verò mentio Dynastarum Borckeloensium, Henrici An. 1190. in primis urbis Suitphænæ privilegijs, alterius Henrici Borckeloensis Anno 1271. in secundis Suitphænæ privilegiis.

Porrò Jodocus ducta Maria Hoyæa Jodoci sorore nullam prolem reliquit: Unde tres de hæreditate Comitatus Brunchorstani & dominii Borckeloensis adeunda, ex prosapiâ Brunchorstana descendentes familiæ contenderunt: Borckeloēsis dynastia olim.

Primo Irmgardis Abbatissa Asslindiensis, cujus avia Hedwiges Brunckhorstana, ejusque ex fratre Friderico nepos Rudolphus Diepholtius & Brunchorstanus Comes fuit.

Secundo, Theodoricus Brunchorstanus, Anholtinus & Batenburgius Baro, &c.

Tertio Herman-Georghius Limburgi Comes, Baro Styrumius & Wischius: Matre Irmgarde Brunchorstana & Wischiâ genitus.

Ex eadem generosa familia quoque prognatus est Wilhelmus Brunchorstanus, qui Joannæ Batenburgicæ copulatus, dominium hoc cum suo Brunchorstano conjunxit.

Dynastiam autem Batenburgicam, ut id breviter ex superioribus addamus, alij à Batto Cattorum regis filio, sicut etiam Bataviam insulam totam: alij & quidem rectius, utramque à bonitate agri, quod Saltus nempe sit pascuis irriguis optimus, appellatam volunt: Per conjugium verò Wilhelmi Brunchorstani & Iohannæ Batenburgicæ, generosæ familiæ, Brunchorstana, Batenburgica, Anholtina sive Columnensis & Gronsfeldica propagatæ sunt. Gerhardus Geldenhaurius Noviomagus in Historia sui Batavicæ.

Wilhelmus enim & Iohanna conjuges præter filias, Giesberthum, Theodorum & Balduinum filios reliquerunt. Balduinus absque hæredibus decessit. Ex duobus prioribus diversi rami orti sunt.

Giesberthus primogenitus pro hæreditatis portione Dynastias Brunckhorstanam & Borckeloensem accepit, de cujus posteris, qui cum Herculea, Nevennarica, Egmundana, Montana, Diepholdicâ, Nassavica, Teckleburgica, Solmæa, familiis illustribus, conjuncti fuerunt, jam diximus.

Theodorico secundo genito ejus nomini primo Batenburgum cum aliis maternis bonis circa annum Christi 1380. obtigit. Cujus posteri cum generosis prosapiis Morsensi, Bentheimia, Columnæa sive Suelenia, Ghemensi, Gronsfeldica copulati tres ex se ramos deduxerunt.

Primus est generosa familia Anholtina, quæ originem suam inde à Columnis Romanis deducit, quia ejus majores ob bellorum civilium in patriâ motus, Italia excedentes arcem hanc & cum ea dominium, quod columnâ albâ coronatâ in insignibus conspicuum est, condiderunt.

Theodoricus eius nominis secundus, Brunckhorstanus Baten-

burgius & Anholtinus Dynasta, Joannæ Gronsfeldicæ & Rimburgicæ conjunctus, hæc quoque dominia per ejus utpote hæredis dotem familiæ suæ intulit & circa annum Christi 1451. vivis excessit. Post ejus mortem omnibus Dynastiis inter filios tres divisis, Theodoricus tertius Adelheidi Alpensi & Froenebruchiæ sociatus anno 1488. in fata concessit.

Ejus verò filius inter cæteros Theodoricus quartus Annæ Wieckedenæ copulatus Moilandiam prope Calcariam Provinciæ Clivensis urbem, hoc conjugio acquisivit obiit anno 1549.

Theodoricus verò nominis quintus hypotheca Bredefordensis dominii acquisitâ anno 1558. mortuus est, relicto ex Elisabetha Novellæa filio Jacobo.

Jacobus Gertrudi Milenduncię Ioannis Mielenduncii & Drachenfelsii Domini Burggravii hereditarii Archiepiscopatus Colonienſis & Mariæ Comitis Limburgiæ Brunchorstanæ Meidericensis, Rulandæ, filiæ & hæredi copulatus, Theodoricum nominis sextum & Iohannem Iacobum ex ea genuit.

Iacobus in motibus Belgicis 2. Febr. an. 1580. regis partib. accedens, & idcircò Bredevordēsis dominii pignore ab ordinibus Geldriæ privatus an. 1583. in obsidione Locheimiensi transfixus periit.

Ex filiis binis, Theodoricus primogenitus ejus nominis septimus Philibertam Imersellinam, Vicecomitem Alostanam uxorem duxit: Ex qua unica tantum filia genitâ, fratre Ioh. Iacobo etiam sine hærede masculo extincto, ex primi hujus rami Comitibus Brunchorstanis Anholtinis, Batēburgicis, Baronib. &c, ultimus est.

Secundus ramus est eorum Dynastarum, qui Batenburgicum Brechtium ad Mosam, Westberendrechtanum & Morkirchense in Hollandia, in Iuliis Frecheimium & reliqua dominia possident: Ex quibus solus etiam hodiè supersest Maximilianus Comes Brunchorstanus, Baro Batenburgius, & Steinensis, Brechtius, Westberendrechtanus Morkirchensis Frecheimius, Turnichus Vogbellensis dynasta. Nam filius ejus quem præter plures gnatas, ex Agnete Ketleria Assensi & Nesselradia unigenitum habuit, Wilhelmus-Arnholdus an. ætatis decimo tertio 25. Nov. An. 1612. Vesaliæ decessit.

Tertius ramus est Comitum Brunchorstanorum, Gronsfeldensium, Baronum Rimburgiorum, Alpensium, Honnepelensium: Ex quibus Theodoricus Præfectus Provincialis Clivensis ipsa Cuniberti an. 1508. uxor Gertrudis Wylichia vespera S.S. Petri & Pauli an. 1523. mortui & in claustro Hagenbuschiano propè Santos cōditi sunt. Iohannes verò ejus filius & in præfectura Provinciali successor, hujusq; uxor Gertrudis à Loe post excessum Sonsbecę oppido Clivensi, in templo parochiali inhumati, Ioannes fratrē habuit Theodoricum, qui ex uxore Limburgia Iodocum Theodoricū inferioris monumenti Dominum & Adolphum filios: cum filia Gertrude Wilhelmo Bungardo Heideniæ Domino nupta sustulit. Wilhelmus Ioannis filius ex Agnete Bilādica iterum Iodocum primogenitum & Ioannem genuit, Iodocus ex Comite Duirby nullas excitavit

citavit proles, Joannes Sybillæ Eberſteiniæ Comiti conjunctus Jodocum-Maximilianum & Ottonem Wilhelmum filios produxit.

Johanni huic 26. Sept. an. 1598. Jodocus Brunckhorſtanus & Batenburgius avi Wilhelmi nepos Theod. filius dominium Honnepelenſe tradidit. Agnes Bilandica 2. Maij 1615. mortua cum Eliſabetha Jodoci legantis ſorore anno 1619. defuncta, Honnepeliæ condita. Joannes pater Jodoci-Max. & Ottonis-Wilhelmi anno 1617. fatis conceſſit, Gronsfeldiæ humatus.

GELDRIÆ TETRARCHIÆ

APPENDIX III.

De Baronatu Wiſchio.

NOmen à viridantibus pratis habet, quorũ familia hæc generoſa multa poſſedit: Sicut etiã municipium Borghenſe & pagi Varſefeldius & Sylvoldanus ad eandẽ olim ſpectarũt.

Inter proſapiæ heroes, Bernhardus & Suederus recenſentur an. 1179. in benefactoribus cœnobii Bethlehemitici propè Dotecomum cum Rabadone Montium Domino, Heinrico de Bernham, & Gwalthero de Keppel, ubi jus quoq; in communem illam Marchiam, cui Monaſterium inædificatum eſt, habuiſſe dicuntur. Robertus Wiſchius præpoſitus Elſtenſis in Batavia eidem cœnobio centum florenos contulit.

Theodoricus Wiſchius pactis dotalibus Arnholdi Egmundani Geldriæ Ducis & Catharinæ Clivenſis an. 1423. ſubſcripſit.

Anno 1459. mortuus Heinricus Wiſchius, poſt cujus obitum Joannes Dux Clivenſis villas in Elp & Ermell Velaviæ pagis ad ſe ſpectantes, quibus Heinricum infeudârat ad ſe iterum tranſtulit & redituum eorundem rationes quæſtori Limerſio demandavit.

Ex eadem familia prognatus Joannes Wiſchius qui VValburgi Montanæ copulatus Henricum iterum edidit.

Henricus Wiſchius & Hoemotius Dynaſta, ex Comite Salmenſi Joannem Giſberthum, & Henricum genuit. Poſtremus Henricus Ioachimum & Irmgardem.

Et anno 1498. Daventrienſibus ob nonnulla, ut aiebat, damna ſibi illata, infenſus, bellum movit, & collecta militum plus minus 400. manu eorum agros invaſit; cui Fridericus Badenus Epiſcopus Ultrajectinus occurrens, eos fudit, centum amplius captis & Daventriæ contra datam fidem capite plexis.

Ioachimus Wiſchius Henrici filius, Novarienſem quidem conjugem duxit, verum ex eâ ſobolem nullam ſuſcepit.

Soror ejus Irmgardis primo Scheifhardo Merodio, deinde Georghio Limburgio & Brunchorſtano Comiti nupſit, eique Baronatum in dotem attulit, de quibus ſuprà in Comitibus Limburgicis in appendice ad Provinciam Montanam dictum eſt.

FINIS.

Errata Typographica.

PAg.1 lin.15. Cornelij p.6.l.22. invidiosus an gloriosus l.31. Verone p.7.l.15. Sycambri *adde*, Cæsariem p.8.l.5. inulta p.9.l.1. Albim l.6. inundarit, l.30. Nivella, p.10.l.9. stupendi, l.35. *dele*, nomen eorum. p.14. l.4. Vipsianus, p.16.l.24. discerptum p.23. *dele* & 24.l.1. annuo p.31.l.3. *post* **Gressenburg** *lege* Albias vicus, p. 35.l.4 præpositos, p.36.l.6. Bructeræ l.28. interferiæ p.38.l.14. themata p.40.l.9. *dele* apud p.41.l.44. itaque cum p.43.l.5. metu relicto. l.35. lychnuchos. p.44.l.15. tenere p.45.l.11. Vetera. p. 47.l.10. Aimoino, p.49. l.13. undevicesimanis p.59.l.13. Tansanæ l.31. sonciri. p.55.l.38. Alisum p.75.l.21. intendens, p.78.l.24. æstu. p.80.l.25. fore rarus l.31. solenniis p.86.l.45. Nanus p.89.l.7. Negros p.91.l.21. canonizatus. p.92. l. 39. deportari jussit p.95.l.45. ætatis sæculi p.101.l.20. indulgentia enim l.24. Zacharias l.8. l.18. ejusque successores, p.106.l.38. Eberhardum, p.107.l.45. Gerhardi. Montium Comitis filii, p.126.l.31. ut ex. p.131.l.30. eidem privilegia p.134.l.47. variarum, p.135.l.16. accepit privilegium p.136.l.12. vicarium, l.18: Comiti l. 43. receptam esse. p.163.l.38. Anno secundus Col. p.157.l.36. mutuavit, p.167.l.28 Romani, p.183.l.13. seu, l.30. ab obstructione. p.127.l.4. chamavis, l.34. afflictum, p.218. l.26. 1301. l.27. cui Ioannes l.31. quæ p. 221. l.3. Scheldanum, l.22. Isenburgius, l.46. Xylonio, p.382.l.40. Gugernorum.

Digitized by Google

10 Sep